TOTIVS PHILOSOPHIÆ HOC EST LOGICÆ, MORALIS, PHYSICÆ, ET METAPHYSICÆ

breuis, & accurata, facilique, & clara methodo disposita tractatio.

Additæ sunt quædam Morales Digressiones ad Vsum Concionatorum ex Ethica desumptæ eiusdem Authoris opera.

Auctore C. F. d'Abra de Raconis, almæ facultatis Theologicæ Parisiensis Doctore Nauarrico, Concionatore, & Eleemosynario Regio.

Huic postremæ Editioni (quæ cæteris emendatior) adiunximus in calce operis Definitiones, Diuisiones, ac Regulas ex Logica & Physica Aristotelis, singulari industria depromptas; quarum cognitio Philosophiæ studiosis apprimè vtilis & necessaria.

PARISIIS,

Apud NICOLAVM DE LA VIGNE, iuxta portam sancti Marcelli: Et in sua Officina in curia Palatij.

M. DC. XXXI.

REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI
D.D. HENRICO DE GONDY, S.R.E.
Presbytero, Cardinali de Retz nuncupato, Pariſienſi Epiſcopo, Regiſque Chriſtianiſſimi à Secretioribus Conſiliario, &c.

DIV mihi luctandum non fuit cum animo meo (Reuerendiſſ. Antiſtes) ut exiguum illud Opus, publicæ, ſic me Deus amet, utilitati conſecratum in ſacrarium tuum ſeſe inferre pateretur: nihil erat quod remoram injiceret ſuſtinenti. Neque enim quemquam ille afferebat, an propter ſingularem in me animi propenſionem, aut propter ingenij cultum, ac dotes philoſophico

hocce Libello ac munere digniorem. Vnus tu scilicet mihi præ cæteris impleuisse visus es absolutissimæ virtutis numeros; tantumque aliis magnitudine meritorum antecellere, quantum exuperas singulos fastigio dignitatis. Sic tibi vendices opus istud necesse est, tanquam ex debito & natura iure: quippe in eam illa disciplinam alumnos suos erudijt, tam sibi vsurpare posse quod suum est, quam quod esse alterius creditur, alteri sponte tribuere: Vnum est tamen quod animum meum nonnihil commouet ac perturbat, operis scilicet munerisque exiguitas, amplissimæ nominis tui gloriæ comparata: In tantam enim excreuit magnitudinem illustris virtutum & fortunarum tuarum moles, vt neque admissura quidquam ad ornamentum, neque ad gloriam quidquam videatur habitura. Non indiget alieno præconio, in tam excellenti fortuna, tam eximia virtus, satis amplum sibi vtraque theatrum est, Ita est (Antist. Illustrissim.) non eget vllo indice ad spectaculum suum

fortuna tua, tua dignitas; ipsa se promit, ipsa se prodit; neque ego in eam rem hæc tibi sum ausus appendere donaria, vt scriptorum meorum luce præferrem ad famam nominis tui ambitiosas faces; quantus en sum tenebrio, vt fulgorem addam meridiano soli. Id magis consilij fuit vt consiliarem operi meo commendationem, certè non vulgarem, præfixis à fronte tum dignitatis, cùm virtutis tuæ titulis, pro quibus vniuersi Gallici orbis incolæ,

In tua centenas aptant præconia voces:

fieretque id gratum acceptumque tuo merito, quod alioqui de se molestum fortàsse quibusdam atque ingratum videretur. Superest modò (Antistes humanissime) vt impetum illum animi mei non auerseris, eaque mihi apud te gratia sedeat, vt donarium illud exiguum, quo magnitudinem,

tuam adoraui, appendi in sacrario tuo patiaris, sitque nuncupati voti perpetuum posteritati monumentum. Vale, viue, vtinam diuturnior hominum recreator, quàm maturior Cælitum comes.

Tuus humillimus & obsequentissimus ad omnia paratissimus,
C. F. D'ABRA DE RACONIS.

AD LECTOREM.

QVo ergo tempore ductas per integrum ferè ſexennium lucubrationes ad meridianum ſolem impellere, & exceptos frequentiſſimis auditoribus labores meos, in publicam omnium vtilitatem dare meditabar, Lector beneuole, ſubijt animum meũ ſollicita & grauis illa quidem certè cogitatio, committere me in ampliſſimo totius orbis Theatro, nominis mei (quantulumcúmque eſt) famam, cum acerbiſſimis obloquutorum contumeliis; qui plerumque bonorum gloriam etſi prorſus non vellicant, fœda tamen conuitiorum aſpergine maculant, aut accuratis (vt aiunt) dolis expungunt. Neque me præterit ita fermè vnumquemque ſuſpicaturum, quaſi hoc ego cœperim conſilij, gloriolæ aucupandæ gratiâ magis, quàm vt ſtudioſorum ſtudia promouerem.

Scilicet ita est quorumdam hominum ferè ingenium à natura procliue ad suspicandi libidinem, & in obloquium prona semper malorum indoles. At enim quis iniiciat frænos petulantium oblateronum linguis? quis mētem opprimat suspicaci vulgo? Non possum secretas animorū cohibere cogitationes: liberū est cuique ita existimare vt volet. Tu interim, Lector beneuole, prætermissis importunis soricibus, qui suo se iudice produnt, & perdunt, qua erga optimum quemque esse soles animi lenitate, næuum tā miseræ suspicionis à me procul elimines, asserásque in æquius iudicium sinceritatem consilij mei. Nihil moror moros, & morosos homines, quantumlibet Argi & oculei sint, nequaquā inuenient qua ratione suspicacem mētem affirmare hanc possint. Vnum est quod accusare meritò videantur, (nisi me ab ea expostulatione vindicaret publicæ vtilitatis stu-

dium, frequénſque & importuna amicorũ efflagitatio) eam ſcilicet in ea ætate ſcribendi libidinem, præſertim cum illá euulgare audeam, quæ intrà pubertatis annos & meditatus ſum & interpretatus. Eſto verò id quidem, imò & addiderint quoq; ſi lubet, intra ætatis vndevigeſimum? quid indè mihi opprobrij, quid infamiæ affingunt? vſque adeóne humanum ingenium ſenilem, ſi contingat iIunioribus, exhorreſcit ſapientiam? Quidni ergo & pari iure tenellas adhuc damnãt arbores quæ præmaturos fructus ſuos tam celeriter exerunt, vt accedere aut innaſci arbori magis quàm ex eadẽ naſci videantur. Cæterum non eſt quod immatura hæc propellere me in vulgus expoſtulent Ariſtarchi moleſtiſſimi, concoxere hos fructus ſex & amplius æſtiui ſoles, indulgebit credo reliquos Horatius & benignus Lector ſtudioſæ iuuentutis, Adeo ſchedicum non eſt illud operis

neque quod fingi solet, vna luna aut nocte natum. Sed iam quæso missas faciamus querimonias; vnum est quod te monitum velim, studiose Lector, voluisse me referre ad concionatorum vsum quæcumque in Physica esse facilius videbantur, sicut præstiti ex Ethica, sed intercepit consilium illud quadragesimalium concionum onus, & incredibilis Typographi festinatio, quæ me à meo instituto non deterruit, sed reuocauit. Si quid tamen ex iis quæ poteris prælibare, ad palatum accesserit, habes animum vnà cum manu & stylo in eum laborem adhuc prominentem.

7

HOC TVVM, CLARISSIME DOMINE DE RACONIS, cultissimum Philosophiæ Corpus, seu Academici fati bonum omen accipio agnoscóque.

HOc erat, hoc omen, votis quod sæpè rogaui,
Abs quo Pierij dirigo sceptra chori,
Haud melius fissum iecoris, tonitrúsque dedissent.
Linguáve seruatæ, pennáve præbes auis,
Exuo corde metus. Vinces Academia, vinces.
Cernis quàm faciat prospera signa DRACO:
Ad Salamina truces Medas vicere Pelasgi;
Ad Zamam vicit Scipio Sidonios.
Vicit Alexander totum (quis crederet?) orbem:
Te dedit Augustus Martia Roma Iugo.
Scilicet hos atque hos visi exciuere DRACONES;
Ante ortum, ante tubam faustus vbique DRACO.
Ergo quin cessas Academia ponere luctus?
Quin sperare iterum læta trophæa potes?
Quin potes ire hostem contra, & spolia ampla referre?
Non visi prius en signa DRACONIS *habes.*
Vix illi vixere diem. Hoc demissus Olympo
Ænum exæquabit diua Sophia tuum.
Parte minore sui ij nomen meruere DRACONIS,
Hic maiore sui. Totus hic est oculus.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΚΑΙ
ΡΑΚΟΝΙΟΣ παράλληλα ἑξάστιχα.

Δέξατ' Ἀριστοτέλης παλαιῶν πᾶν δόγμα σοφιστῶν,
Τῶν νῦν, καὶ παλαιῶν ἀγχίνοος ΡΑΚΟΝΙΣ.
Κείνου γλῶσσα ἐὴν ποτὲ Ἑλλάδος εὐψυχέεσιο,
Τῆς Ῥωμαϊκῶν ἡ σαλάουσα μέλι.
Ἐν σοφίης ἀμφοῖν κλέος, ἀλλὰ πόνημα σφὸν ἄλλος,
Δρέψατο μεγάλεος, σφὸν ΡΑΚΟΝΙΣ ὁ νέος.

I. RVALDVS, Rector Academiæ Parisiensis.

IN CLARISSIMI ET ERVDITISS.
VIRI D. F. D'ABRA DE RACONIS,
Theosophiæ Doctoris Aureolum
libellum Logicum.

FED. MORELLI *Professoris Reg. Decani, Iambici Senarij.*

SAGACITAS quidnam sit & solertia,
(Docto Stagiritæ ἀγχίνια quæ cluet)
Qui scire vult, ABRÆ RACONIS perlegat
Doctam Synopsim differendi Artis, sciet
Sagacius nihil, nihil solertius,
Et clarius scribi de ea Methodo potest:
Qua acutius cernes DRACONE Epidaurio,
Quæ vera sunt, quæ falsa, quæ sophistica.

AD CAROLVM FRANCISCVM D'ABRA DE RACONIS.

QVAM benè seruasti de RACONIS, iussa DRACONIS.
Quæ tulit, vt segnes otia morte luant.
Otia te vitare frequens tibi concio monstrat,
In lucem qui nunc mittitur, ísque liber
Voce moues, sed scripta docent: tua concio mentes
Accendit; lumen sed tua scripta ferunt.
Quæ facienda forent, statuit lex dura DRACONIS,
Exemplis, sed tu, quæ facienda doces.

FRANCISCVS HALLIER,
Physicæ Cardinalitius Profess.

OMne tulit punctum qui miscuit vtile dulci,
Non minus at claro qui breue iunxit opus,
Omnibus his altum rationum si quis acumen
Addiderit, meritò suspiciendus erat.
Quis te RACONIDES *non amplexabitur, vnà*
Subtili, ac facili dum breuitate places?

PETRVS HALLIER, alter Cardinalitiæ Philosophiæ Professor.

IN PHILOSOPHICVM OPVS D. DE RACONIS.

QVęrè per antiquos ſcriptorum ſparſa libellos,
Dogmata: quicquid habent hæc, opus iſtud habet.

GERALDVS CORDEMOY diſcip.

ALIVD EIVSDEM.

QVi cuncta toruè recta ſpectas, inuide,
Quæcumque ſunt hic recta ſunt; his inuide.

Τῷ χαριέντι, καὶ πολυθρυλλήτῳ τῶν φιλοσόφων.

C. F. D. D. R.

Ἐπίγραμμα.

ΠΑνσπερμία λόγων λίπετ' ἀλλ' ἐν πέντε σπούδαις.
Παρ' Ἀριστοτέλει πολλὰ καλυπτεμμένη.
Τούτῳ μὲν πάντες μυστήρια πάντα ὀφείλειν,
Ἀλλὰ δέ σοι κρόταλον σύμφασι λαμπρότατον.

N. LE RICHE, eius diſcipulus.

APPROBATIO.

NOs ſubſcripti Doctores, hos commentarios tanquam gemmas ex fœlici fœlicioris ingenij ſtudio in Ariſtotelis Philoſophiam erumpentes, qui eiuſmodi circumferuntur titulo, *Caroli de Raconis Philoſophiæ Profeſſoris, & in Theologia Baccalaurei, accurata organi Logici explanatio* legimus, in quibus nihil fidei aut religioni Catholicę offendimus diſſentaneum: imó plurima valdè comperimus elaborata, quę in lucem euulgata non parum Philoſophię & Theologię ſtudioſos promouere, promotos illuſtrare, & illuſtratos Eccleſię prodeſſe valeant. Datum Pariſiis 21. menſis Februarij, Anno 1617.

LOPPE'.

A. LAMBERT.

10

INDEX PER ORDINEM RERVM, QVÆ IN HAC PRIMA Philosophiæ parte, Logica nempè, continentur.

De propositione, seu enuntiatione Præfatio.

Prior Tractatus huius Partis unica disputatione contentus de Principiis propositionum, Nomine scilicet & Verbo, aliisque eò pertinentibus.

Posterior Tractatus unica pariter disputatione comprehensus de ipsa Propositione, seu Enuntiatione.

F I N I S.

ACVRATA
ORGANI LOGICI
EXPLANATIO.

PRÆFATIO.

VT NATVRA Deum, sic ars naturam imitatur: Deus eximio totius creationis operi eximium fastigium imposuit, cæterisque creaturis ex nihilo productis, hominem orbis vniuersi compendium, summam tabellam, diuinæ suæ artis magnitudinem, & perfectionem manifestè testaturus, compingere, ac in eo tamquam in fortissimo Mineruæ scuto, viuam sui exprimere statuit imaginem. Natura prolem genitura, ac fœtum in lucem editura, primò aliquid tenerum, impolitum, sine partium distinctione, ac situ eiicit, donec sensim temporisque progressu, singulari eius dono, ac industriâ, debitam naturæ suæ perfectionem perfectè fuerit assecutum. Ars denique naturæ simia, quasi primis operibus minùs intenta, aspera illa, impolita, omnique ornatu destituta efficit, tùm ea ma-

gis ac magis expolire, tandemque ſuprema manu addita, ad eam perfectionem ſolet perducere, in qua ſint oculis voluptatem, & artifici honorem ſingularem allatura. Ergo Dei, naturę, artiſque æmulus, ac religioſiſſimus obſeruator, totius Dialecticæ opus aggreſſurus, eiuſque imaginem delineaturus, rudi primùm breuique penicillo rudiores tantum breuioreſque lineas duxi, perfectiori, ſubtiliorique penicillo (hac ſcilicet generali & accurata tractatione) exquiſitiores, perfectioreſque ducturus. Tribus autem coloribus hæc Dialecticæ imago, quam depingere meditamur, diſtinguetur, ***Simplicibus terminis***, ad primam mentis operationem pertinentibus, ***Propoſitionibus***, ad ſecundam dirigendam conducentibus, & ***Argumentatione***, quæ tertia mentis actio eſt. Sed ne nimis ex abrupto ordiri videamur, quædam de Dialectica neceſſariò præmittenda ſunt.

PRÆLVDIA
DE DIALECTICA.
PRÆLVDIVM I.
De eius nominibus.

PRÆTER periphraſtica huius diſciplinæ nomina, vt cùm oculus mentis, rationis cynoſura, manus Philoſophiæ, ianua ſcientiarum, qua aperta ad illas apertus eſt aditus, qua clauſa ad eaſdem inacceſſus eſt acceſſus, ars artium, ſcientia ſcientiarum, & ſexcentis id genus nominibus, vel potius elogiis honorificè nuncupatur: Alia ſunt propria quæ ipſius naturam magis exprimunt, mentique noſtræ ſubiiciunt, Logica, Dialectica, Organum.

Quod ſpectat ad Logicam, eius origo à nomine Græco λόγος deducitur. Quo verò modo vſurpari debeat, non mediocriter agitatur, ideoque ante omnia ſtatuendum eſt.

Λόγος igitur accipitur primò, pro quolibet ſermone tam externo, ſeu vocali, ſeu ſcripto, quàm interno, ſeu eo quem intra mentem tacitè efformamus, vt apud Ariſt. 1. de Demonſt. cap. 4.

Hoc modo ab eo non deducitur Logica, quippe quæ per ſe, ad talem ſermonem exteriorem non

referatur sed solùm ad interiorem, vt ex eo patet quòd is perfectus possit esse Logicus, cui lingua auulsa, & manns esset amputata, solúmque interiùs discurrere, definire, diuidere, & argumentari posset.

Dixi, *per se*, nam per accidens fieri potest vt ad sermonem exteriorem extendatur, vt si Logicus, qui diu in mente ratiocinatus fuisset, posteà sermone exteriori, vel vocali, vel scripto, vellet aliis animi sui sensa, & interiores conceptus patefacere.

2. Accipitur λόγος pro sola rei definitione, vt apud Arist. in Antepræd.

3. Pro sola argumentatione, vt 3. Phys. textu. 75. Quo vtroque modo ab eo nequaquam deriuatur Logica, quippe quæ non de sola definitione, aut solâ argumentatione, sed de vtraque simul, & præterea de diuisione, & methodo, ex proprio instituto disserat, vt ex progressu constabit.

4. Vsurpatur λόγος pro ipsomet intellectu.

5. Et communiter sumitur pro quolibet sermone interiori, seu operatione intellectus: hocque vtroque sensu dicimus Logicam ab ipso nomine λόγος suum ortum repetere, cùm tota respiciat intellectum, & eius operationes; omnemqne suam in illis ad veritatem dirigendis, operam ponat, vt posteà apertiùs demonstrabimns.

Quod attinet ad Dialecticam, ipsa vt in Compendio diximns, à verbo διαλέγεσθαι deriuatur.

Variis autem modis verbum illud vsurpatur: primò latissimè pro omni vsu rationis, & orationis homini proprio, atque ab eo sic sumpto non deducitur Dialectica: si quidem cùm omnis ars, omnisque disciplina, ex fine, & materia, de qua per se agit, soleat appellationem desumere, Dialecticæ finis esset agere de omni vsu rationis, & orationis,

qui poteſt homini conuenire, quod tamen omnino falſum eſt, cum duntaxat de interiori ſermone verba faciat, non autem de externo, exterioriquè oratione, cuius tamen homini vſus competere poteſt.

2. Accipitur διαλέγεσθαι Latinè, diſſerere, vt ſit idem ac probabiliter diſputare.

3. Vt ſit idem ac neceſſariò, ſeu ex neceſſariis diſputare.

4. Vt ſignificet cùm probabiliter, tùm etiam neceſſariò diſputare. Ab hoc verbo his modis conſiderato noſtra Dialectica minimè deriuetur : ſiquidem ipſa non tantùm intendit, tamquam finem, tradere modum diſputandi, aut probabiliter tantum, aut tantum neceſſariò, aut denique vtroque modo, ſed præterea definiendi, ac diuidendi leges præſcribit. Quare cùm ex dictis, à fine, & materia, de qua agit Dialectica, denominari debeat; à verbo διαλέγεσθαι appellationem non ſortitur, vt tribus modis ſuprà aſſignatis ſumitur, ſed potius ab eo quatenus ſignificat ignotum ex noto patefacere, tum definiendo, tum diuidendo, tum etiam argumentando : ſic enim diſſerere id omne complectitur de quo in Dialectica, ſeu Logica (hæc enim duo promiſcuè & indiſcriminatim vſurpari debent) diſputatio excitari poteſt.

Poſtremum nomen eſt, *Organum*, quo ipſa noſtra Dialectica indigitatur, & non immeritò, ipſa enim erga alias ſcientias organi munere perfectè fungitur: ſicut enim organum in rebus artificioſis id dicitur, quod ad opus conficiendum aſſumitur, vt calamus ad litteras efformandas ; ita Logica aliarum ſcientiarum organum dici poteſt, quia ad eas efficiendas & comparandas vſurpatur, cùm doceat modum ſciendi definiendi nimirum, diuidendi. & argumentandi, per quem animis noſtris ingenerantur ſciẽtiæ.

nullus admiſerit, Verum quia hæc ratio de neceſſitate Logicæ, longiori, & accuratori indiget examine, præſtat eam diſtincto cap. expendere.

De neceſſitate Logicæ artificioſæ. CAP. II.

NOtandum eſt primò, aliquid generatim neceſſarium eſſe duobus modis, primò *abſolutè, & ſimpliciter*, quia abſolutè deſinere, aut aliter ſe habere non poteſt, vt Deus Opt. Max. iſque ſolus. 2. *hypothetice & ex ſuppoſitione*, quia ſi aliquid ſuppoſueris, illud ueceſſariò conſequetur, vt animal comedere, ſi ex hypotheſi poſueris illud vitam ſuam ſuſtinere velle: eſto enim, ſimpliciter & abſolutè loquendo, animali non ſit neceſſarium comedere, facta tamen ſuppoſitione, quòd vitam ſuam prorogare velit, id omnino neceſſarium eſt.

Notandum eſt 2. neceſſarium ex hypotheſi eſſe adhuc in duplici differentia, aliud *abſolutè & ſimpliciter*, vt ad vitam ſuſtinendam manducare, aliud tantum *ſecundum quid*, & (vt loquuntur) *ad melius eſſe*, vt ad faciendum iter, equus, licet enim iter fieri ſine equo poſſit, cum eo tamen commodiùs, faciliùſque conficietur.

Notandum 3. ſcientias conſiderari poſſe in duplici ſtatu. *perfecto* ſcilicet, & *imperfecto*.

Scientiæ *in ſtatu perfecto* cenſentur, cùm nihil deſiderari poteſt quo ipſæ perficiantur, vt Phyſica, ſi quis omnes eius concluſiones ita exploratas haberet, & cum tanta certitudine & euidentia teneret, vt de illis nullatenus dubitare poſſet.

Imperfectus verò *ſcientiarum ſtatus* is dicitur eſſe, in quo nec omnes earum concluſiones percipiuntur, nec ea certitudine, & euidentia habentur, vt omnem dubitationem ab animis eiiciant, in quo ſtatu,

diceretur Physica, si quædam tantum eius conclusiones, & non omnes intelligerentur, vel cum tam exigua certitudine haberentur, vt posset adhuc de illarum veritate moueri dubitatio. His ita notatis certa sunt primò ab incertis seligenda.

Primùm est, Logicam non esse simpliciter, & absolutè necessariam, sed tantum ex hypothesi, quòd aliæ scientiæ in statu perfecto comparari debeant.

Ratio est clara, quia si quis ad alias scientias non contenderet, illi necessaria non foret Dialectica, quæ ad ipsas viam sternere debet.

Secundùm est, ad scientias imperfectè consequendas non esse absolutè necessariam.

Probatur experientiâ: multi ante inuentionem, vel potius reparationem Logicæ, nonnulla certò cognouerunt, tùm ex Mathematicis, tùm etiam ex aliis disciplinis, si non perfectè, saltem imperfectè: igitur ad statum scientiarum imperfectum non omnino necessaria est Dialectica.

Tertiùm, facta suppositione quòd aliæ scientiæ comparari debeant in statu perfecto, Logicam esse perutilem.

Probatur: ea disciplina ad scientias capessendas est perutilis quæ sciendi modum rationemque tradit: atqui Logica ex prędictis id ipsum pręstat: igitur ad alias scientias in statu perfecto addiscendas perutilis existimanda est.

In hoc itaque tantum remanet difficultas, an Logica reliquis scientiis *in statu perfecto* consideratis ita sit necessaria, vt in tanta perfectione sine ipsa obtineri nequeant.

Iauellus tractatu primo suæ Logicæ cap. 4. Iandunus primo Metaph. quæst. 2. cum plurib. aliis negatiuam partem propugnant.

Alij è contrario & longè probabilius affirmantem amplectuntur, Logicam ad omnes ſcientias in ſtatu perfecto comparandas ſimpliciter & abſolutè eſſe neceſſariam. Hanc ſententiam ſua auctoritate confirmat lumen Eccleſiæ D. Auguſt. lib. 2. contra Creſconium grammaticum, qui ei Dialecticam vt Chriſtiano militi incongruam obiiciebat, ſic enim eum alloquitur. *Quare* (inquit) *te in tantum periculum iniecisti ſi diſputare non noueras? aut ſi noueras, cur Dialecticus Dialecticam criminaris?* Quaſi diceret, imprudenter egiſti, qui dum diſputandi modum ſeu Dialecticam ignorares, dubiam tamen diſputationis aleam auſus es experiri, aut qui dum eius pręceptis fueris inſtructus, ipſam tamen iniuriis laceſcere non dubitaſti: ex quo patet ſecundum D. Auguſtinum, neminem ſine Logica diſputandi modum tenere poſſe.

Hinc primum ſumitur noſtræ ſententiæ argumentum. Nemo ſcientias in ſtatu perfecto comparare ſibi poteſt, niſi probè teneat argnmentandi modum, quia ſcientiæ per demonſtrationem (quæ eſt ſpecies argumentationis) gignuntur, vt patebit infra agendo de Demonſt. Atqui nemo probè tenet diſputandi, & argumentandi modum, ex D. Auguſt. citato, ſine Logica: ergo ſcientias ſibi perfectè comparare ſine Logica nemo poteſt.

Secundum argumentum. Scientiam in ſtatu perfecto nullus creditur adeptus, niſi qui rem ita certò & euidenter cognouerit, vt de ea nulla poſſit dubitatione detineri: atqui nullus eiuſmodi aſſignari poteſt, Logicâ deſtitutus: ergo ſine Logica ſcientias in ſtatu perfecto aſſequi nemo poteſt: Maior propoſitio patet ex dictis: Minor verò probatur. Nullus poteſt certò, & euidenter rem cognoſcere, qui po-

test dubitare an demonstratio per quam eius cognitionem assecutus est, in legitima figura fuerit cõstructa, beneque concludat: at quiuis potest esse dubius an illa demonstratio, qua ad rei alicuius notitiam assurexit, sit in legitima figura, recteque concludat, qui prius non nouerit Dialecticam, quæ (vt sæpius dictum est) has argumentandi leges tradit: igitur absque Logicæ adminiculo nemo potest scientias in statu perfectionis acquirere.

Obiicies primò. Dialectica inutilis est, & perniciosa, tum quia multitudine præceptorum mentem obruit: tum quia multis nocet ac in errorem inducit: ergo non est ad omnes Philosophiæ partes necessaria.

Respondeo negando antecedens: ad primam eius probationem dico Dialecticam potius suis præceptis mentem confirmare, & à lapsu præseruare, quàm obruere.

Ad secundam dico, Dialecticam homines nequaquam in errorem inducere, sed potius docere quomodo à laqueis erroris, quibus sophistæ imprudentes irretire conantur, sese expedire possint.

Obiicies 2. Cæteræ scientiæ habent suas definitiones, diuisiones, & argumentationes; ergo ad illas non est necessaria Dialectica, cùm eis duntaxat vsui esse possit ad tradendas definitiones, diuisiones, & argumentationes.

Respondeo ad antecedens, scientias habere quidem materiam, ex qua fiant definitiones, diuisiones, & argumenta, non tamen modum quo ipsa conficiuntur, sed hunc à Logica mutuari.

Obiicies 3. Opera naturę perfectiora sunt artis operibus, pariterque certiora, ex Aristotele 2. Phys. cap. 2. ergo per Logicam naturalẽ facilius scientias in statu perfectionis cõparabimus, quàm per artificiosam.

Respondeo ad antecedens, ea quæ fiunt à natura esse in duplici differentia: Alia eodem semper modo fiunt, & dicuntur ad vnum determinata, vt calefactio ignis, circularis cœli motus, &c. semper enim ignis calefacit, semper cœlum circulariter voluitur, & ita de cęteris: Alia non eodem semper modo fiunt, sed interdum benè, interdũ malè, vt actio scribendi, depingendi: actio item appetitus, qui modo in vnam, modo in alteram partem fertur: intellectio denique ipsa quæ interdum rem bene percipit, interdum verò & sæpius aberrat: Iam quod spectat ad primum genus eorum quæ fiunt à natura, certissimum est illa esse quauis arte certiora, quia nunquam deflectere possunt, ars verò aliquando degenerat: & de iis explicandus est Aristoteles loco in obiectione citato.

Quantùm verò attinet ad posterius genus eorum quæ proficiscuntur à natura, respõdendum est re vera naturam non esse arte certiorem, sed ipsam exigere vt roboretur, & dirigatur in suis operationibus, ac proinde cùm Logica naturalis, vt pote ipsemet noster intellectus, quatenus vi sua sine præceptis definire, diuidere, & argumentari potest, sit à natura, hoc posteriori modo non erit certior ipsa Dialectica artificiosa, sed illam amicè postulabit.

Obiicies 4. Si Logica artificiosa ad omnes scientias in statu perfecto consequendas necessariò requiratur, cùm ipsa sit pariter scientia, nunquam perfectè poterit obtineri, nisi sui ipsius beneficio: atqui videtur absurdum vnum sibi ipsi esse necessarium, quia seipso esset prius: ergo Logica artificiosa omnibus scientiis in statu perfecto obtinendis est non simpliciter & absolutè necessaria.

Respondeo primò ad minorem propositionem, Logicam posse dici necessariam, secundùm diuer-

ſas partes, ita vt vna conducat ad aliam, definitio ad diuiſionem, & vtraque ad argumentationem: ſicut oculus manum iuuat, manus pedem, & ſic de reliquis corporis partibus, quæ mutua ſibi præſtant officia.

Reſpondeo 2. ad maiorem, Logicam ad eas ſcientias perfectè acquirendas ſimpliciter eſſe neceſſariam, quarum eſt inſtrumentum, & quas antecedit in ſtatu perfecto: At ſeipſam hoc modo non antecedere: ideoque ad ſeipſam, ſicut ad alias ſcientias, non eſſe neceſſariam.

Inſtabis, cæteræ ſcientiæ præcedunt Logicam: ergo hæc poſterior reſponſio, quæ ſupponit contrarium, nulla eſt: antecedens hac ratione probabis. Omnis habitus directus eſt prior reflexo: ſicut directus pilæ in parietem motus, eadem reflectione prior eſt: Atqui cæteræ ſcientiæ ſunt habitus directi, & per directam actionem intellectus acquiſitio; Logica vero reflexu, & per reflexam intellectus operationem comparatus, cum ſcilicet intellectus poſt factam aliquam definitionem, ſupra ſe regreditur, illamque expendit, & examinat, an ſit legitima, & regulis artis conſentanea: ergo reliquæ ſcientiæ Logicam antecedunt.

Diſtinguendum eſt antecedens. Cæteræ ſcientiæ præcedunt in ſtatu imperfecto, concedo: in ſtatu vero perfecto, nego. Ad probationem dicendum eſt, ſcientias quidem alias, actione directa comparari in ſtatu imperfecto, non eſſe tamen perfectas donec acceſſerit actio reflexa Logicæ diligenter examinantis, num definitiones, diuiſiones, & argumentationes, quæ in aliis ſcientiis factæ ſunt, legitimæ ſint & nullo vitio laborent. Exemplum ſit; aliquis per directam actionem intellectus

hanc nouit Physicam conclusionem, *cœlum est mobile*, idque per hanc demonstrationem,

Omne corpus naturale est mobile,
Cœlum est corpus naturale,
Ergo cœlum est mobile.

Iam huius conclusionis imperfectam tantum obtinet scientiam, donec Logicæ præceptis fuerit instructus, quia potest dubitare an benè deducatur ex præmissis. At postquam accepit Dialecticæ regulas, & supra se regressus est, examinauitque suam argumentationem, tunc perfectam consequitur huius conclusionis scientiam, quia probè tenet optimam eius, & necessariam cum suis præmissis connexionem: itaque semper apparet perfectum aliarum scientiarum statum, actionem reflexam seu examen intellectus, & ipsam Dialecticam exigere, nec illam proinde antecedere.

SECTIO PRIMA.

Qua ratione inuenta sit Logica.

De origine Logicæ. CAP. III.

NOtandum est primò ad inuentionem cuiuscumque artis, duo concurrere principia, scilicet *admirationem & experientiam. Admirationem*, quia cùm aliquis effectus nouus de repentè occurrit, mens statim summa admiratione percellitur, indeque ad eius inuestigationem studiosè progregitur: *Experientiam* verò, quia vbi animus fuit tali admiratione excitatus, statim an idem redeat effectus experiri conatur; quod si id multis, & iteratis vicibus præstiterit, idemque semper contingere animaduerterit, tunc conficiet propositionem generalem de qua comparabitur scientia.

Exemplum, qui primùm Lunæ eclipsim experti ſunt, ſtatim magna admiratione fuerunt commoti, hinc cauſam illius diligenter inquiſiuerunt, tandemque multis experimentis didicerunt, eam fieri ob interpoſitionem terræ inter Solem & Lunam, deinde verò hanc propoſitionem vniuerſalem omnino certam & neceſſariam protulerunt, ***Eclipſis Lunæ contingit propter interpoſitionẽ terræ inter Solem & Lunã.***

Ex his facile intelligere eſt, ***admirationem*** eſſe duntaxat remotum ſcientiarum inueniendarum principium, quia niſi poſt admirationem experientia ſequatur, numquam certè comparabitur ſcientia: ***experientiam*** verò eſſe proximum, quia ſi primum acceſſerit, generalis propoſitio quæ eſt ſcientifica, conficietur.

Obiicies: Experientia nos ſæpiſſimè fallit, vt cùm per illam iudicamus ſolem pedalis tantùm eſſe magnitudinis, licet tamen totius terræ molem multoties exuperet: ergo experientia non poteſt eſſe ſcientiarum principium.

Diſtinguo antecedens: experientia nos plerumque in errorem deducit: inchoata & imperfecta, concedo, perfecta verò & ex longo vſu formata, nego. Et hæc eſt quam nos ſcientiarum principium ſtatuimus.

Notandum 2. actionem per quam ars aliqua vel ſcientia acquiritur, eſſe duplicem, vnam directam. alteram reflexam.

Directa ea dicitur, qua in rem directè ferimur, vt cùm hominem definimus ***animal rationis particeps.***

Reflexa verò eſt examen prioris, directæque actionis, cùm ſupra nos regredimur, curioſè expendentes, num actio noſtra, vt potè definitio, vera ſit, an falſa. His duobus poſitis rem totam duplici propoſitione explicamus.

Prima propositio.

Logica non fuit ab initio humana industria reperta, sed à Deo opt. max. primo nostro parenti infusa.

Hæc propositio ab omnibus Philosophis & Theologis admittitur, hacque facili ratione ostenditur: Decuit primum hominem esse ab initio perfectissimum: ergo cùm Logica ad hominis perfectionem plurimùm conferat, debuit ab initio in ipso primo parente existere, proindéque illi à Deo infusam fuisse necesse est.

Secunda propositio.

Siue per hominum inertiam, ad quos à primo paréte, quasi hæreditario iure fuerat cum aliis scientiis transmissa Dialectica, tota ipsa corruerit, siue tantùm aliquæ eius partes, restitutio hac ratione facta est. Cùm primùm homines definirent, diuiderent, & argumentarentur, cognouerunt se nonnumquam rectè definire, diuidere & argumentari, nonnumquam verò aberrare, hinc nata admiratio, quæ inquirendæ causæ studium mouit; quaquidem causa explorata, facilè iudicarunt se tunc legitimas definitiones conficere (quod simili modo de diuisione, & argumentatione dici debet) cùm proprium & immediatum genus, vnà cum propria differentia assumerent, malas verò cùm contrarium agerent, tandemque propositionem generalem omnino certam & necessariam protulerunt, *Bona definitio constare debet proprio & immediato genere, propriaque differentia* (quod quomodo sit verum alibi dicemus) & sic huius rei scientiam compararunt.

Ex his primò sequitur comparatam fuisse Logicam *reflexa operatione intellectus*: si quidem non statim atque definitio aliqua facta est, v.g. de ea scientia

haberi potuit, sed ex posteriori propositione debuit intellectus se supra seipsum reflectere, illamque definionem, num esset legitima, accuratè examinare, hocque examine multoties iterato, generales definitionis leges tradere, ac tandem sciétiam acquirere.

Secundò, sequitur tam ex præcedenti cap. quàm hac præsenti sectione, prius restitutam fuisse Dialecticam, siue secundum se totam, siue secundum aliquas partes, quæ perierant, quàm aliæ extinctæ fuerint restauratæ; attamen has scientias imperfectè potuisse prius reparari, quàm Logica restitueretur.

Prior pars huius corollarij clarè demonstratur. Nullæ scientiæ in statu perfecto obtineri possunt sine Logica, ex cap. præcedenti: ergo nec reparari ante restitutionem eius.

Posterior verò pars sine negotio ostenditur. Cæteræ scientiæ Logicæ opera non indigent, nisi vt in statu perfectionis acquirantur, & non vt imperfecto quodãmodo habeantur: ergo in hoc imperfecto statu reparari potuerunt ante restauratam Dialecticam.

SECTIO SECVNDA.

Quinam fuerint Dialecticæ Reparatores?

ERrant qui totius Logicæ inuentionem, & restaurationem Zenoni adscribunt, vt Stoici apud Diogenem Laërtium in vita Zenonis: falluntur qui hoc totum negotium Platoni adscribunt, vt Platonici: denique plus æquo largiuntur Aristoteli, qui huius reparatæ Dialecticæ eum solum auctorem agnoscunt.

Itaque dicendum est nonnullas ante Arist. extitisse Logicæ partes, tam quæ post primum parentem integræ

integræ manſerant, nec omnino fuerant extinctæ, quàm quæ ab aliis authoribus, puta Zenone, Platone, & ab aliis fuerãt reſtauratæ: maximè tamen Ariſtotelem legitimum ipſius Dialecticæ parentem, & reparatorem eſſe exiſtimandum: tum quòd longè plura quæ latebant ipſius Logicæ dogmata, pro ſingulari ingenij ſui acumine repararit: tùm quòd ea quæ ab aliis ſparſim & inordinatè fuerant digeſta in facilem ordinem redegerit, vnámque ex illis omnibus artem (quam nos Ligicã nuncupamus) cõpoſuerit, vt ex doctiſſimis eius libris facilè intelligitur.

PRÆLVDIVM TERTIVM.

De natura & eſſentia Logicæ.

Quid ſit Logica. CAP. I.

PRæcipua quæſtio eſt, quiſnam habitus intellectus Logica ſit. Ad cuius explicationem.

Notandum breuiter primò eſt, ***habitum*** nihil aliud eſſe quàm facilitatem aliquam ad operandum; v. g. habitum intellectus aliud nihil eſſe, quàm vim & qualitatem ipſi inhærentem, cuius beneficio promptè, & facilè operatur, cùm antea aliquam pateretur in operando difficultatem.

Notandum 2. habitus intellectus alios eſſe veros ſemper, alios ſemper falſos, alios denique intermedios, qui veri, vel falſi eſſe poſſunt.

Primi generis quinque ſunt, intelligentia, ſapientia, prudentia, ars, & ſcientia.

Intelligentia nihil aliud eſt, quàm cognitio primorum principiorum, vt, quodlibet eſt, vel non eſt: totum eſt maius ſua parte.

Sapientia eſt ea quæ ad rerum altiſſimarum, putà Dei & Angelorum, notitiam aſſurgit.

B

Prudentia est voluntatis regula, eam in particularibus negotiis dirigens.

Ars est habitus circa res externas occupatus.

Scientia denique communiter dicitur certa cognitio rei per causam.

Habitus verò *semper falsi*, duo ***Error*** & ***hæresis.***

Denique ***intermedij*** sunt probabiles quædam opiniones, & dicuntur opinatiui, ad quos non abs re ***facultatem*** reuocabis, quatenus sumitur pro illo habitu, quo aliquis instructus, pro libito potest vtramque contradictionis partem ex æquo propugnare; quo modo eam accipiunt, qui Logicam facultatem esse contendunt.

Notandum 3. vt pateat de qua hîc Logica sermo sit, Logicam vulgò duplicem constitui, ***docentem***, & ***vtentem.***

Docens dicitur, quæ definiendi, diuidendi & argumentandi modum tradit, nec tamen cum aliis scientiis miscetur, & ideo dicitur ***auulsa.***

Vtens verò quæ in omnibus scientiis his sciendi instrumentis, nimirum definitione, diuisione, & argumentatione vtitur, & propterea cum illis dicitur ***permixta*** & ***coniuncta.***

An autem, & quomodo distinguantur inter se, non conuenit inter omnes, ideoque iuuat hanc controuersiam breuiter dirimere.

Nonnulli asserunt Logicam docentem & vtentem esse duos habitus essentialiter & specie distinctos.

Alij, quorum opinioni lubens subscribo, istud probabilius inficiantur, hac potissimum ratione ducti: ***Quando non occurrunt diuersæ difficultates, non sunt diuersi habitus constituendi***, quia habitus tantùm ad superandas difficultates, & præbendam in operan-

ad facilitatem admittnntur: Atqui in Logica, *docen-*
te, & *vtente non sunt diuersæ difficultates*, nam *docens*,
tradit modum definiendi, diuidendi, & argumentan-
di absolutè, & speciatim in materiam Dialecticæ: *v-*
tens verò inclinat nos ad eadem præstanda, sed in ma-
teriam aliarum scientiarum, Physicæ, v.g. Metaphy-
sicæ, sed alterius eiusmodi: definire autem, diuidere,
vel argumentari absolutè vel in materia Logicæ, &
definire, diuidere, & argumentari in materia alterius
scientiæ, non sunt diuersæ difficultates: sicut ædifica-
re absolutè, vel etiam Lutetiæ secundùm præcepta
artis ædificandi, & in alijs locis ædificare, non sunt
diuersæ difficultates: ergo Logica docens, & vtens,
non sunt diuersi specie, & essentialiter habitus: sicut
Architectura, quæ docet absolutè ædificare, & ideò
docens dici potest, non distinguitur essentialiter ab
Architectura illa, quæ præceptis à docente traditis
vtitur ad ædificandum in quolibet loco, & propterea
non iniuria vtens appellatur.

Obijcies. Obiecta Logicæ docentis & vtentis sunt
essentialiter distincta, nam obiectum Logicæ docen-
tis est tantùm modus disserendi, illáque materia quæ
in Logica pertractatur: vtentis verò obiectum, est
materia aliarum omnium scientiarum, cui applicari
possunt definiendi, diuidendi, & argumentandi præ-
cepta: ergo & actus Logicæ docentis, & vtentis, erũt
specie & essentialiter distincti: ergo & Logica do-
cens & vtens essentialiter distinguentur.

Neganda est prior consequentia: Etenim circa ob-
iecta specie, & essentialiter distincta possunt versari
actus eiusdem speciei, & essentiæ, solóque numero
distincti, vt eadem specie, & essentialiter visiones cir-
ca lumen & colorem, quæ citra dubium specie, & es-
sentialiter distinguuntur: proindéque licet obiecta

Logicæ docentis & vtentis essentialiter sint distincta, poterunt tamen eiusdem speciei & essentię actus, verbi gratia definitiones, circa illa versari.

Notandum est 4. nos hoc loco tantùm de Logica *docente*, non autem de *vtente* agere.

Notandum quintò, Artis nomen bifariam vsurpari. Primò latè & impropriè pro collectione *multarum præceptionum ad finem aliquem vitæ vtilem conducentium*, quo sensu ars potest esse sciētia. 2. strictè & propriè: *Pro illo habitu qui per se circa materiam exteriorem occupatur*. Quod quidē præstat duob. modis: primo aliquod opus permanens, & quod sensu percipiatur relinquendo, vt ars ædificatoria, quæ post actionem suam ædificium relinquit. 2. nullum opus relinquendo quod post actionē percipiatur, vt ars saltādi, nā eius actione peracta nihil remanet quod in sensus incurrat; prior, *ars effectiua* dicitur, posterior, *actiua*.

Ex quo intelligis hoc discrimen posse constitui inter effectionem, & actionem, quòd post effectionem externum aliquod opus sequatur, vt in priori exemplo ostensum est: post verò actionem, nullum, vt in priori exemplo cernitur: Quod tamen discrimē non ita religiosè seruat Aristoteles, quin multoties indifferenter effectionem & actionem accipiat. Quo fit vt sæpiùs artes actiuas cum effectiuis confundere videatur. Quod si tibi id aliquando occurreret, ne propterea commouearis, sed statim respondeas iis locis Aristotelē non propriè nomen vel actionis, vel effectionis accepisse, sed indiscriminatim, & impropriè.

Notandum vltimò scientiæ pariter nomen duobus modis vsurpari, *primò* lata & impropria significatione pro quacumque cognitione, siue illa fuerit necessaria, siue tantum opinatiua & probabilis: quo sensu Grammatica dicitur scientia, quia cognitio

ædam est. 2.sumitur *propriè* pro cognitione certa,
cessaria & euidenti alicuius rei per causam, vt fa-
ltas admirandi per ratiocinandi potentiam, quæ
ius causa est. His omnibus notatis, sit

Prima propositio.

LOgica est habitus intellectus.
Probatur: Habitus intellectus, (vt notauimus) nihil est aliud quàm vis & qualitas quędam inhęrens intellectui, beneficio cuius ipse intellectus munera sua expeditiùs obit, & exequitur faciliùs: Atqui Logica omnino talis est, quippe quæ in intellectu, tanquam in principio subiecto manet, illíque confert facilitatem ad actiones suas tutiùs exercendas, nempe definiendum, diuidendum, & argumentandum: ergo re vera Logica est habitus intellectus.

Secunda propositio.

LOgica nec est intelligentia, nec sapientia, nec prudentia.
Ratio clara est: Intelligentia versari debet circa prima & notissima principia: Sapientia circa Deum & Angelos: Prudentiæ munus est regere voluntatem: atqui nullum horum præstat Logica, sed solum occupatur circa humani intellectus operationes, vt illas ad veritatis inuestigationem dirigat, sicut infrà docebimus: ergo Logica neque est intelligentia, neque sapientia, neque prudentia.

Tertia propositio.

LOgica non est habitus semper falsus, vtpotè error vel hæresis, neque opinatiuus. De priori parte nemo dubitat; posterior verò his rationibus confirmabitur, quib. infrà probabimus Logicam esse

ſcientiam,ſeu certam & neceſſariam cognitionem.

Quarta propoſitio.

Logica poteſt dici ars impropriè ſumpta.

Probatur. *Ars impropriè ſumpta* dicitur, quæ varia tradit præcepta humanæ vitæ vtilia: ſed Logicá id efficit, varias enim præceptiones humanæ ſocietati vtiliſſimas tradit: ergo eſt ars impropriè ſumpta.

Pari facilitate probaueris Logicam, ſaltem eſſe ſcientiam impropriè ſumptam, cùm ſcientia ita accepta nihil ſit aliud quàm cognitio noſtri intellectus, quæcunque tandem illa ſit, qualis proculdubio noſtra Dialectica.

Obijcies: cognitio non eſt habitus intellectus, ſed actus, ergo ſi Logica ſit cognitio, non erit habitus intellectus, quod propoſitioni aduerſatur.

Reſpondeo ad antecedens, Logicam docentem eſſe duplicem, vnam *habitualem*, quæ tantùm inclinat intellectum ad res ipſas cognoſcendas: aliam *actualem*, quæ eſt ipſamet actualis cognitio intellectus. Cognitionem item eſſe duplicem: aliam *habitualem*, quæ tantùm confert inclinationem facultati ad cognoſcendum: aliam *actualem*, quæ eſt actualis cognitio, & perceptio rei propoſitæ. Logicam autem docentem habitualem, eſſe cognitionem habitualem: actualem verò Logicam, eſſe cognitionem actualem.

Quinta propoſitio.

Logica docens non eſt facultas.

Probatur ex definitione facultatis: *facultas nihil eſt aliud quàm habitus ille, quo qui inſtructus eſt, poteſt de re qualibet in vtramque partem diſputare*: at Logica non eſt eiuſmodi, quippe quæ verſatur circa materiam adeò neceſſariam, vt vnam par-

tem ſemper amplectatur, contrariam verò probare nulla ratione poſſit: v.g. verſatur circa regulas definiendi, diuidendi, & argumentandi, quæ ita ſunt neceſſariæ, vt non poſſit Logicus pro bene placito contrarium propugnare: ergo Logica docens non eſt facultas. Obiicies, Ariſtotelem. 1. Reth. chap. 4. aſſerere eum naturam Dialecticæ euertere, qui eam aliter quàm habet facultatem, accipit.

Reſpondeo, eo loco Ariſtotelem non propriè Dialecticã vſurpaſſe pro illa diſciplina, quæ tradit modũ diſſerendi, ſed impropriè pro ea facilitate quam ſibi quis cõparare poteſt ad probabiliter diſſerendũ de qualibet materia, congruenter præceptionibus quæ in Logica docente, maximè in libris Topicorum de ratione probabiliter diſſerendi, traduntur.

Sexta propoſitio.

Logica docens non eſt ars propriè ſumpta. Probatur ex dictis: Ars propriè ſumpta occupatur circa materiam externã; ſiue opus relinquat poſt actionem, ſiue non: Atqui Logica nullo pacto verſatur circa materiam externam, ſed circa internas humanæ mentis operationes, vt poſtea dicetur: ergò Logica non eſt ars propriè ſumpta.

Obiicit primò Clemens Timplerus libro 1. Logici Syſtematis cap. 10. quæſt. 3. Propriũ eſt artis naturam perficere, & quod ei deeſt ſupplere, authore Ariſtotele 7. Politicorũ capp. vltimo: Atqui Logica perficit naturam, & ei quod deeſt ſupplet: ergo Logica propriè eſt ars.

Reſpondeo primò negando concluſionem, propterea quod ſyllogiſmus non eſt in forma, quia eſt in ſecunda figura ex puris affirmantibus, quod pugnat contra leges ſecundæ figuræ, vt docuimus in Compendio.

Respondeo secundò negando maiorem, si proprium dicatur quod vni tantum rei competit: licet enim artibus conueniat naturam perficere, non tamen solis, sed etiam scientiis, quæ mentem multis modis perficiunt, de quarum numero Logicam esse statim probabimus.

Rursus obiicit, Logicus verè & propriè est artifex: ergo à coniugatis, Logica verè & propriè est ars.

Respondeo negando antecedens, sicut enim Logica tantùm impropriè dicitur ars, ita quoque Logicus nonnisi impropria significatione dicitur artifex.

Postrema propositio.

Logica docens omninò est scientia verè & propriè dicta.

Hæc propositio ex dictis facilè deducitur: in primis enim statutum est, quinque duntaxat veros esse intellectus habitus intelligentiam, sapientiam, prudentiam, artem & scientiam. Rursus conclusum est Logicam neque esse intelligentiam, neque sapientiam, neque prudentiam, neque artem propriè sumptam: quare relinquitur vt sit scientia verè & propriè dicta.

Accedit ratio. Logica est certa & necessaria rei cognitio per propriam causam, quæ est scientiæ definitio; ergo est verè & propriè scientia. Probatur antecedens. Logica certò cognoscit definitionem latentem rei naturam aperire per hâc causam, quòd omnes eius partes distinctè explicet: item diuisionem tollere confusionem, quoniam totum in suas partes distribuit: Denique demonstrationem gignere scientiam, quia ex necessariis propositionib. conficitur: ergo Logica est cognitio necessaria rei per propriam causam, proindéque scientia.

Obiicies primò. Modus sciendi non est scientia, ste Aristotele 2. Metaph, cap. quinto: sed Logica t modus sciendi: ergo propriè non est scientia.

Quicquid sit de maiori, nego minorem. Non enim ropriè Logica est modus sciendi, sed potius tradit lum modum sciendi, definitionem scilicet, diuisioem, & argumentationem.

Obiicies secundò: scientia habere debet determiatum obiectum, ex Arist. 1. Post. cap. 28. sed Logica on habet certum & determinatum obiectum, vaatur enim per omnes scientias: ergo propriè non st scientia.

Concessa maiori distinguo minorem: Logica non abet determinatum obiectum, vt ens concedo, docens (quam hîc scientiam esse propugnamus) nego: abet enim operationem intellectus, quam per præcepta disserendi intendit dirigere.

Denique obiicies: Scientia debet esse de rebus necessariis: sed Logica saltem omni ex parte non est iusmodi, quia agit de solis probabilibus in Topiis, & falsis in libris de Reprehensione sophistarum: rgo saltem omni ex parte non est scientia.

Respondeo ad maiorem, satis esse quòd scientia it de rebus necessariis, aut secundùm se, aut spectao modo quo considerantur: res autem topicas, & ophisticas esse necessarias, spectato modo quo coniderantur in Logica, quia necessarium est quod de llis tradit Dialectica, nimirum topicum syllogisnum gignere opinionem, & sophisticum errorem.

An Logica sit vna specie scientia. CAP. II.

NOtandnm primò est triplicem dari vnitatem, primam *numericam*, qua aliqnod singulare,

& indiuiduum dicitur vnum, vt Petrus: : secnndam *specificam* per quam omnia alicuius speciei singularia dicuntur quid vnum, vt omnes singulares homines dicuntur quid vnum in specie hominis: postremam denique *genericam*, qua omnes alicuius generis species habentur quidpiam vnum, vt omnes species animalis vnum in animali.

Hîc autem non agitur de numerica vnitate Logicæ, satis enim constat illam multiplicari pro multiplicitate subiectorum, seu intellectuum, in quibus reperitur, & sic Logica quæ est in Petro, censetur esse numero distincta à Logica qua Paulus instructus est, & ita de cæteris: sed solùm quæritur, An ipsi Logicæ specifica vnitas tribuenda sit, ita vt in Logicas solo numero differentes immediatè diuidatur: sicut homo in homines singulares solo numero discrepantes: An verò generica, adeò vt immediatè in distinctas specie Logicas distribui debeat: sicut animal (quod vnum est vnitate generica) immediatè diuiditur in varias species, hominem scilicet & brutum. Hæc quæstio vt soluatur.

Notandum 2. vnitatem specificam vel genericam scientiarum, desumendam esse ex obiecto formali, adeo vt scientia dicatur specie vna quæ obiectum formale obtinet specie vnum: genere verò quæ obiectum formale genere vnum obtinet. Sed quia latet nescio quid difficnltatis sub hac voce obiecti formalis, maioris explicationis gratia.

Notandum 3. (quòd postea vberiùs explicabimus) scientiæ cuiuslibet duplex esse obiectum, *Materiale* & *Formale*: Materiale esse rem in qua explicanda ipsa scientia occupatur, vt in Physica *corpus naturale*: formale verò esse modum, seu rationem illam, secundùm quam tale obiectum mate-

riale consideratur, vt in eadem Physica, *corpus naturale, quatenus naturale*.

Cæterum ab obiecto formali, & non à materiali scientiarum distinctionem petendam esse hinc satis intelligitur, quòd licèt Medicina & Physica habeant idem obiectum materiale, attamen verè inter se distinguuntur, propterea quod diuersa obtinent obiecta formalia, Physica *corpus naturale, vt naturale*, Medicina verò idem *corpus naturale, quatenus sanabile*.

His omnibus notatis quæstioni breuiter respondeo, Logicam esse vnam specie, seu vnitate specifica scientiam.

Probatur. Scientia, ex dictis, eódem modo vna est, & eadem vnitate quia obiectum formale vnum est: Atqui obiectum formale Logicæ est vnum vnitate specifica, est enim ratio illa secundùm quam considerat actiones mentis, nimirum quatenus est veritatis intelligentiam dirigibiles: ergo Logica est vna specie, seu specifica vnitate scientia. Quo autem modo dicatur illa specifica vnitas, non tantùm in Logica, sed in alijs etiam scientijs, an simplex, an per aggregationem, quæstio est in fine disputationis de Demonstratione discutienda.

Vtrum Logica sit pars Philosophiæ.
CAPVT III.

QVia huius quæstionis explicatio tota pendet à Philosophiæ notitia, ideò refert antequam vlterius progrediamur, nonnulla de Philosophia in communi præmittere.

Ex Compendio repetendum varias esse Philosophię descriptiones. Prima ducitur à *notatione nominis*, secundùm quam Philosophia vocatur *amor sapientiæ*; & à coniugatis philosophus sapientiæ amicus.

Secunda, describitur *mortis contemplatio*, non quidem naturalis, seu separationis animæ à corpore, sed moralis, seu extinctionis vitiorum & cupiditatum, adeò vt Philosophum meditari mortem idem sit ac ipsum à praua libidine sciunctum, & à vinculis vitiorum solutum meditationi veritatis operam nauare.

Tertia descriptio hæc est, Philosophia est *Diuinarum & humanarum rerum scientia*, vbi per res diuinas spirituales & incorporeæ, per humanas verò corporeæ & materiales communiter intelliguntur.

Postrema & conuenientissima Philosophiæ definitio his verbis traditur, *Philosophia est cognitio rerum vt sunt*, id est per causas. Eam inculcat Diuus Damascenus lib. 4. suæ Dialecticæ, & tanquam Aristotelicam probat Ammonius, statim initio Prędicabilium, satísque hac ratione confirmatur. Inde dicitur Philosophia, vnde homines philosophari cœperunt. Atqui homines philosophari dicti sunt, cùm latentes rerum causas inuestigarunt, & assignauerunt: ergo inde Philosophia dicta est, quòd sit rerum cognitio per causas.

Porrò repetendum est ex prædicto Compendio, duplicem *esse Philosophiæ partem, vnam speculatiuam, quæ conquiescit in obiecti sui contemplatione; nec transit ad opus*: sub qua continentur Physica, Metaphysica, & Mathematicæ disciplinæ: *Aliam esse practicam quæ suam cognitionem refert ad opus, & regulas operandi tradit*: sub qua Logica & Ethica comprehenduntur, vt suo loco docebimus.

Quòd autem duæ tantùm istæ sint Philosophiæ partes, nempe *Theoretica & Practica*, varijs rationibus à nonnullis ostenditur: sed hæ duę potissimæ sút.

Prima, totuplex in vniuersũ est Philosophiæ pars

quotuplex finis ob quem homines Philoſophari cœperunt : Atqui duplex tantum eſt eiuſmodi finis: *Prior nuda rerum cognitio*, quarum directionem aſſequi non poſſunt, *vt Dei, & Angelorum*: *poſterior rerum cognitio, quæ à nobis fieri poſſunt, vt ſunt actus virtutis, definitiones, diuiſiones & argumenta*: ergo duplex in vniuerſum conſtituenda erit Philoſophiæ pars, *Theoretica, & Practica*.

Secunda ratio. Duplex tantùm eſt intellectus, *vnus ſpeculatiuus, alter practicus: Speculatiuus eſt qui ſolùm ſibi veritatis cognitionem proponit, nec alias facultates ad operandum dirigit: Practicus vero qui non modò ſibi, ſed aliis quoque potentiis conſulit, non in ſola veritatis contemplatione conquieſcit, ſed dirigit alias facultates, & ſeipſum ad praeclari alicuius operis confectionem:* verbi gratia, non modò intendit cognoſcere, quid ſit virtus, quid definitio, quid diuiſio, quid argumentatio, ſed præterea dirigit voluntatem ad virtutem amplectendam, atque ſemetipſum ad definiendum, diuidendum, & argumentandum: ſicut etiam oculus, qui prius flores intuitus eſt, & ea ratione dici potuit theoreticus, dum manum ad eos colligendos dirigit, verè practicus dici poteſt: ergo huic duplici intellectui duplex tantùm pars Philoſophiæ reſpondebit, *ſpeculatiua & practica*.

Nonnulli hîc multa tradunt de origine Philoſophiæ; variiſque Philoſophorum ſectis, ingenio, & moribus Socratis, Platonis & Ariſtotelis : ſed hæc nulla expoſitione indigent, origo enim Philoſophiæ ex ſupradictis de origine Dialecticæ ſatis intelligitur : reliqua verò omnia ab alijs etiam recentioribus, nominatim Conimbricenſibus (quos vt communiores cito) in proœmijs Logicæ & Phyſicæ traduntur. Hæc cùm ſint hiſtorica potiùs

quàm Philosophica, à me Philosopho & in Philosophia professo tractante, sponte prætermittuntur.

Vtrum de facto Logica sit practica.
CAPVT VI.

Respondeo affirmatiuè, probóque. Ea est scientia practica quæ obiecti sui cognitione minimè contenta ad opus progreditur, tradítque regulas agendi: Atqui Logica est omnino eiusmodi: ergo est scientia practica: maior est certa: minor probatur. Logica tradit definitionis, diuisionis, & argumentationis præcepta, vt illis tres mentis operationes dirigantur: ergo non conquiescit in obiecti sui contemplatione, sed transit ad opus.

Accedit Aristotelis authoritas, qui 6. Metaphys. cap. 1. scientias theoreticas numerans nullam Dialecticæ mentionem fecit, sed has tres dumtaxat recensuit. *Physicam, Metaphys. & Mathematicas*: quare cùm non sit medium inter scientiam practicam & theoreticam; Logica ex mente Aristotelis est scientia practica.

Cæterum vt res tota magis explicetur, simúlque occurratur nonnullis obiectionibus quæ tum ex Aristotele, tum ex ratione desumuntur.

Notandum, praxim (à qua scientia habet, vt dicatur practica) esse in duplici differentia: alteram moralem, alteram artificiosam: *praxis moralis* est voluntatis actus, quatenus suapte natura dirigi potest ad bonũ, per præcepta benè viuendi: *Artificiosa* verò est illa actio, quæ per regulas artis dirigibilis est, vt actio manus, quatenus per artem scribendi, ad litteras efformandas dirigi potest, itémque actiones intellectus, quatenus per præcepta definiendi, diuidendi, & argumentandi ad veritatem diriguntur.

x quo facilè explicatur Aristoteles, si quando ne-
:e videatur Logicam esse practicam: etenim di-
ıdum est eum loqui de praxi *morali*, non autem
ificiosa: Logicam autem, artificiosâ dumtaxat
ıxi, non morali, esse practicam.

Ex eodem fundamento facilè quoque eorum ob-
tio diluitur, qui ideò Dialecticam practicam es-
ıegant, quòd actiones intellectus, in quibus ver-
ur, non possint, esse praxes: hoc enim ex dictis ab-
utè negandum esse constat, & solùm concedem-
m de praxi morali, non autem artificiosâ.

R ÆLVDIVM POSTREMVM, De Affectionibus seu proprietatibus Logicæ.

De obiecto seu materia Logicæ. CAP. I.

ECTIO PRIMA VARIAS obseruationes continens.

NOtandum primò, *Materiam circa quam, & obiectum*, in omni arte & scientia idem esse.

Notandum secundò, licet interdum, imò fre-
enter, subiectum & obiectum, indiscriminatim
:ipiantur, non tamen semper idem esse sed ali-
ando multùm differre. Nam *subiectum* dicitur
ıeratim quod aliquid suscipit, vt intellectus sciē-
m: *obiectum* autem, id circa quod facultas aliqua,
habitus occupatur, vt corpus naturale compa-
ione Physicæ, & numerus respectu Arithmeti-
quæ duo diuersa sunt, nam & Physicæ subie-
m est intellectus, obiectum verò, prædictum na-
ale corpus, quæ duo distingui nemo est qui non
elligat.

Quanquam obiectum etiam propriè dici possit
iectum nempe attributionis, quatenus ipsi pro-

priæ affectiones attribuuntur, illásque suscipit, vt corpus naturale quantitatem, locum, motum.

Notandum 2. cuinscunque scientiæ duplex esse obiectum, *materialè, & formale,* modo superius explicato: sic medicinæ obiectum materiale est *naturale corpus*, formalè verò, *quatenus sanabile*: idem in aliis scientiis pari ratione videre est.

Notandnm 4. *obiectum* adhuc esse duplex, *Vnum totale*, circa quod tota scientia occupatur, & vltra quod excurrere non potest, vt *Corpus naturale in Physica* Alterum *partiale* quod est tantùm pars illius obiecti totalis, vt *Corpus cœleste*, eiusdem Physicæ respectu; Et hoc qnidem obiectum partiale adhuc duplex, *vnum primarium, & præcipuum*, quod est præcipua pars obiecti totalis, vt *Deus in Metaphysica*: *aliud minus præcipuum*, quod est pars minus principalis eiusdem obiecti totalis, *vt Intelligentia respectu supradicta Metaphysica.*

Notandum postremò, quinque potissimùm requiri conditiones ad obiectum alicuius scientiæ.

Prima est vt sit *certum, & necessarium*, quoniam scientia debet esse de re certa, & necessaria, vt ex eius definitione satis intelligitur.

Secunda est, *vt non sit singulare*: siquidem teste Arist. Post. textu 8. *de singularibus nulla scientia habetur, haberíve potest.* Quæ conditio non de quocunque singulari intelligenda est, sed de eo solùm quod mutationibus subiacet: quia enim Deus omninò immutabilis est, veræ scientiæ, tum Metaphysicæ, tum Theologiæ, statuitur obiectum, proindéque illo verè habetur scientia.

3. *Vt vera habeat principia, & proprietates, quæ de eo demonstrentur*: Quo modo se habet naturale corpus in Physica, quia pro principiis, materiam, & formam,

nam,pro suis proprietatibus quantitatem,motum, ocum,& tempus agnoscit.

4. *Vt ad illud omnia reuocentur,quæ in scientiæ con-derationem cadunt*: Quæ conditio de solo totali, & dæquato obiecto,non autem de partiali,& inadæ-uato intelligi potest.

Postrema conditio est *vt obiectum sit vnum,vnaque efinitione definiri queat*, vt prædictum corpus natu-ale,quod solet definiri, *substantia completa,ex ma-eria & forma composita*.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Ens rationis sit obiectum Logicæ.

INnter varias de obiecto Logicæ sententias, pri-ma occurrit Auerrois 4. Metaph.commento 2. D.Thomæ ibidem art.4.& aliorum, *ens rationis* esse biectum Logicæ.

Quia verò nobis adhuc non patet, quid per ens tionis intelligi debeat,ne diutiùs in ambiguo ver-mur, nonnulla de ipso ente rationis paucis expli-nda sunt.

ARTICVLVS PRIMVS.

De nomine & varia acceptione Entis rationis.

ENs rationis, vt nomen indicat, à mente, & ra-tione deducitur,quasi diceres, ens per rationem ictum : Vnde secundùm multiplicem ordinem, iem habet ad rationem , seu mentem , multiplex onstituitur.

1. Est illud, quòd in mente, subiectiuè 1. *tan-tam subiecto recipitur*, illíque inhæret, cuiúsmo-sunt omnes habitus intellectus , qui quia vera

ſunt accidentia, ipſi intellectui inhærere poſtulant. Et hæc entis rationis acceptio valdè impropria eſt, quia ſecundum illam, vera entia realia, nempe habitus intellectus, dicerentur entia rationis.

2. Illud dicitur ens rationis, quod eſt ab *intellectu efficienter*: Quo modo ſeſe habent omnes actiones intellectus, quia ab ipſo intellectu, tanquam à cauſa efficiente, producuntur. Et hoc quoque pacto impropriè accipitur ens rationis, quia actiones intellectus ſunt entia vera, & realia, non autem entia rationis.

3. Vſurpari ſolet ens rationis, pro eo quod obuerſatur intellectui, *& in illo eſt obiectiuè* (vt loquuntur.) Quod cum fieri poſſit dupliciter, vel quando illud obiectum intellectus extra ipſum intellectum, in re-bus realiter exiſtit, vt homo, qnatenus menti concipiendus obiicitur: vel cùm extra illum nullibi realiter exiſtit, vt chymæra: duobus etiam modis ens rationis obiectiuum ſumitur, priori modo, pro fundato, vt aiunt, ſeu quod eſt in rebus de facto, & citra omne figmentum intellectus, vt homo per rationem conceptus. 2. pro illo quod concipitur quidem in rebus exiſtere, nullibi tamen exiſtit, vt mons aureus. Atque priori modo ens rationis valdè impropriè ſumitur: cum potius ſit veriſſimum ens reale, vt pote homo realiter exiſtens, prout mente intelligitur: ſed tantum poſteriori, ſecundum quem deinceps de illo diſſeremus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De exiſtentia entis rationis, ſeu an ſit, & quæ ſub eo contineantur.

EXperientia patet dari Entia rationis, quia multa quotidie à noſtro intellectu finguntur.

Difficultas tantùm est de externis denominationibus, & secundis intentionibus, an sint propriè entia rationis.

Quod spectat ad externas denominationes, vt illæ faciliùs intelligantur, ex altiori quodam principio dicendi sumendum est exordium, ideóque.

Notandum primò, denominationem vniuersim esse duplicem, *vnã intrinsecam, alteram extrinsecã.*

Denominatio intrinseca ea est, quæ desumitur ab aliqua reali forma, in aliquo subiecto realiter residente, vt esse album in pariete, ab ipsa albedine quæ in eo reipsa existit.

Extrinseca verò ea dicitur, quæ oritur ab aliqua forma, quæ quidem in subiecto realiter non est, sed tantum cogitatur cogitatiuè potest inesse, vt *esse visum in pariete* ab ipsa visione, quo de facto, & realiter in eo non existit, sed tantum cogitatur existere, & propterea illum denominat visum.

Notandum præterea, Ens rationis dupliciter sumi, 1. pro eo quod fingitur ab intellectu. 2. pro eo omni quod medium est inter ens reale, & nihil, seu quod neque est ens reale, neque purum nihil, sed aliquid minus quàm ens reale, & magis quàm nihil. His duobus notatis, sit

Prima propositio.

SI ens rationis accipiatur priori modo, *externæ denominationes*, verbi gratia, *esse visum*, *esse auditum*, *&c.* non sunt entia rationis.

Probatur: externæ illæ denominationes rebus cõueniunt nemine cogitante, verbi gratia, *esse visum*, conuenit parieti, etsi nemo cogitet, dummodo ipse fuerit ab oculo perceptus: ergo illæ externæ denominationes non sunt entia rationis, si ens rationis

uplicem, alteram *actiuam*, seu, vt loquuntur, *for-alem*: alteram *passiuam*, vel vt alij vocant, materia-em.

Actiua, seu formalis intẽtio, est ipsa actio, qua cognoscitur obiectum, vtpote actio intellectus hominem percipientis, & eius naturam exprimentis.

Passiua vero, seu materialis intentio, est res ipsa quæ percipitur, vt homo mente conceptus.

Notandum 2. intentionem passiuam esse duplicem, *primam* & *secundam*.

Prima est res ipsa, quæ primo loco cognoscitur.

Secunda, quæ secundo loco intelligitur. Illustratur exemplo: cùm cognosco hominem esse subiectum huius propositionis, *Homo est animal*, dicitur intentio passiua prima, quia primò debet intelligi; esse verò subiectum, secunda, quia vbi primùm intellectus naturam hominis percepit, regreditur supra se, & examinando prædictam propositionem, *Homo est animal*, intelligit hominem esse subiectum.

His ita constitutis, controuersia est inter Philosophos, quid sint intentiones secundæ.

Alij volunt esse entia rationis, alij negant, nos distinguimus: sunt enim aliquæ intentiones secundæ, quæ tametsi secundo loco percipiantur, rebus tamen conueniunt, nemine cogitante, vt esse vniuersale, siquidem licet ex infrà dicendis, cùm dico *homo est vniuersalis*; vniuersalitas secundo loco cognoscatur, scilicet post cognitum hominem, non tamen desinit homini competere talis vniuersalitas ante omnem intellectus operam, & has intentiones secundas negamus esse entia rationis, cùm per intellectum non fiant. Aliæ verò sunt quæ & secundo loco tantum percipiuntur, & non possunt

rebus, nisi beneficio intellectus, competere, vt *esse subiectum*, esse prædicatum, & similes, quæ semper sequuntur operationem intellectus, & hæ sunt proprie entia rationis.

Ad hanc etiam, de existentia entium rationis, partem, spectat quæstio de causa eorum efficiente, an non tantum humanus intellectus sit, qui multa fingit efformátque entia rationis, sed etiam diuinus, diuina quoque voluntas, cum ipsis facultatibus sensitiuis, *visu, auditu, &c.* possint esse causæ efficientes entium rationis: negant nonnulli, alij è contrario affirmant: Nos controuersiam totam hac duplici propositione superioribus additâ componimus.

Tertia propositio.

Diuinus intellectus, idémque Angelicus, diuina quoque voluntas, & aliæ facultates sensitiuæ, nequeunt esse causæ efficientes fictitiorum entium rationis.

Probatur de diuino intellectu: Diuinus intellectus nihil fingit esse, aut existere, quod re vera non sit, & existat: ergo diuinus intellectus fictitiorum entium rationis efficiens causa esse non potest.

De Angelico intellectu eadem propositio demõstratur: Angelicus intellectus, vtpote perfectissimus, apprehendit res eo modo quo se habent à parte rei: ergo non fingit entia rationis: ergo non est causa efficiens fictitiorum entium rationis.

Denique de voluntate, cùm diuina, tùm creata, aliísque facultatibus sensitiuis, eadem propositio perspicuè ostenditur. Voluntas siue creata, siue increata, facultates sensitiuæ, putà visus, auditus, & similes, nihil fingunt existere quod non existat: quia figmentum illud ad solum intellectum perti-

t:ergo nec voluntas creata, nec increata, nec ſen-
uæ facultates poſſunt eſſe cauſæ efficientes fictì-
rum entium rationis.

Quarta propoſitio.

I Ens rationis accipiatur pro eo quod medium
eſt inter ens *reale* & *nihil*, non modo humanus
ellectus, ſed etiam Diuinus & Angelicus, diuina
luntas, nec non & facultates ſenſitiuæ, poſſunt
: cauſæ efficientes entium rationis.
Probatur: Externæ denominationes, ex ſupradi-
s, ſunt entia rationis, hoc modo ſumptò nomine
is rationis: ergo quæ erit cauſa efficiens externæ
nominationis, eadem erit cauſa efficiens entis ra-
nis, ſumpti pro eo quod medium eſt inter ens
le, & nihil: at non modo humanus intellectus,
etiam Diuinus & Angelicus, Diuina voluntas,
gelica, & humana, paritérque ſenſitiuæ faculta-
, ſunt cauſæ efficientes externarum denomina-
num: ſicut enim ab intellectu humano res deno-
natur intellecta, quæ eſt externa denominatio, ſic
m à Diuino, vel Angelico intellectu, res dicitur
ellecta, à voluntate, ſiue creatâ, ſiue increatâ, vo-
, à viſu viſa, & ſic de cætaris: ergo non modo hu-
nus intellectus, ſed etiā Diuinus, & Angelicus,
ata item, & increata voluntas, omnéſque ſenſi-
æ facultates, poſſunt eſſe cauſæ efficientes en-
m rationis, ſumpto nomine entis rationis præ-
to modo, pro eo quod medium eſt inter ens ra-
nis & nihil.
Obiicies: Facultates immanentes vt ſunt intelle-
s, & voluntas, nihil extra ſe producunt: ergo in-
ectus & voluntas non poterunt eſſe cauſæ effi-
ntes illorū entium rationis, quæ in reb. cognitis,

& voluntatis affectu comprehensus, resultare intelliguntur, nimirum esse cognitum & volitum.

Distinguo antecedens, intellectus & voluntas nihil extra se producunt reale, concedo, nihil verò rationis, seu denominationem externam, nego: siquidem eo ipso quòd mens nostra rem aliquam sibi oblatam cognoscit, statim in re ipsâ nascitur hæc denominatio externa, hoc ens rationis, *esse cognitum*. Idem dicendum de voluntate, vt à nobis explicatum est.

Rursus facultates reales nihil nisi reale producunt: Atqui intellectus, voluntas, & aliæ supradictæ facultates sunt reales, ergo aliud producere non possunt, quàm reale, & non entia rationis, vel denominationes externas.

Distinguo maiorem: facultates reales nihil nisi reale producunt, *per se, & primariò*, concedo: per accidens, *& secundariò*, nego: hinc concessa minori, conclusionem pariter distinguo: ergo intellectus, voluntas, & aliæ prædictæ facultates nihil nisi reale producunt *per se & primariò* concedo, quia intellectus v.g. per se primariò producit tantum intellectionem, quæ realis est, voluntas volitionem, quæ similiter realis est, & sic de aliis; per accidens verò, *& secundariò*, nego. Quia vbi primum intellectus rem aliquam intellexit, & voluntas voluit, posteà, & ideò secundariò, intelliguntur in re ipsa resultare hæ denominationes externæ, *esse intellectum, esse volitum, quæ ex supradictis* sunt entia rationis.

Cæteræ obiectiones probant tantùm entia rationis non cognosci ab alia facultate, quàm intellectu, quod nos vltrò admittimus, sed non ab ipso solo fieri, quod negamus.

ARTICVLVS TERTIVS.

De essentia Entis rationis, vtrum sit aliquid.

HAc de re nonnulli dubitant, imò negatiuam partem absolutè sustinent.

Cæteri verò, & longè maiori probabilitate, affirmantem amplectuntur, de facto entia rationis esse aliquid, non autem purum nihil.

Probatur ea ratione, quam superius adduximus: inter duo nihil nulla potest assignari differentia: atqui ea in entibus rationis locum habet, si quidem hæc duo optimè distinguimus, esse subiectum, esse attributum, & in hac propositione, ***homo est animal***, asserimus hominem esse subiectum, & negamus esse attributum: igitur entia rationis sunt aliquid, & non purum nihil.

Deinde: entia rationis sunt obiectum intellectus, ergo aliquam veritatem participant, ergo & aliquam essentiam, quia ***nulla est veritas sine essentia***: nihil verum quod non sit ens, ergo entia rationis sunt aliquid.

Obiicies: Quidquid est, alicubi esse debet: atqui entia rationis nullibi reperiuntur: ergo nihil sunt.

Respondeo ad maiorem, eo modo quo res est, eo esse alicubi, proindéque cùm entia rationis non sint nisi per rationem & intellectum, non esse extra intellectum, sed in ipso intellectu obiectiuè.

ARTICVLVS QVARTVS.

De affectionibus Entis rationis.

OMnes entis rationis affectiones ex eius fine repetuntur: Quapropter de fine entis ratio-

nis hoc loco nobis breuiter agendum eſt.

Reuera certum eſt, ipſa entia rationis nullius finis gratia propriè fuiſſe à naturâ inſtituta, ſed pro hominum arbitrio ad diuerſos fines referri; vnde Conſulatus, qui eſt externa denominatio, proindéque ens rationis, finis erit bonum Reip. quod ex Conſulatu ſperatur: fictitiorum entium rationis, vel finis erit, varius hominum de illis cogitantium affectus, vel plenior entium realium intelligentia, quæ habetur facta comparatione cum entibus rationis; ſicut album melius pleniúſque cognoſcitur, quando cum nigro comparatur, quàm ſi ſeorſum ſpectaretur. Hæc de ente rationis.

Supereſt modò vt ſtatuamus ſit ne ens rationis obiectum Dialecticæ, quod tota ſchola Thomiſtarum propugnat, an non, quod reliqui Philoſophi magna conſenſione defendunt, quibus noſtrum adiungentes ſuffragium, concludimus ens rationis nullo pacto poſſe conſtitui legitimum Dialecticæ obiectum.

Probatur. Illud non poteſt eſſe obiectum Dialecticæ quod *per ſe ab ea non intenditur* (agimus enim de obiecto per ſe à Logica intento, & non per accidens.) Atqui ens rationis per ſe non intenditur in Logica: ergo ens rationis non eſt obiectum Logicæ. Minor probatur. Illud non intenditur per ſe in Logicâ, quòd alterius tantum gratiâ intenditur. Atqui ens rationis alterius tãtum cauſa in Logica intenditur, v. g. eſſe ſubiectum, eſſe prædicatum, quæ ſunt entia rationis, eo tãtum fine intenduntur, vt illis cognitis, quonam pacto propoſitiones confici debeãt, teneamus: ergo ens rationis per ſe non intenditur in Logica, & conſequenter non eſt eius obiectum.

Confirmatur rationibus illis, quibus infra pro-

abimus, operationes intellectus, vt dirigi possunt er præcepta disserendi, esse legitimum, & adæquaum Dialecticæ obiectum: si enim ita sit, cùm dulex non detur in aliqua scientiâ obiectum adæquaum, facile est concludere entia rationis non posse atui pro obiecto Dialecticæ.

Obijcies primò, secundùm Aristotelem, Logica git de his quæ accidunt enti: ergo agit de ente raionis, tanquam de vero, & proprio obiecto.

Neganda est consequentia, per ea enim quæ accilant enti, non intelligit Aristoteles entia rationis, ed ipsa sciendi instrumenta, definitiones, diuisioes, & argumentationes, quæ de facto rebus definiis, diuisis, & argumentatione conclusis videntur ccidere.

Secundò obiicies: Logica communiter dicitur cientia sermocinalis, & opponitur scientiæ reali: rgo non debet agere de ente reali, sed tantùm de nte rationis.

Neganda est consequentia, Logica enim dicitur cientia sermocinalis, & distinguitur à scientia reali, quòd agat de sermone interiori, seu operatione inellectus, quæ est vera & realis, non autem quòd per e agat de ente rationis; scientia verò realis de solis ebus significatis agat, & non de sermone, quo ipsæ es significantur.

Denique obiicies. Tota Logica versatur in explicandis entibus rationis, esse subiectum, esse attributum, esse definitum, esse diuisum, esse vniuersale, esse peciem, &c. ergo ens rationis est verum, & adæquaum Logicæ obiectum.

Negandum est antecedens: si quidem de multis differit Logica, quæ nullo pacto sunt entia rationis, vt de Vniuersalib. de Categorijs, propositionibus &

operationibus intellectus: Et præterea, licet Logica agat aliqua ex parte de entibus rationis, illa tamen refert aliò, scilicet ad directionem operationum intellectus, proindéque de illis tanquam de obiecto non agit.

SECTIO TERTIA.

Vtrum modus differendi sit obiectum Logicæ.

PLurimi, potissimum ex recentioribus, partem agentem sustinent, vt referunt Conimbricenses in proœmialibus Logicæ quæstionibus, quæst. 5. att. 1. asserúntque disserendi modos, definitionem, diuisionem, & argumentationem, esse legitimum, & adæquatum Dialecticæ obiectum.

Definitionem autem, diuisionem & argumentationem dicunt disserendi modos, quòd *disserere* sit *ignotum ex nota declarare*, vt superiùs annotatum est, hoc autem fiat, tùm definitione, quæ rei essentiam aperit, tùm diuisione, quæ rerum partes exhibet, tum demum argumentatione, per quam rerum proprietates explicantur.

Alij tamen aliter modum disserendi explicant, vt velint nihil aliud esse, præter regulas & præcepta, quibus instructus animus de rebus disserit, definit, diuidit, & argumentatur: Quo pacto parum differunt ab illa opinione nostra quam inferius exponemus, nempe *actiones mentis, prout dirigi possunt*, esse adæquatum Dialecticæ obiectum: in eo scilicet tantum, quod illi obiectum Logicæ inuestigaturi, in ipsis disserendi præceptis conquiescant: Nos vero vlterius progrediamur ad ipsas actiones intellectus, ad quas dirigendas prædictæ præceptiones referũtur. Vt tota hæc veritas pleniùs intelligatur, sit

Prima propositio.

Differendi modi, pro definitione, diuisione & argumentatione sumpti, non sunt legitimum Dialecticæ obiectum.

Probatur: Illud non est legitimum Dialecticæ obiectum, quod ex primario eius fine non intenditur, sed tantum secundario: Atqui definitio, diuisio, & argumentatio sunt eiusmodi: ergo non sunt legitimum Dialecticæ obiectum. Maior ab omnibus admittitur. Minor ostenditur: Id ex primario fine Dialecticæ non intenditur, sed tantum secundario, sine quo eum finem obtinet Dialectica, quem primario debet intendere: Atqui sine definitione, diuisione, & argumentatione, eum finem obtinet Dialectica, quem primario debet intendere: ergo definitionem, diuisionem, & argumentationem ex suo primario fine non intendit Dialectica.

Minor sola huius syllogismi probanda est: Dialectica enim finem obtinet, quem intendit primariò, cùm perfectum & omnibus numeris absolutum reddidit Dialecticum; quemadmodum prudentia suum primarium finem censetur assecuta, quando virum effecit perfectè prudentem: Atqui sine definitione, diuisione, & argumentatione Dialectica perfectum efficit Dialecticum, dummodo eam definiendi, diuidendi, & argumentandi regulis adeò congruenter instruat, vt quando voluerit, definire, diuidere, & argumentari queat: ergo sine definitione, diuisione, & argumentatione eum habet finem Dialectica, quem intendit primariò: proindéque eius obiectum proprium esse non possunt.

Ex quibus prima aduersariorum obiectio diluitur, qua dicunt definitioni, diuisioni, & argumen-

leges tradit, pro legitimo obiecto minimè agnoscit, sed ipsas operationes intellectus, vtentem verò Architecturam habere domum tanquam obiectum circa quod occupatur, non minus quàm Logica vtens, ipsos differendi modos, quatenus cuilibet materiæ possunt applicari.

Secunda propositio.

Regulæ, & præcepta de conficiendis differendi modis, non sunt legitimum Dialecticæ obiectum.

Probatur: Id non est legitimum Logicæ obiectum, quod suapte natura, & ex primaria eius intentione ad aliud refertur: Atqui præcepta de conficiendis differendi modis sunt eiusmodi, quippe quæ natura sua, referantur ad actiones intellectus, circa veritatis inuestigationem dirigendas: ergo præcepta de conficiendis differendi modis non sunt legitimum Logicæ obiectum.

SECTIO QVARTA.

Leuiores quasdã de obiecto Logicæ sententias explicans.

Sententiæ illæ, quas hactenus retulimus de obiecto Logicæ, præcipuum locum tenent inter eas quæ hac de re solent recenseri: sunt aliæ quædam leuiores breuiter perstringendæ.

Prima est Alberti magni, tractatu 2. in Porphyrium, solam argumentationem esse adæquatum Logicæ obiectum.

Sed refellitur primò, quia nullo pacto differendi modi (quorum præcipuus est argumentatio) sunt legitimum Dialecticæ obiectum, sed actiones intellectus, proindéque nec argumentatio.

1. In ſcientia nihil debet pertractari præter obiectū adæquatum, vel quod ad ipſum nō referatur: Atqui in Logica præter argumētationem, alia pertractantur, nimirum definitio, & diuiſio, ergo argumentatio non poteſt eſſe adæquatum Logicæ obiectum.

Occurrit Albertus magnus, definitionem, & diuiſionem referri ad argumentationem, tanquam partes illam componentes, ſunt enim propoſitiones, quibus tota conſtat, conficitúrque argumentatio: ergo inquit, nihil conſideratur in Logica, quod argumentatio non ſit, vel ad eam non reducatur, quod ſolùm ad obiectum adæquatum exigitur.

Reſpondeo ad antecedens, definitionem, & diuiſionem poſſe ſumi duobus modis, primò, quatenus ſunt tantum propoſitiónes, & argumentationem ingrediuntur, tanqnam eius partes, quo pacto ad illam referuntur 2. quatenus ſunt diſtincta ſciendi inſtrumenta, quibus diſtinctæ ſcientiæ generantnr, vt definitione notitia eſſentię rei, diuiſione partium cognitio quo ſenſu abſolutè, & ſine relatione ad argumentationem, conſiderantur quodque certè fit in Logica illa, quæ publicè in ſcholis docetur. Quapropter ſemper manet integrum, quod ad argumentationem non reuocentur omnia quæ in noſtra Logica tractari conſueuerunt; proindéque quod argnmentatio non ſit adæquatum Logicæ obiectum.

2. Sententia habet, tertiam tantum intellectus operationem; quatenus per argumentandi leges dirigi poteſt, eſſe adæquatum Logicæ obiectum, ſed non immeritò exploditur, nam ſi ſola tertia intellectus operatio eſſet obiectum Logicæ, de illa ſola ſermo inſtitueretur in ipſa Logica, ſed res aliter habet

bet, ſi quidem de prima, & ſecunda mentis operatione, aliiſque ad ipſas pertinentibus, in Logica pariter diſputatur, ergo obiectum Logicæ non eſt ſola tertia mentis operatio.

3. Sententia aſſerit nullam eſſe certam Logicæ materiam, nullumque determinatum obiectum, ſed ipſam per res omnes liberaliſſimè diuagari.

Verùm non minus quàm præcedentes, hæc ſententia reiicitur, hacque ratione breui confutatur: Scientia determinata, & ab aliis diſtincta determinatam requirit materiam: ſed Logica eſt ſcientia quædam determinata, & aliis diſtincta: ergo materiam aliquam determinatam poſtulat, nec debet ſe in omnibus rebus occupare.

4. Sententia eſt Nominalium, ***nudas voces eſſe proprium Logicæ obiectum***: ſed hæc pariter toto cœlo à veritate deflectit: ſi quidem Logica ***de rebus ipſis diſſerit***, de definitione, diuiſione, & argumentatione, non de ſolis vocibus & nominibus: ergo voces non poſſunt eſſe proprium Logicæ obiectum.

Confirmatur: Nulla ſcientia eſt de rebus incertis, & quæ diuerſo modo ſe habere poſſunt: Atqui voces ſunt Cameleonte mutabiliores, non modò pro diuerſis nationibus, ſed in vnâ, & eâdem pro diuerſis temporibus, vt experientia patet, potiſſimum in Gallia noſtra: ergo Logica, quam ſuperius inter ſcientias numerauimus, de nudis vocibus eſſe nequit: proindeque voces illæ non ſunt proprium Logicæ obiectum.

D

Logica, & nihil præter illam, per ſe in ipſa intenditur: ſi quidem nihil tractat, nihil explicat Logica, quod non inſeruiat dirigendæ operationi intellectus, ſiue primæ, ſiue ſecundæ, ſiue tertiæ, vt progreſſus clarè teſtabitur, hancque directionem aſſecuta, conquieſcit nec per ſe aliud meditatur: ergo *operatio intellectus, vt dirigibilis, eſt legitimum obiectum Dialecticæ.*

Confirmatur: Præcipuus fructus quem parit Logica, & ad quem inuenta eſt, ſine dubio eſt illa mentis, in ſuis operationibus, directio, tuncque aliquis Logica ornatus creditur, cùm mentem ſuam ita directam obtinet, vt in operando non deficiat, aut in errorem prolabatur: ergo Logicæ obiectum erit ſine dubio ipſa intellectus operatio, quatenus dirigibilis.

Obiicies: Subiectum ſcientiæ debet eſſe certum, & neceſſarium: ſed operationes intellectus non ſunt certæ, & neceſſariæ, quæ pendent à libero hominis arbitrio, & ita eſſe, ac non eſſe poſſunt: ergo operationes intellectus non poſſunt eſſe obiectum Logicæ.

Conceſſa maiori, diſtinguo minorem: Actiones intellectus non ſunt certæ, & neceſſariæ, *in particulari*, concedo, quo ſenſu non ſtatuuntur Logicæ obiectum: *in vniuerſum* verò, & vt ſunt obiectum Logicæ, nego: quia ſic omnino neceſſariæ ſunt, omninò, v. g. neceſſarium eſt, vt prima intellectus operatio, generatim loquendo, ſit ſimplex rei apprehenſio ſine affirmatione, vel negatione. Idem de duabus aliis dicendum eſt.

De fine Logicæ. CAP. II.

Ex plurimis finis diuiſionibus, quas alibi ſigillatim explicabimus, has tantum ad noſtrum

institutum pertinentes seligimus.

1. Est in finem operantis, seu artificis, & finem operis, seu artis.

Finis operantis vel artificis, ille est qui ab ipso operante, & artifice intenditur, vt honoris adeptio, diuitiarũ acquisitio, in eo philosopho, qui honoris & diuitiarum causa Philosophiã publicè profitetur.

Finis vero *operis*, vel artis, ille est, qui ab ipsa arte intenditur, vt sanitas in medicina directio actionum intellectus in Logica.

2. Diuisio vel potius subdiuisio est finis artis *in finem cui*, & *in finem cuius gratia*.

Finis cui dicitur ille, in cuius vtilitatem ars ipsa vertitur, qualis finis est homo, non modo respectu Logicæ, sed etiam aliarum omnium scientiarum, quia ad eius vtilitatem plurimum conferunt, eiusque causa fuerunt institutæ.

Finis vero *cuius gratiâ*, dicitur, propter quem ars ipsa inuenta est, & ad quem vt ad scopum tendit, vt prædicta sanitas in medicinâ, directio operationum intellectus in Logica.

3. *Finis artis cuius gratiâ*, diuiditur in proximum seu immediatum, & remotum siue mediatum.

Finis proximus, seu immediatus is est qui proximè & nullo alio intermedio in ipsa arte intenditur, vt in medicina cognitio remediorum, quibus possit morbidus amissam valetudinem recuperare.

Remotus vero, & mediatus ille dicitur, qui proximè & nullo alio intermedio haberi non potest, vt in eadem medicinâ sanitas, quæ restitui non potest, nisi post cognitionem remediorum.

Postremò finis artis cuius gratiâ diuiditur in totalem, seu adæquatum, & partialem, seu inadæquatum.

Finis, totalis, & *adæquatus* est ille, cuius solum

gratiâ ars inuenta est, vt in Physica, cognitio totius corporis naturalis.

Finis vero *partialis, & inadæquatus*, cuius gratia partim tantum, & non omnino, ipsa ars inuenta est vt in eadem Physica solius cœli cognitio.

His positis, vt verus Logicæ finis statuatur, sit.

Prima propositio.

PRoximus finis Logicæ est cognoscere actiones intellectu, & quo modo dirigi possunt: Remotus eas dirigere.

Probatur: Ante omnia debet Logica cognoscere actiones intellectus, & quomodo ad veritatis cognitionem dirigi possint, deinde illis præcognitis easdem dirigere: ergo proximus finis Logicæ erit, cognoscere operationes intellectus, & qua ratione dirigantur, remotus verò, ipsas dirigere.

Secunda propositio.

FInis partialis Logicæ proximus, est cognitio huius actionis intellectus, & quo modo dirigi debeat, partialis quidem dicitur, quia non solus intenditur, sed aliæ etiam actiones intellectus debent cognosci: proximus vero, quia ex præcedenti propositione, cognitio actionum intellectus, & quo modo dirigi debeant, est finis proximus Logicæ.

Vltima propositio.

REmotus finis partialis Logicæ est directio huius actionis intellectus, *remotus*, quia remotè tantum directio actionum intellectus intenditur, in Logica: *partialis* vero, quia non solum intenditur, vt liquet ex dictis. Hîc finis, & Præludiorum Logicæ esto.

PARS PRIMA ORGANI LOGICI.

De simplicibus terminis ad primam intellectus operationem pertinentibus.

PRÆFATIO.

VBI cytharædorum instar, in præludiis hactenus fuimus commorati, gratum aliquem, plenumque artis, & suauitatis concentum edituri, cytharam nostram seu Dialecticam, pro industriæ modulo, dulciter suauiterq; pulsare meditamur: quò iucundiorem, & auribus amœniorem reddere possit cantilenam. Concors in Musicâ, ex variâ vocum inflexione, dissimiliumque sonorum contẽperatione, concentus efficitur: ex diuersarum rerum (quæ in Logicâ nostrâ, fauente Numine, explicabuntur (cognitione, gratissima nostrarumque mentium auribus suauissima nascitur harmonia.

Primus concentus erit circa primam mentis operationem, quem Vniuersalium, & Categoriæ, seu simplicium terminorum, accurata efficiet contemplatio.

Secundus erit, circa secundam intellectus actionem.

Postremus, omniumque iucundissimus, ex argumentationum ordinatâ varietate consurget, tertiamque mentis nostræ operationem singulari suâ voluptate perfundet.

Itaque totius Dialecticæ nostræ pars triplex.

Prima *de simplicibus terminis*, ad primam intellectus operationem pertinentibus.

Secunda *de propositione*, seu secundâ mentis actione.

Tertia, *de argumentatione*, seu tertia intellectus operatione. Et quia primæ huius partis doctrina est amplissima, quippe quę ea comprehendit, quæ Introductione Porphyriana, & Categotiarum libello continentur, facilitatis causa, eam, prout rectus ordo postulabit, in tractatus, tractatus in disputationes, disputationes in sectiones, & sic descendendo diuidemus.

Porrò, quia à tam variis, & tam feliciter, cum Porphyrij, tum Aristotelis textus explicatus est, vt nihil addi posse videatur, commentationes tantum nostras, nostra methodo dispositas proponemus, totamque illam fere inutilem compendiariam textus interpretionem, quam in nostris scholis tradidimus, rescindemus, nihil interim omissuri eorum, quæ in contextu nostro proposito accommodari posse videbuntur.

PRIOR TRACTATVS HVIVS *Partis de Vniuersalibus.*

PRIMA DISPVTATIO de illis in communi.

SECTIO PRIMA, DE NOMINE *Vniuersalis, & varia illius acceptione.*

VNniuersale, ex vi vocabuli, rem aliquam multis communem significat, vt equus naturam equinam singulis equis conuenientem.

Vniuersale aliud dicitur ***complexum*** seu compositum, quod est propositio quędam generalis, & vniuersalis, vt omnis homo est animal; aliud ***incomplexum***, seu simplex, quod est terminus aliquis simplex pluribus conueniens, vt homo in vniuersum.

Rursus vniuersale incomplexum, aliud dicitur in causando, aliud in significando, aliud in repræsentando, aliud in essendo, aliud denique in prædicando.

Vniuersale in ***causando*** est illud quod varios producit effectus in naturâ, vt Deus, sol, & aliæ causæ vniuersales.

Vniuersale in ***significando*** dicitur quod multa significat, vt canis, qui canem cælestem, terrenum, & marinum significat.

Vniuersale in ***repræsentando***, quod vim habet multa repræsentandi, vt idæa domus in mente artificis, siuè Architecti existens, quæ illi lapides, ligna, magnitudinem, figuram, & alia ad domum construendam necessaria, repræsentat.

Vniuersale ***in essendo***, quod vnā multis essentiam

communicat,vt facta illa Platonis idæa, quæ instar sigilli, ad multarum rerum productionem vnà concurrere fingebatur; sed de hoc vniuersali postea.

Denique vniuersale *in prædicando*(quod nostrum est, & in hoc tractatu à nobis explicandum suscipitur)est illud,quod de multis prædicatur,seu multis attribuitur, vt homo singulis hominibus, qui & verè hominis nomine donantur, & propriè sunt homines.

SECTIO SECVNDA, DE EXISTENTIA Vniuersalis in Prædicando.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum de facto detur.

DEmocritus, & alij, quos refert Aristoteles 1. Metaphys.cap.6.vt potè sensuum iudicio omnino addicti, cum nihil nisi singulare in sensus incurrere animaduerterent, nulla dari vniuersalia palàm affirmabant.

Verum contra eos tota insurgit Peripatetica familia, summa consensione vniuersalia constituens.

Probatur primò: Dantur scientiæ naturales (vt probabimus agendo de demonstratione) & satis patet ex innata nobis sciendi cupiditate, quæ frustrà esse non debet: ergo dantur vniuersalia.

Consequentia ostenditur: scientia naturalis est rerum vniuersalium tantùm,tùm quia id docet Aristoteles 1. Posterior, textu 8. tum quia scientia est tantum rerum necessariarum,& quæ aliter se habere non possunt: At verò res solum vniuersales sunt necessariæ & permanentes, singularia enim omnia fluxa sunt & caduca, statim oriuntur, statim mo-

riuntur: ergo si dentur scientiæ naturales, admittenda quoque erunt vniuersalia,

Probatur secundò: Datur natura aliqua multis conueniens secundum essentiam, vt natura humana, omnibus hominibus communis: ergo datur natura vniuersalis.

Obiicies, quidquid in mundo cernitur, illud est singulare: ergo nullum datur vniuersale.

Probatur antecedens: Quidquid existit singulare est, vt fatentur omnes, sed quidquid in mundo cernitur, existit: ergo quidquid in mundo cernitur est singulare.

Distinguo antecedens, quidquid in mundo cernitur est singulare, vel in singularibus existens, concedo, singulare tantùm, nego.

Ad probationem distinguo maiorem, quidquid existit est singulare: si per se, & (vt loquũtur) in ***actu exercito,*** concedo, si verò tantũ per aliud, & (vt vocant) in ***actu signato,*** nego. Iam verò dico, vniuersalia quidem existere, non per se, & in actu exercito, sed tantũ in singularibus, & per singularia, ideoque tantùm in actu signato, humanam verbi gratia naturam vniuersalem, existere quidem, sed non per se, & in actu exercito, quasi possit reperiri, vt vniuersalis actu, in hac rerum vniuersitate existens, & circa illam, vt vniuersalem, exerceatur existentia: sed per singulares homines, Petrum, Paulum, & alios, cica quos exercetur actualis existentia.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum Vniuersale fiat per operationem intellectus, nec ne.

HÆc est illa celeberrima, & in Philosophorum scholis tanto perèventilata controuersia vtrũ

natura tantùm reddatur vniuersalis beneficio intellectus, ipsam naturam communem à singularibus separantis, hoc est, illam sine particularibus, & (vt loquuntur) indiuiduantibus conditionibus cõsiderantis: verbi gratia, vtrum natura humana quæ existit in Petro, Paulo, aliisque hominibus, fiat tantùm vniuersalis per intellectum, illam ab ipsis singularibus abstrahentem, & cõsiderantem sine particularibus ipsorum differentiis, nimirum, vt cum aliis loquar, Petreitate, Pauleitate, &c. an verò existens in ipsis particularibus hominibus, Petro, Paulo & aliis, antequam de illis cogitet intellectus maneat vniuersalis, seu multis communis.

Primà hac de re sententia est D. Thomæ, pluribus in locis, 1. part. quæst. 85. & opusculo de ente & essent. cap. 4. omniumque Thomistarum, naturam non esse vniuersalem, nisi intellectus operatione à singularibus abstrahatur, verbi gratia naturam humanam non esse vniuersalem in Petro, nisi per operam intellectus ab ipso Petro abstrahatur: & consideretur sine ipsa propria Petri differentia, seu Petreitate; sic enim suam sententiam explicant: in Petro, inquiunt, verbi gratia duo possunt considerari, humanitas, & Petreitas, ex quibus fit vnus Petrus, non aliter, proportione seruata, quàm ex ligno, & lapidibus, fit vna domus, hæc duo (addunt) humanitas & Petreitas in Petro, à parte rei non distinguuntur, sed sunt vnum, & idem penitus, solumque distinguuntur cùm intellectus concipit humanitatem non concepta Petreitate, proindéque tantùm incipit esse communis, & vniuersalis, cùm intellectus operâ separetur à Petreitate, hoc est, sine ipsa concipitur.

Secunda sententia huic è diametro opposita est,

Scoti 7. Metaphyſ. 16. in 2. ſent. diſt. 1. quęſt. 1. & omnium Scotiſtarum, cum pluribus aliis & recentioribus, naturam ipſam eſſe vniuerſalem in ſingularibus, ſeclusâ omni operatione intellectus: verbi gratia, naturam humanam in Petro & Paulo, antequam intellectus de illa cogitet, illamque ab ipſis Petro & Paulo abſtrahat.

Tertia ſententia, noſtraque, cum hac ſecunda nonnihil conſentit, nonnihil etiam diſſentit; conſentit, quod agnoſcat naturam vniuerſalem in ipſis ſingularibus, verbi gratia, humanam in Petro ante actionem intellectus; diſſentit vero quod eamdem vniuerſalem ſtatuat ante ipſa ſingularia: verbi gratia naturam humanã ante Adamum; ſecunda vero illa ſententia, vniuerſalem tantum naturam in ipſis ſingularibus, & non ante ſingularia recipiat. Vt autem hęc noſtra ſententia diſtinctius proponatur, & explicetur, nonnulla diligenter notanda ſunt.

Primum, vniuerſale ex duobus componi, ex natura, quę dicitur vniuerſalis, putà humana, & ex vniuerſalitate. ſeu aptitudine ad exiſtendum in multis, per quam natura ipſa, putà humana, dicitur eſſe vniuerſalis: ſicut album, verbi gratia, ex re quæ denominatur alba, putà pariete, & ex albedine, à quâ denominatur, dicitur coaleſcere: Ideoque vniuerſale trifariam poſſe ſpectari. Primo pro ſolâ naturâ, quę dicitur vniuerſalis, & vocatur vniuerſale materialiter, aliter natura vniuerſalitati ſuppoſita, ſeu vniuerſalitatis receptiua, itemque natura vniuerſalis: Secundo pro ipſa vniuerſalitate, per quam talis natura efficitur vniuerſalis, & dicitur vniuerſale formaliter, aliter & melius, vniuerſalitas, ſeu forma naturę vniuerſalis: Tertiò & poſtremò pro aggregato ex naturâ & vniuerſalitate, & vocatur vniuer-

ſale aggregatum: ſicut album, quod noſtrum exemplum eſt, conſiderari poteſt, vel pro re, quę de nominatur alba, putà pariete, & dicitur album materialiter, vel pro ipſa albedine, à quà ipſe paries, verbi grattia, denominatur albus, & vocatur albũ formaliter, aut formalitas vel forma albi, vel denique pro vtroque, pariete ſcilicet, & albedine, vocaturque ſimpliciter album, vel album aggregatum

Notandum ſecundò, aptitudinem illam naturę vniuerſalis, non eſſe realem, & vt dicunt, Phyſicam, quę debeat poſſe naturaliter ad actum reuocari, vt aptitudo hominis ad ridendum, ſed ſolum logicam, ſeu non repugnantiam, per quam natura ipſa vniuerſalis intelligitur poſſe communicari multis inferiorib⁹, vt natura equi multis inferiorib⁹ equis.

Hęc obſeruatio patet ſiquidem natura Solis rectè dicitur vniuerſalis & vt ſic de illa datur ſcientia, quamuis nullam habeat realem & Phyſicam aptitudinem, vt multis ſolibus communicetur, dumtaxat quia non habet repugnantiam, vt in illis reperiatur, ſi plures Soles vellet Deus omnipotenti ſua manu producere.

Notanddum tertiò, vniuerſale triplici ſtatu poſſe conſiderari, ante res ſeu ſingularia, in rebus ſeu ſingularibus, & poſt res ſeu ſingularia.

Vniuerſale ante res, ſeu ſingularia eſt natura ſecũdum ſe, vt ſolum eſt apta ineſſe multis, antequam in illis exiſtat, verbigratia, natura humana, ſecundum ſuam eſſentiam cõſiderat, & quatenus ſolum apta eſt exiſtere in ſingularibus hominibus, priuſquam intelligatur in ipſis exiſtere, vt ante mundum conditum, & dicitur natura nuda, id eſt nondum ſingularitate veſtita, ſicut dicitur puer nudus, qui ſtatim in lucem edittus, nec primam quidem veſtẽ ſuſcepit

Hic autem ſtatus naturæ ante res, diſtinguitur ab eo ſtatu, quem Thomiſtæ conſtituunt in natura indifferenti, priùs naturæ ordine, quam contrahatur ad ſingularia: ſi quidē ſtatus ille indifferentiæ Thomiſtarum, dicit naturam non tantum indifferentem ad varia inferiora & ſingularia, ſed ſimul ad vniuerſalitatem & ſingularitatem, eamque ſuppponit nudam omnimodè, ſine vniuerſalitate ſimul & ſingularitate, cum ſolis gradibus eſſentialibus, verbi gratia naturā humanam cum ſolis gradibus eſſentialibus entis, ſubſtantiæ, corporis, viuentis, ſentientis, & rationalitatis, non conceptâ vniuerſalitate, ſeu aptitudine exiſtendi in multis, aut ſingularitate, ſeu determinatione ad vnum aliquod indiuiduum: ſtatus verò naturæ ante res eſt quidem ſtatus indifferentiæ ipſius naturæ, ſed indifferentiæ dumtaxat ad varia inferiora & ſingularia, non autem ad ſingularitatem & vniuerſalitatem.

Vnde duplex diſcrimen obſeruari poteſt inter ſtatum hunc noſtrum; & ſtatum indifferentiæ Thomiſtarum, quod in noſtro ſit tantum vna indifferentia, nempe ad varia inferiora & ſingularia, non autem ad vniuerſalitatem ſimul, & ſingularitatem, quia iam ſupponitur vniuerſalis, vt poſteà probabimus: At verò in ſtatu Thomiſtarum, habeat duplicem indifferentiam, alteram ad vniuerſale ſimul, & ſingulare, alteram ad ſingularia tantum, & inferiora, poſtquam abſtracta eſt per intellectum, & eius beneficio euaſit vniuerſalis.

Alterum diſcrimen eſt, quòd ſtatus noſter verè detur, in quo natura eſt vniuerſalis, nec tamen contracta ad ſingularia, vt infrà confirmabitur; ſtatus verò ille Thomiſtarum numquam re ipsâ detur, in quo ſcilicet ipſa natura, nec ſit ſingularis,

nec vniuersalis, quia semper vniuersalitate afficitur, solusque est intellectus, qui eam concipit purè nudam, absque singularitate & vniuersalitate, solam eius spectando essentiam, essentialiaque considerando attributa.

Vniuersale in re ipsa, seu in singularibus, est eadem natura, sed in singularibus existens vt natura humana, prout realiter existit in Petro, Paulo, Socrate, & aliis singularibus hominibus, & dicitur natura vestita, scilicet sigularitate, sicut vestitus puer qui iam vestem induit.

Vniuersale denique *post rem*, seu post singularia, est ipsa natura vniuersalis, considerata ab intellectu sine cōditionibus particularibus, cum quibus coniungitur, vt natura humana considerata ab intellectu sine differentiis particularibus, Petri, & Petri, Petreitate scilicet & Pauleitate, cum quibus est coniuncta, siuè interim talis operatio intellectus sit necessaria, vt reddatur natura vniuersalis, siuè tantum vt cognoscatur vniuersalis, & vocatur natura denudata, putà singularitate, sicut puer denudatus, à quo vestis ablata est. Quanquā minus propriè natura post operationem intellectus dicatur singularitate denudata; cùm non auferatur ab ea singularitas, neque realiter, quia realiter adhuc manet singularis, & in singularibus; neque ratione, & cogitatione, cùm nemine cogitante distincta sit à singularitate, & verè vniuersalis, vt statim probabitur: sed tantum impropriè, quetenus intellectus eam concipit sine veste externa singularitatis, cum qua eam considerare posset, sicut dicitur denudare parietem albedine quâ afficitur, nō quod efficiat distinctionem parietis ab albedine, quia sine eius operatione paries distinguitur ab albedine;

ſed ipſum parietem concipiendo ſine albedine, cum qua eum conſiderare poſſet.

Notandum denique res poſſe conſiderari bifariam, vel tantum ſecundùm eſſentiam, vel ſecundùm exiſtentiam.

Res dicitur ſpectari *ſecundùm eſſentiam*, cùm ſola eius attributa eſſentialia, & ea quæ includuntur in difinitione eſſentiali, conſiderantur, vt homo, quatenus ſpectatur tantùm vt animal rationale, nihil cogitando de eius exiſtentiâ, ſeu quòd ſit actualiter in rerum natura, id enim importat nomen exiſtentiæ.

Res verò *ſecundùm exiſtentiam* conſiderari dicitur, quando non ſola eius attributa eſſentialia ſpectantur, ſed ipſa quoque eius actualitas, ſeu quod actualiter ſit in rerum naturâ poſita. His omnibus ita notatis, ſit.

Prima propoſitio. ***Natura vniuerſalis ſecundùm exiſtentiam non datur ante ſingularia.***

Probatur: Quidquid exiſtit, ſingulare eſt, vt Petrus, vel in ſingularibus, vt homo in Petro, ex ſuperioribus: ergo natura vniuerſalis non datur ante ſingularia ſecundùm exiſtentiam.

Confirmatur: Si natura vniuerſalis ſecundùm exiſtentiam ſeu vt exiſtens, eſſet ante ſingularia, foret idæa Platonica; quia talis idæa à Platone ponitur tantùm, tanquam natura quædam vniuerſalis, extra ſingularia exiſtens: Atqui talis idæa non poteſt admitti, ſed planè fictitia eſt, vt probabimus; ergo non datur natura vniuerſalis ſecundùm exiſtentiam ſeu exiſtens ante ſingularia.

Secunda propoſitio. ***Natura eſt verè & propriè vniuerſalis, ante omnem ſingularium exiſtentiam.***

Probatur primò. Ad rationem vniuerſalis verè

& formaliter

& formaliter sumpti, duo tantum requirũtur, aptitudo ad existendum in multis, & vnitas essentiæ: Atqui in naturâ, ante existentiam singularium, hæc duo reperiuntur: Ergo ante existentiam singularium natura est verè, & formaliter vniuersalis.

Probatur minor, quantum ad aptitudinem: Natura habet aptitudinem ad existendum in multis ante eorum existentiam, per quam habet, vt actu, & re ipsâ in illis existat, tritum enim est axioma, potentiam præcedere actum, & satis experientiâ comprobatur: etenim priùs est aliquid posse efficere, quàm illud actu efficere, priùs posse deambulare, quàm actu deambulare, & sic de reliquis: ergo datur in natura aptitudo ad existendum in multis ante singularium existentiam.

Neque valet solutio communis, hanc aptitudinem non esse proximam, quæ requiritur ad rationem vniuersalis, sed dumtaxat remotam, nec qui illam proferunt, satis acutè philosophantur, quæro enim num illa sit proxima potentia & aptitudo, quâ natura intelligitur tali modo esse constituta, vt nullas includat particularium differentias; si negent: ergo ne quidem aptitudo illa, quæ colligitur beneficio intellectus erit proxima, si quidem præstat tantum intellectus naturam tali modo constitui, vt nullas includat proprias indiuiduorum differentias, si verò concedant quæsitum, infero: ergo illa aptitudo naturæ ante existentiam singularium reuerà est proxima, cùm sic talis natura nullas includat particularium differentias.

Nec magis placet eorum responsio qui ita rationem allatam soluunt: Natura est apta inesse multis ante opus intellectus: *multiplex* concedo, *vna eadémque*: nego. Non inquam placet, cùm ad propo-

ſitum nullo modo reſpondeat; lubens enim quærerem ab illis,quando natura eſt ita multiplex in multis, eſt ne in indiuiduis, & ſingularibus, necne? Si prius: ergo ratio allata non ſoluitur, quæ non conſtituit naturam vniuerſalem in ſingularibus,ſed ante illa; ſi poſterius, peto vnde oriatur multiplicitas illa in tali naturâ ſpectatâ ante exiſtentiam ſingularium: non poteſt certè illud aſſignari, nam ſolæ indiuiduorum differentiæ hanc multiplicitatem efficere poſſunt. At verò in eo ſtatu,natura non includit tales differentias:ergo non poteſt dici multiplex in multis,proindéque erit vna;ex quo probatur minor propoſitio noſtri argumenti, quantum ad vnitatem.

Reſpondent aliqui, aſſignatam vnitatem non eſſe numericam Logicam, ſeu rationis, & præciſionis, quæ eſt ad rationem vniuerſalis formaliter ſumpti neceſſaria.

Verùm id malè reſpondent, eoque ſolum fine, vt verborum perplexitate, & ambagibus veritatis radium nobis eripiant: Vnitas enim illa quam ſtatuimus quæcumque tandem illa ſit, vel conſtituit vniuerſale,vel ſingulare: Atqui non cõſtituit ſingulare, natura enim ante ſingularia eſſet ſingularis, quod implicat: Ergo conſtituit vniuerſale, proindéque alia quæuis ſuperuacanea eſt & inutiliter efficta.

Tandem reſponderi poteſt naturam nihil omninò eſſe ante exiſtentiam ſingularium, proindéque aptitudinem illam,& vnitatem,quam nos illi ineſſe cogitamus, eſſe mera animi figmenta: nec ex his ſequi dari veras & reales naturas ante exiſtentiam ſingularium.

Sed contra. Natura vniuerſalis ante exiſtentiam ſingularium habet totam ſuam eſſentiam, quia vna

habet aptitudinem proximam exiſtendi in multis, in quo conſiſtit eſſentia naturæ vniuerſalis; ergo verè in illo ſtatu eſt vniuerſalis.

Probatur ſecundò noſtra propoſitio. Scientiæ ſunt tantum de rebus æternis, & perpetuæ veritatis: Atqui ſunt ſolùm de rebus vniuerſalibus (excipio ſcientiam de Deo) ergo res vniuerſales ſunt æternæ: ergo antecedunt exiſtentiam ſingularium, quæ ſolum eſt in tempore, vt omnes ſciunt.

Reſpondent aduerſarij, res quidem vniuerſales eſſe externas, ſed non ſecundùm eſſe reale.

Verùm contra: Si naturæ vniuerſales non ſint æternæ ſecundũ eſſe reale: ergo, vt æternæ nihil ſunt, ſed falſum conſequens; nam cùm ſcientiæ ſint tantum de rebus vniuerſalibus, vt æternæ ſunt, ſcientię tantum eſſent de nihilo, ac proinde non eſſet cur tanta animi contentione, tantíſque laboribus ad eas homo conſpiraret: Ergo naturæ illæ vniuerſales debent eſſe æternæ ſecundùm eſſe reale.

Poſtremò confirmatur hæc noſtra propoſitio rationibus illis quibus in Metaphyſ. probabimus rerum eſſentias priores eſſe exiſtentijs; cùm enim id ſolum poſſit intelligi de eſſentijs vniuerſalibus; quia quodlibet ſingulare, eo ipſo quod eſt ſingulare, exiſtit, certò & euidenter ſequitur, eſſentias vniuerſales præcedere exiſtentiam ſingularium,

Obiicies primò: Nullum totum poteſt eſſe ſine ſuis partibus: Atqui vniuerſale eſt quoddam totum, ſingularia tanquam partes continens: Igitur vniuerſale nequit eſſe ſine ſingularibus, & ante illa, vt ſtatutum eſt.

Reſpondeo conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: vniuerſale eſt totum ſingularia tanquam partes continens, potentiale, id eſt, quod illa inferiora

debet potestate continere, concedo: actuale: id est, quod illa actu debeat continere, nego. Ad consequentiam, ergo vniuersale nequit esse sine particularibus, distinguo, potentialibvs, concedo, actualiqus, nego.

Obiicies secundò: Si natura vniuersalis admittatur ante existentiam singularium, erit idæa Platonica, à singularibus separata, quam inferius reiiciemus: ergo non est admittenda natura vniuersalis ante existentiam singularium.

Neganda est consequutio antecedentis, ficta enim illa Platonis idæa, quam infrà explodemus, ponebatur ante existentiam singularium, & extra singularia, tam secundùm essentiam, quàm secundùm existentiam: nos verò tantum constituimus naturam vniuersalem ante singularia, secundùm essentiam, non item secundùm existentiam.

Obiicies tertiò: Si detur natura vniuersalis ante existentiam singularium, erit Deus: ergo non est admittenda.

Antecedens probatur: quidquid est ens per se independens, illud est Deus: atqui natura illa vniuersalis, realis ante existentiam singularium, si detur, debet esse ens per se, & independens, quia debuit ab externo fuisse, & à nullo, à qu o dependeret, ortum suum accepisse: ergo talis natura vniuersalis, realis ante existentiam singularium, si detur, erit Deus.

Negandum est antecedens, ad probationem distinguenda est maior: quod est ens per se independens, est Deus, si sit actu existens, concedo, si tantum potestate existat, & sit per solam essentiam, nego, quo pacto res vniuersales esse ante existentiam singnlarium statuimus.

Præterea, ad minorem dici potest, essentiam illam

vniuersalem, licet vt sic per non dependeat, quia per se non fit, tamen vt existat, saltem per aliud, dependere à Deo, quia non existit, nec existere potest, nisi in singularibus, & per singularia, quæ per se à Deo dependent, tanquam à primâ causâ, à quâ producta sunt, proindêque non esse Deum.

Obiicies 4. Essentia illa vniuersalis, vel est creata, vel increata: si creata, ergo existens, quia creatio terminatur ad existentiam, & illam confert: ergo singularis: ergo non est ante existentiam singularium: si increata, ergo est Deus, quia solus Deus est increatus: ergo nulla est, sed planè ficta, essentia illa vniuersalis, ante existentiam singularium.

Respondeo negando antecedens, propriè enim essentia illa vniuersalis, quam agnoscimus, ante existentiam singularium, nec est increata, nec creata, quia hæc sunt membra diuisionis entis, actualis, & existentis, sed est non creata.

Si quæras quod discrimen sit inter increatum, & non creatum.

Respondebo facilè, licet in verbis exiguum, & ferè nullum videatur, in sensu tamen & significatione esse notabile: Nam *increatum*, vt communiter sumitur, nimirùm pro Deo, dicit ens per se essentialiter existens, à nullo productum, & à nullo producibile sicque includit, tam negationem creationis actualis, quàm possibilis: *non creatum* verò dicitur, quod de facto creatum non est, posset tamen creari, vt Antichristus, qui nondum creatus est, sed tamen potest creari; & ita non creatum dicit solam negationem creationis actualis, non autem possibilis: Rectè igitur diximus, essentiam vniuersalem, ante existentiam singularium, esse non creatam, quia verè creata non est, pro eo statu, non

tamen increatam, quia saltem per aliud creari potest, v.g. natura humana per Petrum qui propriè, &, vt loquuntur, in actu exercito creatur.

Denique obijcies. Essentia illa vniuersalis, ante existentiam singularium, vel est actualiter ens, vel potentialiter tantum: si potentialiter, simpliciter verum est dicere eam nō esse ens, sed posse fieri ens: si actualiter: ergo existit, sicque non est ante existentiam singularium: ergo fictitia est essentia illa vniuersalis ante existentiam singularium.

Respondeo negando antecedens, essentia enim illa vniuersalis, ante existentiam singularium, nec est potentialiter tātum ens, nec etiam propriè actualiter: sed est actu ens. Miraris discrimen inter esse actualiter, & actu: Desinas tamen mirari velim, siquidem discrimen istud apertum est: Nam esse ens actu, est esse ens sine fictione, & operatione mentis, vt rosa hyeme est ens actu, quia habet essentiam suam, & potest essenciali definitione definiri: esse verò actualiter est esse actu, aliter, hoc est in alio statu, & sub alio modo, nempe extra potestatem causarum, nam cùm res esset tantum in potestate causarum, antequam existeret, cum incipit existere ponitur extra potestatem causarum, & sic in alio statu, & sic aliter, proindéque non solum actu, sed actu, aliter, vno verbo actualiter.

Vnde sequuntur duo: Primùm esse actu, latiùs patere quàm esse actualiter, nam licet quidquid est actualiter, sit actu, non tamen quidquid est actu, actualiter est, sed esse actu, est veluti genus commune iis quæ existunt, & sunt actualiter, & iis quæ non existunt, nec sunt actualiter, possunt tamen existere, & esse actualiter, vt nostræ essentiæ vniuersales ante existentiam singularium.

Sequitur secundo, hunc loquendi modum non esse cõuenientem, existentia est modus rem actu constituens, sed loco particulæ actu, subrogandam esse particulam actualiter, quia cum res dicatur esse actu ab actu quem ipsa participat, æquè ab actu essentiæ dicitur esse actu, quàm ab esse existentiæ: cùm verò tantum dicatur actualiter ab actualitate, quæ soli existentiæ propria est, propriè per existentiam dicitur esse actualiter.

Tertia propositio: Natura in ipsis singularib. existens, v.g. humana in Petro, & Paulo est verè & formaliter vniuersalis, ante omnem intellectus operationem: hæc propositio est Scoti suprà, & Scotistarum omniũ contra D. Thomam & eius discipulos.

Probatur primò: Natura existẽs in singularib. v.g. humana in Petro & aliis hominibus distinguitur à parte rei & citra omnem operationem intellectus, ab ipsis particularibus conditionibus, & differentiis, putà Petreitate, & aliis: ergo natura existens in singularibus, est verè & formaliter vniuersalis.

Consequentia patet: quia si natura, etiam in aliquo particulari existens, sit distincta à parte rei, ante omnem cogitationem intellectus, ab ipsâ particularitate, v.g. natura humana, in Petro, à Petreitate ante omnem operationem intellectus, est vniuersalis, quoniam sola identitas naturæ communis cum differentiis particularibus impedit vniuersalitatem.

Antecedens verò ostenditur: natura existens in singularibus, verbi gratia, humana in Petro, non includit in se essentialiter differentias particularium, seu indiuiduorum, putà Petreitatem Petri, alioqui Petrus esset de essentiâ hominis, & sic quilibet homo esset Petrus, quod omninò absurdum est: ergo natura existens in singularibus, distinguitur

ex natura rei, & citra omnem intellectus operationem, ab ipsis particularibus conditionibus, & differentiis indiuiduorum.

Communis responsio est, negandum esse antecedens, & ad eius probationem dicendum, naturam quidem abstractam à singularibus, non includere conditionem singularem, v.g. naturam humanam à Petro abstractam, non includere Petreitatem, ita tamen cùm illâ intimè coniungi, vt si abstrahatur, etiam per mentem, nihil ampliùs in ipso singulari remanere intelligatur, proindéque non esse distinctam ab ipsis singularibus à parte rei, sed tantùm intellectus beneficio.

Sed contra, præter communem gradum humanitatis, Petrus dicit aliquid reale, à parte rei, per quod differt à Paulo, & aliis hominibus, sicuti præter communem rationem animalis, homo adhuc includit aliquem gradum, nempe rationalitatem, cuius beneficio distinguitur à cæteris rebus; nec legitima ratio ab aduersariis assignari potest, cur in homine, præter communem gradum animalis, includatur peculiaris aliquis gradus, per quem differat à brutis animantibus, non autem in Petro, præter communem gradum humanitatis, includatur peculiaris gradus, per quem ab aliis particularibus hominibus seiungatur.

Dices, seclusâ per operationem intellectus humanitate, à Petro, quid est ille gradus Petreitatis quem dicimus remanere?

Respondeo esse differentiam particularem & indiuiduantem Petri, sicut rationalitas est differentia specifica hominis, nec difficilius esse vnum statuere, quàm alterum.

Probatur secundò nostra propositio: Ante omnem

operationem intellectus, Petrus, & Paulus magis inter se conueniunt, quàm Petrus & Bucephalus: ergo à parte rei, & citra omnem operationem intellectus, datur natura quædam communis & vniuersalis in Petro & Paulo.

Consequentia est nota: Si enim à parte rei non datur natura communis, sed solum per intellectum, à parte rei nullo pacto conuenirent Petrus & Paulus, quia non possunt conuenire, nisi in natura communi, ideóque non magis re ipsa conueniunt, quàm Petrus & Bucephalus.

Antecedens verò ostenditur: A parte rei, & citra omnem operationem intellectus, minùs differunt Petrus & Paulus, quàm Petrus & Bucephalus, vt quisque per se satis intelligit, nec vllus est ex aduersariis, qui non grauem sibi putaret illatam iniuriam, si quis eum, non magis ab equo & asino, quàm ab alio homine re ipsa differre assereret: ergo à parte rei, & ante omnem operationem intellectus, magis inter se conueniunt Petrus & Paulus, quam Petrus & Bucephalus.

Denique, similitudo inter duos parietes albos, est realis, atque ideò conuenit à parte rei, ante omnem operationem intellectus: ergo datur à parte rei, vna albedo specie, in istis duobus parietibus, in quâ conueniant, & sint similes, quia non possunt conuenire, & esse similes in duabus albedinibus, vt duæ sunt, ac proinde tantùm, vt in vnam speciem coalescunt: ergo datur natura communis & vniuersalis à parte rei, ante omnem operationem intellectus.

Consequentia non indiget probatione: Antecedens communiter admittitur ab ipsis etiam aduersariis, in Categoriis Aristotelis, cap. de relat. vbi in-

ter reales relationes, recensent eas quæ fundantur in aliqua vnitate naturæ communis, vt sunt relationes identitatis, inter duas substantias, Petrum v. g. & Paulum; æqualitatis, inter duas quantitates, v. g. inter duas bipedales lineas, & similitudinis inter duo, in ea qualitate conuenientia, vt inter duos Cygnos in eadem albedine conuenientes, immò minus cautè prouidentes quid inde contra eorum doctrinam hac in parte sequatur, istam veritatem hauriunt ex ipsomet Aristotele 5. Metaphy. cap. 15. vbi etiam recipit, tanquam reales, relationes illas, quæ in vnitate fundantur, nempe relationes *identitatis, æqualitatis, & similitudinis.*

Obiicies primò. Repugnat à parte rei, idem simul esse vniuersale, & singulare, quia hæc duo opponuntur, *singulare* enim dicit aliquã naturam contractam, & incõmunicabilem; *vniuersale* verò pluribus communicabilem, sed natura existẽs in aliquo singulari, v.g. natura humana in Petro à parte rei est singularis, vt constat; ergo sic non potest esse vniuersalis.

Maior distinguenda est; vnum & idem à parte rei non potest esse vniuersale & singulare, vno & eodem respectu, concedo, diuerso respectu, nego: & sic dicendum est, naturam, à parte rei existentem in aliquo singulari, putà humanam in Petro, esse quidem simul vniuersalem, & singularem, non tamen eodem respectu, sed diuerso: vniuersalem secundùm se, & vt est humanitas; particularem verò, ratione adiunctæ sibi particularis differentiæ, putà Petreitatis, scilicet extrinsecè. Nec hoc magis esse absurdum, quàm parietem affectum albedine, simul, citra mentis operam, secundùm se esse indifferentem ad albedinem, & nigredinem, & determinatum ad esse album, propter adiunctam sibi albedinem.

Breuiùs dici poteſt, naturam eſſe ſimul vniuerſalem, & ſingularem, hoc diuerſo modo, nempe vniuerſalem intrinſecè, & determinatè, quia ſemper eſt vniuerſalis, particularem verò extrinſecè, & indifferenter, quia planè ſingularitas extra naturam eſt, itaque natura omninò indifferenter ſe habet ad omnes differentias ſingulares.

Obiicies ſecundò: Natura vniuerſalis debet eſſe vna, & indiuiſa, vt patebit ex definitione vniuerſalis: Atqui natura exiſtens in ſingularibus non eſt vna & indiuiſa, ſed multiplex, & in ipſa ſingularia diuiſa, v.g. natura humana non eſt vna in Petro, Paulo, & Ioanne, ſed multiplex, & in illos diuiſa; non enim dicimus Petrum, Paulum, & Ioannem, eſſe vnum hominem, ſed tres homines: de illiſque homo diuiſim, & in plurali numero prædicatur: Ergo natura exiſtens in ſingularibus, à parte rei, ſine operatione intellectus, non eſt vniuerſalis.

Conceſſa maiori, minor diſtinguenda eſt, natura exiſtens in ſingularibus non eſt vna, & indiuiſa, vnitate numericâ & ſingulari, diuiſio néque in ipſa ſingularia, concedo: non eſt vna, vnitate vniuerſali, ſiue generica, ſiue ſpecifica, & in ſe indiuiſa, nego: reuera enim, licet homo ſit multiplex numero & in multis hominibus & in illos diuiſus, ratione multiplicis differentiæ indiuiduantis ſeu particularis, per quam contrahitur, nihilominus ſecundùm ſe vnus eſt, vnitate ſpecifica, & in ſeipſo indiuiſus: nec minùs verum eſt Petrum, Paulum & Ioannem eſſe vnum ſpecie hominem, quam tres numero homines, quod tamen tanquam abſurdum obiectio ſupponere videbatur.

Inſtabis: Vnitas vniuerſalis debet eſſe coniuncta cum vera proximáque aptitudine ad exiſtendum in

multis, ſed talis vnitas non conuenit naturæ in aliquo ſingulari exiſtenti, v.g. naturæ humanæ in Petro, quoniam ipſi ſingulari, vtpote Petro, ita propria eſt, vt proximè non poſſit communicari aliis hominibus, ſed remotè tantum, ſi per intellectum remota fuerit ipſa Petreitas ab humanitate: ergo natura exiſtens in aliquo ſingulari, à parte rei, nullâ vnitate vna eſt, proindéque nec vniuerſalis.

Conceſſa maiori minor neganda eſt, licet enim natura ipſa vt ſingularis, & vt contracta ad ſingulare, v.g. humana, vt ſingularis, & ad Petrum contracta, non ſit aliis communis: tamen, cùm ſecundùm ſe, etiam vt exiſtit in aliquo ſingulari, putà Petro, non includat differentiam ſingularem, ſcilicet Petreitatem, nec ſit ſingularis, non deſinit ſecundùm ſe eſſe communis, etiam proximè, atque ideò habere vnitatem vniuerſalem, coniunctam cum proximâ aptitudine ad exiſtendum in multis.

Clariùs, & ſubtiliori diſtinctione, humanitas in Petro ita ipſi propria eſt: vt aliis conuenire non poſſit: vt eſt in Petro, concedo: quæ eſt in Petro, negó: quia, vt eſt in Petro, includit ſimul Petreitatem, & ita aliis hominibus communis eſſe non poteſt: quæ verò eſt in Petro, ſumitur ſecundùm ſe, ſine ipſa Peteitate, & ita, aliis omnibus hominibus poteſt conuenire: eodem modo paries albus non poteſt fieri niger, vt albus, verum eſt, quia ſic inuoluit albedinem nigredini repugnantem; poteſt tamen, qui albus, fieri niger, quia paries, qui albus, non dicit albedinem, & ſic nihil dicit quod impediat ne niger fieri poſſit.

Rurſus inſtabis: Natura exiſtens in aliquo ſingulari, putà humana in Petro, non diſtinguitur à parte rei, & ante opus intellectus ab ipſo ſingulari

adeóque semper est singularis: ergo existens in aliquo singulari, à parte rei, & sine operatione intellectus, non est communis & vniuersalis.

Antecedens ostenditur: Si natura existens in aliquo singulari, putà humana in Petro, à parte rei, & nemine cogitante, distingueretur, posset præter communem gradum, aliquis particularis intelligi, verbi gratia, præter communem gradum humanitatis in Petro, aliquis proprius & peculiaris gradus ipsi Petro: sed hoc non cadit sub intellectum, nam seclus à per mentem humauitate, à Petro, nihil amplius reale intelligitur in Petro, saltem illud assignari & explicari non potest, ergo natura existens in aliquo singulari, putâ humana in Petro, à parte rei ab eo non distinguitur, sed tantum per operationem intellectus.

Negandum est antecedens, ad cuius probationem, concessa maiori, minor negari debet, quemadmodum enim in homine, præter communem gradum animalitatis, in quo conuenit cum brutis animalibus, alium peculiarem admittimus rationalitatis, per quem constituitur in esse hominis, & ab ipsis brutis animantibus distinguitur: sic quoque præter communem gradum humanitatis in Petro peculiarem admittiuus Petreitatis gradum, per quem constituitur in esse Petri, & ab omnibus aliis particularibus hominibus seiungitur, nec potior ràtio de vno, quàm de alio, potest assignari.

Sed dices, quid sit illa Petreitas, quam in Petro admittimus, præter gradum communem humanitatis, estne substantia, vel accidens?

Respondeo, esse differentiam particularem Petri, sicut rationale est differentia specifica hominis: dicitur autem substantia, sed incompleta, & partialis,

eo modo quo quælibet alia differentia, vt postea apertiùs declarabitur.

Ex hac doctrina de Vniuersali in particularibus ante omnem operationem intellectus, quæstiones multæ, quæ longo verborum tractu pertractari solent, sine negotio soluuntur: vt primò, quâ abstractione natura abstrahatur à singularibus, an reali, ita vt re ipsa, ab ipsis singularibus auellatur, vt verũ aurum, à falso & adulterino in fornace; vel abstractione rationis, seu negatiuâ, quâ negetur esse in singularibus, vt albedo negatur esse in coruo; seu præcisionis, quâ per intellectum concipiatur sine particularibus conditionibus & differentijs indiuiduorum, vt color pomi concipitur sine eius sapore: hæc inquam prima quæstio, ex doctrina de vniuersali à parte rei, sine operatione intellectus, facilè expeditur; quia iuxta illam facilè respondetur, naturam vniuersalem non abstrahi realiter à singularibus, ita vt ab illis re ipsa auferatur, quia semper remanet in singularibus: nec ratione, quia ante omnem rationem, id est operationem intellectus, est vniuersalis, & distincta à singularibus, nec vllo pacto, vt fiat vniuersalis, tali opera intellectus indiget, seu qua negetur esse in singularibus, quia talis negatio falsa esset, cum adhuc reuera maneat in singularibus, seu qua concipiatur sine conditionibus indiuiduantibus, quasi ab illis distincta, quia ante omnem eiusmodi conceptionem & cognitionem intellectus, non includit conditiones indiuiduantes, sed est ab illis omnibus distincta.

Secunda quæstio pari facilitate soluitur: qua intellectus operatione fiat vniuersale, an absoluta, qua tãtum abstrahatur à singularibus, putà humana natura à Petro & Paulo: an verò comparatiua, qua-

cum ipſis ſingularibus, verbi gratia, natura humana, cum Petro & Paulo comparetur: ſiquidem, cùm abſolutè negatum ſit, vniuerſale per vllam fieri intellectus operationem, negatum quoque eſt, fieri, aut per abſolutam, aut comparatiuam: hæcq; controuerſia tantum dirimenda eſt inter eos, qui ſtatuunt vniuerſale fieri per operationem intellectus.

3. Et poſtrema quæſtio, quo modo intellectus faciat vniuerſale, iuxta doctrinam noſtram, vno pariter verbo ſoluitur, abſolutè negando vniuerſale fieri per intellectum, & aſſerendo, ante omnem ipſius intellectus operationem, vniuerſale in ſingularibus reperiri.

QVÆSTIO TERTIA.

Quotuplex ſit Vniuerſale.

IN conſtituendo Vniuerſalium numero magna diſſenſio eſt: Alij decem ſtatuunt, iuxta vulgarem Categoriarum numerum: Alij duo tantum, genus, & ſpeciem: Alij, & quidem communiter, quinque, genus, ſpeciem, differentiam, proprium, & accidens: Nos denique, & veriſſimè, octo; hocque modo noſtram ſententiam explicamus, & confirmamus.

Tot ſunt vniuerſalia, quot ſunt modi prædicandi vniuerſalibus proprij, atqui hi octo ſunt: ergo & octo vniuerſalia. Maior eſt euidens, ex modis prædicandi vniuerſalibus propriis, deſumuntur vniuerſalia: ergo quot illi ſunt prædicandi modi, tot debét eſſe & vniuerſalia. Minor verò ſuadetur: Quicquid prædicatur de alio, aut de eo prædicatur eſſentialiter, aut accidentariò: eſſentialiter, aut in quid, aut in quale quid, ſeu aut dum quæritur quid res ſit, aut qualis ſit eſſentialiter; ſi in quid, aut de multis ſpecie

differentibus, vt animal de homine & bruto, & est genus: Aut multis solo numero distinctis, vt homo de Petro & Ioanne, & est species. Si in quale quid, vel de genere & eo mediante de multis specie differentibus, vt sensibile de animali, eóque intermedio, de homine & bruto, & est differentia generis, seu generica: Aut de vna specie, & eius interuentu de indiuiduis, vt rationale de homine, & omnibus particularibus hominibus, & est differentia speciei, seu specifica.

Quæ verò prædicantur accidentariè, aut reciprocantur cum eo de quo prædicantur, vt risibile cum homine, quidquid enim est risibile est homo, & vice versa, omnis homo est risibilis, quod est reciprocari: Aut non reciprocantur, vt album de pariete; nam neque quodlibet album paries est, nec è conuerso, quilibet paries est albus.

Rursus, quæ prædicantur reciprocè, aut de genere prædicantur, & eo intermedio de multis specie differentibus, vt esse quantum de corpore, & eius interuentu de omnibus corporum speciebus, & est proprium generis, seu genericum: vel de vnica specie, & ea intermedia, de solis numero differentibus, vt risibile de homine, eóque interiecto de singulis hominibus solo numero distinctis, & est proprium speciei, seu specificum.

Denique ea quæ non reciprocè prædicantur, aut prædicantur de indiuiduis multarum specierum, proindéque & de multis speciebus, atque adeo de genere, vt album de Petro, & Bucephalo, lapide aliisque indiuiduis aliarum specierum, tum animalis, tum etiam aliorum corporum, & est accidens genericum: Aut tantùm prædicantur de vna specie, & eius indiuiduis, vt esse Dialecticum, de sola

hominis

hominis ſpecie, & eius interuentu de particularibus hominibus, & eſt accidens ſpeciei, ſeu ſpecificum: igitur hi octo dantur prædicandi modi, nimirum generis, ſpeciei, differentiæ genericæ, ſpecificæ, proprij generici, ſpecifici, accidentis generici, & ſpecifici, & conſequenter octo vniuerſalia, quæ vt faciliùs intelligantur, hanc apponimus tabellam.

Occurrunt aduerſarij duplicem non eſſe conſtituendam vniuerſalis ſpeciem ex differentia generica, & ſpecifica; nec item ex generico, & ſpecifico proprio; nec denique ex generico accidente, & ſpecifico, ſed vnicam; quoniam eodem ſemper modo prædicantur: differentia ſiue generica, ſiue ſpecifica, ſemper in quale quid; proprium in quale accidentarium reciprocum, accidens tandem in quale accidentarium non reciprocum.

Sed contra, licet in ea ratione generica & communi vniuerſalis conueniant differentia generica, & ſpecifica (quod proportione ſeruata de vtroque proprio generico, & ſpecifico, de vtroque accidente generico, & ſpecifico dicendum eſt) quod prædicentur in quale quid, nihilominus eſſentialiter, & ſpecie diſtingui non deſinunt, ſicut brutum & homo verè eſſentialiter & ſpecie diſcrepant, tametſi in generica ratione animalis conſentiant: ergo ſolutio aduerſariorum corruit. Cõfirmatur, differentia diuiditur in genericam, & ſpecificam, tanquam in ſpecies eſſentialiter diſtinctas (idem ſtatuendum eſt de proprio & accidente) ergo non debet conſtitui vnica ſpecies vniuerſalis ex duplici differentia.

Probatur primò antecedens: illæ ſunt ſpecies eſſentialiter diſtinctæ quæ diuerſas obtinent definitiones eſſentiales, quæ enim ſunt eiuſdem ſpeciei, vt ſinguli homines, habent eandem definitionem

essentialem: Atqui alia est definitio essentialis differentiæ genericæ, alia differentiæ specificæ, illa enim includit potentiam prædicandi de genere, & speciebus ipsi subiectis, hæc verò non item: ergo differentia generica & specifica sunt species vniuersalis essentialiter distinctæ.

Secundò, species propriè id dicitur, quod potest prædicari de multis solo numero distinctis in quæstione facta per quid, vt inferiùs explicabimus: Atqui vtraque differentia est huiusmodi, differentia enim specifica prædicatur de hâc, vel illâ differentia specificâ, generica de hâc, vel illâ differentiâ genericâ: ergo differentia generica & specifica sunt species vniuersalis inter se distinctæ.

Obiicies primò: Tot sunt vniuersalia quot sunt modi prædicādi de multis: Atqui illi sunt decē, primus substantię, reliqui nouem accidentiū, quantitatis, qualitatis, & aliorum: ergo & decem vniuersalia.

Distinguo maiorē, tot sunt vniuersalia quot sunt modi prædicādi, si accidentia comparentur cū substantia, concedo, si cum inferioribus accidentib. nego: licet enim nouem sint modi prædicādi accidentium de accidentib. v.g. quantitatis de quantitatib. qualitatis de qualitatibus, & sic de aliis, quatuor tamen duntaxat reperiri possunt modi prędicādi omnium accidētium de substantia, quia aut de illa prędicantur reciprocè, & est proprium, vel genericū, si de genere, vel specificū, si de specie prędicetur: Aut non reciprocè, & est accidens, vel genericum, vel specificū, prout eius prędicatio fuerit vel de genere, vel vnâ tantum specie, modo superiùs exposito.

Quatuor autem alij prędicandi modi aliorū quatuor vniuersalium, in quolibet alio genere cum suis inferioribus comparato reperiuntur, vt in genere

ſubſtantiæ animal tanquam genus, homo tanquam ſpecies, ſenſibile tanquam differentia generica, & rationale tanquam differentia ſpecifica.

Obiicies ſecundò. Si differentia generica & ſpecifica (idemque dicendum de proprio generico & ſpecifico, accidente generico, & ſpecifico) conſtituerent duo diſtincta vniuerſalia, etiam genus ſummum, ſeu quod nullum habet genus ſupra ſe, vt ens & genus interiectum, ſeu quod interiicitur inter genus & ſpecies, & eſt genus ſpecierum, & ſpecies generis vt eſt animal, quod interponitur inter viuens, genus, & hominem, & brutum, ſpecies eſtq; ſpecies viuentis, & genus hominis, & bruti, duo inquam illa genera, ſummum, & interiectum, conſtituent duo diſtincta vniuerſalia: ergo vel non ſunt octo, vel plura.

Reſpondeo negãdo antecedens, quia genus ſummum, & interiectũ, non differunt per diuerſos prædicandi modos, ſemper enim prædicãtur de multis ſpecie differentibus, in quæſtione quid eſt, genuſq, interiectum dicitur interiectum, quod ſit ſpecies ſuperioris, & genus inferiorum, ſummumq; quod nullum ſupra ſe genus habeat, proindéque non ex ratione vniuerſalis, genus ſummum, & genus interiectum conſtituuntur. At verò differentia generica & differentia ſpecifica v. g. differunt per diuerſos prædicandi modos, vt ſupra docuimus, ideoq; merito duo diſtincta conſtituuntur vniuerſalia.

Tertiò obiicies: Omne vniuerſale debet prędicari de multis: atqui differentiæ, & propria non prędicantur de multis, ſed de vno tantum, ſenſibile de animali, rationale de homine, quantum de corpore, hinnibile de equo: ergo differentiæ & propria non ſunt vniuerſalia, & conſequenter octo non ſunt;

Distinguo maiorem, vniuersale debet prædicari de multis, mediatè, vel immediatè, concedo, immediatè tantùm, nego: Ad maiorem eadem distinctione respondeo, differentiæ & propria non prædicantur de multis, sed de vno tantum, immediatè, concedo, mediatè, nego, quia sensibile, verbi gratia (& idem de aliis conseri debet) licet immediatè de solo animali prædicetur, eo tamen intermedio, de homimine, & bruto omnibusque hominibus, & brutis prædicatur, vt nemo ignorat.

Denique obiicies. Omne vniuersale debet prædicari de suis inferioribus, atqui differentia, proprium, & accidens, non prædicantur de inferioribus, sed de subiectis, rationale non de rationalibus, sed de homine, hinnibile non de hinnibilibus, sed de equo, album non de albis, sed de pariete: ergo differentia, proprium & accidens non sunt vniuersalia.

Maior simpliciter negāda est, ad vniuersale enim tantùm requiritur, vt de multis prædicetur, siue illa multa inferiora sint, siue subiecta, hæc conditio, quòd vniuersale prædicetur de inferioribus, gratis ab aduersarijs, & sine vllo fundamento, vel probatione affertur, & sine cunctatione negatur.

SECTIO TERTIA.

De essentia Vniuersalis.

QVÆSTIO PRIMA.

De eius definitionibus.

DVplex communiter traditur vniuersalis definitio: alia accurata, essentialis, & metaphysica, quæ desumitur ex Aristotele primi Metaphys. cap. 3. *Vniuersale est vnū aptum inesse multis vniuocè,*

& diuisim: Alia est accidentalis, & magis Logica, quæ hoc verborum contextu communiter assignatur, *Vniuersale est vnum quid, aptum prædicari de multis, vniuocè & diuisim.*

Posterior autem hæc Vniuersalis definitio, accidentalis, & logica dicitur, prior verò essentialis, & Metaphysica, propterea quòd essentialis definitio, & metaphysica dari debet per id quod est essentiale rei definitæ: At verò hæc posterior non est eiusmodi, quippe quæ traditur per aptitudinem prædicandi de multis, quæ Vniuersali non est essentialis, sed tantum accidentalis, nempe proprietas manans ab ipsa aptitudine existendi in multis, per quam prior definitio traditur: si quidem priùs est rem aliquam esse in multis, quàm de illis prædicari seu affirmari, (hæc enim duo idem sunt) priùs naturam humanam existere in Petro, quàm id affirmemus, dicamusque, Petrus est homo: ergo hæc posterior definitio vniuersalis, quæ traditur per aptitudinem prædicandi de multis, tantum erit accidentalis, & logica, prior verò essentialis, & metaphysica.

Hinc nonnulli distinguunt duplex vniuersale, alterum *in essendo*, nempe naturam ipsam, quatenus apta est inesse multis, alterum *in prædicando*, videlicet eandem naturam vniuersalem, sed quatenus est apta de multis prædicari.

Meliùs tamen dicendum est, vnum & idem esse vniuersale, sed dupliciter consideratum, vel essentialiter, quomodo dicitur in essendo, vel accidentariò, quo sensu dicitur in prædicãdo: sicut animal rationale, & animal risibile, non sunt duo homines, sed vnus duntaxat duplici ratione consideratus, vel essẽtialiter, quo modo dicitur animal rationale, vel accidentariò, quo pacto describitur animal risibile.

Porrò cùm prior definitio sit accuratior, in ea sola explicanda immorandum est, singulæque eius partes distinctè sunt exponendæ.

Dicitur itaque vniuersale primò (*vnum*) intellige vnitate quadam communi, quæ sit coniuncta cum vera, & proxima aptitudine ad existẽdum in multis, quod sequens particula indicat, *aptum inesse multis.*

Additur prçterea (*vniuocè*) id est, secundum nomen & essentiam nomine declaratam, quo pacto homo singulis conuenit hominibus, qua hi tam nomen hominis, quàm humanitatem ipsius hominis nomine expressam participant, & sic excluduntur Homonyma, & Analoga quæ suis inferioribus secundùm eandem naturam non conueniunt, vt in propriis locis docebimus.

Tandem ponitur (*diuisim*) debet enim natura vniuersalis diuidi in sua inferiora, & totuplex fieri quotuplicia illa sunt, vt omnino se habet supradicta natura humana, quæ reuera multiplicatur in singulis hominibus, & totuplex redditur quotuplicia illa sunt. Hinc quia diuina essentia non multiplicatur in tribus personis, Patre, Filio, & Spiritu sancto, sed vna manet, & eadem numero, quia sicut sunt tres personæ, non ita sunt tres dininitates, fit vt ipsa diuina essentia propriè non sit vniuersalis, vt in Compendio tradidimus.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quid definiatur allata definitione Vniuersalis.

RESpondeo definiri naturam vniuersalem non secundùm suam essentiam spectatam; sed prout est vniuersalis, seu naturam vniuersalem esse

definitum materiale,aliter,definitum quod,vniuersalitatem verò esse definitum formale,aliter,definitum quo.Declaratur:natura vniuersalis, verbi gratia,humana, secundùm suam essentiam spectata debet definiri, animal rationis capax, vt vero vniuersalis,id quod aptum est inesse multis: ergo cùm natura vniuersalis hîc definiatur id quod aptum est inesse multis,non definitur secundùm suam essentiã sed prout est vniuersalis, seu natura est tantum definitum materiale, vniuersalitas verò forma.

Confirmatur exemplo,quando causa definitur id quod influit esse in aliud,hæc definitio non est causæ secundùm suam essentiam spectatæ, sed tantum vt causa est: si quidem cum omnes causæ in hac definitione conueniant,omnes essent eiusdem essentiæ, & sic cum Deus, Sol, & Homo, sint causæ propriè dictæ,in eadem essentia omnino conuenirent,quod nemo dixerit : ergo à pari cum definitur natura vniuersalis,id quod aptum est inesse multis, non definitur secundum suam essentiam, sed secundum suam vniuersalitatem, aliàs cum omnia vniuersalia in ipsa definitione conueniant,vnam quoque naturam sortirentur, & ita animal, albedo, scientia, quantitas, &c. quæ conueniunt in definitione vniuersalis,essent eiusdem naturæ, quod planè absurdum est.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum natura Vniuersalis sit tantum vox vel conceptus animi.

Affirmant Nominales, sed hos redarguit tota schola Peripatetica in contrarium, asserens vniuersalia non esse nudas voces aut conceptus

animi seu formales quibus nullæ naturæ subsunt, sed veras & reales naturas vocibus significatas, & formalibus conceptibus expressas, verbi gratia, hominem in vniuersum, non esse solam hanc vocem (homo) aut animi conceptum, sed naturam aliquam tali nomine insignitam, & per animi conceptum declaratam.

Probatur primò Nulla est scientia de solis nominibus, & vocibus, vt iam antea probatum est: ergo datur tantum de rebus & naturis, sed non singularibus, vt quoque ostensum est: ergo tantum de rebus, & naturis vniuersalibus, ac proinde vniuersalia sunt res & naturæ, non autem nudæ voces, & conceptus animi.

Probatur secundo. Homo, verbi gratia, est eo modo vniuersalis, quo modo potest communicari multis: Atqui potest communicari multis secundùm essentiam, essentia enim hominis, omnibus hominibus conuenit, & non solum nomen, vt omnes intelligunt; ergo homo vniuersalis, (& idem de quolibet alio vniuersali dici debet) non est tantùm vox, sed natura realis.

Postremò. Vniuersalia sunt æterna & immutabilia, vt iam monuimus, atqui voces non sunt eiusmodi, vt in Logicæ præludiis contra Nominales probauimus: ergo vniuersalia non sunt voces, sed naturæ reales.

Obiicies primò, res omnes particulares esse, proindeque solas voces posse dici vniuersales.

Sed hæc obiectio soluta est supra, dictumque fuit res etiam vniuersales dari in singularibus existentes, non extra ipsa singularia.

Præterea obiiciũt Nominales. Quod significat, est vox: sed vniuersalia significant, docet enim Aristo-

teles in Categoriis cap. de substantia, proprium esse substantiis secundis quod significent, cum tamen substantiæ secundæ sint vniuersales, vt omnes agnoscunt: ergo vniuersalia sunt tantum voces.

Distinguo maiorem, quod significat, est vox, si per se significet, concedo, si per accidens, nego: Ad minorem pari distinctione respondeo, vniuersalia, verbi gratia, substantiæ secundæ secundum Aristotelem significant per accidens, id est, ratione nominum quibus exprimuntur, concedo: per se verò, & quatenus sunt substantiæ secundæ, nego: Atque eam esse Aristotelis mentem patet ex eo, quod idem ipse philosophus, eodem loco, æquè tribuat substantiis primis, seu singularibus, (quas nemo negat esse res quasdam & naturas reales, non autem nudas voces) significare, ac ipsis substantiis secundis & vniuersalibus.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum Vniuersalia sint corporea vel incorporea.

RESpondeo breuiter, vniuersale esse corporeum, quod existit in particularibus corporeis, incorporeum verò quod in particularibus incorporeis existit.

Probatur: Corpus & spiritus sunt tanquam duo generalissima substantiæ membra, suo ambitu omnia corpora, & spiritus omnes complectentia: ergo iure illud dicitur vniuersale corporeum quod existit in particularibus corporeis, incorporeum verò quod in singularibus incorporeis residet.

SECTIO QVARTA ET POSTREMA.

De affectionibus Vniuersalium.

QVÆSTIO PRIMA.

An natura Vniuersalis sit realiter separata à particularibus, seu de idæa Platonica.

PArtem aientem præceptori Platoni tribuit Aristoteles, vultque eum statuisse naturam vniuersalem realiter à singularibus separatam, & extra illa existentem, verbi gratia, naturam humanam à Petro, Paulo, aliisque hominibus seiunctam, & extra eos omnes existentem, illamque appellasse *idæam*, à qua eadem manente, omnia singularia essentiam formamque mutuarentur, non minus quàm ab eodem sigillo variæ imagines cera imprimuntur.

Iustinus verò martyr in oratione ad Gétes, Tertullian. in libris de Anima, & alij plurimi, Aristotelem hac in parte reprehendunt quòd malignè præceptori Platoni imposuerit eam de idæis & naturis vniuersalibus opinionem.

Quicquid sit, siue ea fuerit Platonis sententia, siue ei parum candidè imposuerit Aristoteles, hæc de idæis, & naturis vniuersalibus reipsa à singularibus separatis, sententia meritò ab omnibus Peripateticis exploditur.

Prima ratio contra fictitiam illam idæam, hæc est. Quod prædicatur de aliquo, non potest realiter ab eo esse distinctum, sed naturæ vniuersales de singularibus prædicantur, verbi gratia, animal & homo, de Petro & Paulo, quia Petrus & Paulus dicuntur animalia & homines: ergo naturæ vniuersales

non ſunt à ſingularibus realiter ſeparatæ. Maior probatur: quod eſt in aliquo eſſentialiter, nequit realiter ab illo eſſe ſeparatum, vt vident omnes: at quod prædicatur de aliquo, ſaltem eſſentialiter, in eo eſt eſſentialiter, nam modus prædicandi, (vt communiter dicitur) ſequitur modum eſſendi, priuſque eſt rem aliquam eſſe in alia, quàm de ea prædicari affirmatiuè poſſit, priùs hominem eſſe in Petro, quam de illo prædicetur, dicamuſq; Petrus eſt homo: ergo quod de aliquo prædicatur ſaltem eſſentialiter, non poteſt eſſe ab eo realiter ſeparatum.

Secunda ratio: Quicquid exiſtit extra Deum, vel per ſe, vel per aliud, ab ipſo Deo productum eſt: ſi per ſe, ſingulare eſt, ſi per aliud, eſt vniuerſale exiſtens in ſingularibus, vt homo in Petro, qui quidem homo, ideo per aliud productus dicitur, quia non niſi ad productionem ipſius Petri, vel alterius cuiuſdam particularis hominis productus eſt: ergo nulla datur natura exiſtens extra ſingularia, proindéque nec illa ficta Platonis idæa, vt Platonem interpretatur Ariſtoteles.

Obiiciunt Platonici. Incorruptibile & æternum nequit exiſtere in caducis & corruptibilibus, ſed vniuerſalia ex dictis ſunt æterna & incorruptibilia, ſingularia verò fluxa & corruptibilia: ergo non poſſunt in ſingularibus exiſtere, proindéq; debent ab illis realiter eſſe ſeparata.

Reſpondeo diſtinctione maioris: incorruptibile & æternum non poteſt exiſtere in caducis, & corruptibilibus, ſi ſit incorruptibile, & æternum, tam ſecundum eſſentiam, quàm exiſtentiam, concedo; ſi ſecundum ſolam eſſentiam, nego. Quando autem dicim⁹ vniuerſalia eſſe incorruptibilia, & æterna, id intelligitur tantum ratione eſſentiæ, quia res

habet suas essentias ab æterno, homo, v. g. ab æterno est animal rationale, non autem ratione existentiæ, quia cum vniuersalia non existant nisi in singularibus, & per singularia, non semper extiterunt, sed vbi primùm singularia cœperunt existere, tamdiúque existunt, quamdiu ipsa singularia: ex quo quæstio soluitur quæ communiter proponitur, an & quomodo vniuersalia æterna sint: vno verbo concludendo, æterna esse per essentiam, sed non per existentiam.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum Vniuersalia sint vbique.

BReuiter respndeo Vniuersalia non esse vbique positiuè, sed tantum negatiuè. Hæc responsio explicatur, simúlque probatur: illud dicitur *vbique positiuè*, quod omnem locum occupat, vt Deus, & corpus, si daretur quod mole sua omne spatium repleret: illud verò *negatiuè* tantùm *vbique* esse dicitur, quod nulli certo loco est astrictum, sed potest in quolibet designabili loco existere: Atqui vniuersalia non replent omnem locum, neque etiam vlli certo sunt addicta, sed possunt in quolibet designabili existere, quia non existunt, nec sunt in loco nisi per singularia quæ omne spatium non occupant, possunt tamen indifferenter omni loco adesse: ergo Vniuersalia non sunt vbique positiuè, sed tantum negatiuè.

QVAESTIO POSTREMA.

De conuenientia Vniuersalium inter se.

REpetendum ex supradictis Vniuersale posse considerari bifariam, scilicet *materialiter* pro

natura quæ dicitur vniuerſalis, putà humana, & *formaliter* pro vniuerſalitate.

Supponendum præterea ex dicendis infrà in Anteprædicamento, cõuenientiam eſſe triplicem, ***Homonymam*** inter ea quæ ſolo nomine conueniunt vt canis cæleſtis, terrenus, & marinus conueniunt in nomine canis: ***Synonymam***, inter ea quæ nomine & natura conueniunt, vt homo & brutum in nomine, & natura animalis: & ***Analogam*** inter ea quæ nomine, & aliquo pacto natura conſentiunt, vt animal, potio, vrina, quæ conueniunt in nomine ſani, & aliquo pacto in natura, non tamen eodem, quia alia eſt ratio ſanitatis animalis, alia potionis, & vrinæ, vt poſtea dicetur. His duobus poſitis, ſit.

Prima propoſitio.

VNiuerſalia conſiderata primo modo, inter ſe vniuocè conueniunt.

Probatur. Naturæ omnes tam ſubſtantiales quàm accidentales poſſunt conuenire ſynonymè, vt probabimus in Anteprædic. contra D. Thomam: Atqui vniuerſalia ſpectata primo modo ſuptadicto, ſcilicet pro rebus ipſis quæ dicuntur vniuerſales, ſunt naturæ ſubſtantiales, & accidentales, animal enim quod eſt genus eſt ſubſtantia, & albedo accidens: ergo vniuerſalia hoc primo modo ſumpta inter ſe ſynonymè conueniunt.

Secunda propoſitio.

VNiuerſalia conueniunt vniuoce in vniuerſalitate (ſeu quod eodem recidit) vniuerſalitas eſt ſynonyma vniuoca reſpelpectu omnium vniuerſalitatum, generis ſcilicet, ſpeciei & cæterarum,

Probatnr:illud eſt ſynonymum quod conuenit ſecundùm nomen, & naturam per nomen explicatam, atqui vniuerſalitas eſt eiuſmodi reſpectu omnium vniuerſalitatum: ergo illarum comparatione eſt ſynonyma, Minor probatur: nulla datur ex præfatis octo vniuerſalitatibus quæ non vocetur vniuerſalitas, vt conſtat: ergo nomẽ vniuerſalitatis omnibus vniuerſalitatibus conuenit: rationem autem eſſentialem ſeu naturam conuenire oſtenditur: Natura vniuerſalitatis conſiſtit in aptitudine ad exiſtẽdum in multis coniuncta cum vnitate naturę, atqui hæc eſſentia ſingulis vniuerſalitatibus competit, nam ſicut vniuerſalitas generis eſt aptitudo ad exiſtendum in multis, ita vniuerſalitas ſpeciei, differentiarum, propriorum, & accidentium: ergo natura vniuerſalitatis conuenit omnibus vniuerſalitatibus & conſequenter illarum reſpectu eſt ſynonyma.

Obiicies primò, Quod vni conuenit independenter, & alteri dependenter, non eſt eorum reſpectu ſynonymũ: atqui vniuerſalitas independer conuenit generi, & ſpeciei, dependenter verò aliis vniuerſalibus, quia ſine genere & ſpecie, nec eſſent differentiæ, nec propria, nec accidentia: ergo illis non eſt hoc reſpectu vniuocum.

Maior ſimpliciter neganda eſt, ſiquidem intellectus & ſcientia in gradu qualitatis ſynonymè conueniunt, etiam ſecundùm mentem aduerſariorum, quamquam tamen qualitas intellectui conueniat independenter, & ſcientiæ dependenter, quia ſcientia ſine intellectu eſſe, aut definiri non poteſt. Sed hæc ſolutio clarior erit in antepræd. vbi agemus de conuenientia entis reſpectu Dei, & creaturarum ſubſtantię & accidentis.

Secundò obiicies. Si vniuerſalitas ſynonymè cõ-

ueniat octo vniuersalitatibus, earum comparatione debebit esse genus, aut aliquod aliud ex vniuersalibus quod tamen assignari non potest: atqui vniuersalitas nequit esse genus respectu octo vniuersalitatum, quia genus (vt infrà docebimus) non debet cōtineri in suis differentiis, per quas contrahitur, vt animal non includitur in rationali, & irrationali, quę sunt differentiæ ipsum ad hominem, & brutum contrahentes, vniuersalitas verò in communi includitur in differentiis specialium vniuersalitatum, quia illę differentię sunt vniuersales, ac proinde includunt vniuersalitatem: ergo vniuersalitas non conuenit synonymè octo vniuersalitatibus.

Respondeo neg. m. potest enim aliquid esse synonymum, quod tamen genus non erit aut alipuid aliud ex vniuersalibus, vt videre est, in ipsa diuina persona, prout cōmunis est tribus personis, Patris, Filij, & Spiritus sancti, ipsa enim persona diuina verè synonymè id est, secundum nomen, & naturam, tribus illis personis conuenit, quia quęlibet persona diuina, & vocatur persona diuina, & eius naturam ex æquo participat, attamen genus esse non potest: ostēditur: Genus debet prædicari de speciebus: sed tres illæ personæ diuinæ non sunt species, quia species debent componi ex genere, & differentia, illæ verò personæ hanc non possunt admittere compositionem, nam quicquid est in Deo omni planè compositione careat necesse est: ergo persona in communi diuina non est genus, respectu trium personarum diuinarum, nec etiam species (de qua posse esse dubitatio) quia nullum supra se genus agnoscit, cùm tamen omnis species aliquod supra se genus habere debeat. Ergo synonyma est, nec vllum tamen ex vniuersalibus. Plura & apertiora

citato loco in Antepraedic. Haec de vniuersalibus in communi.

SECVNDA DISPVTATIO, DE *Vniuersalibus speciatim.*

SECTIO PRIMA.
De Genere.

QVÆSTIO PRIMA.
De nomine & varia acceptione Generis.

QVod caput est cæteris partibus, illud est Genus reliquis vniuersalibus, sicut enim capiti submittuntur alia membra, sic generi subiiciuntur cætera vniuersalia, & sicut à capite reliqua pendent membra, ita à genere reliqua vniuersalia. Tolle caput omnia tollis membra, tolle genus nulla remanent vniuersalia; propterea hanc vniuersalium speciatim disputationem non incongruè cum Porphyrio in sua Introductione à genere auspicamur: docet autem Porphyrius c. 2. prædictæ Introductionis genus trifariam sumi posse. Primò pro collectione, & multitudine eorum quæ ab vno principio, vt fonte manarunt, vt genus Heraclidarum pro iis hominibus, qui ex Hercule profecti sunt.

Secundò accipitur genus pro eo principio, vel capite à quo multitudo eiusmodi fluxisse dicitur, & hoc est vel pater, vt Hercules, eorum respectu qui ab ipso orti sunt, vel Patria, vt Gallia respectu Gallorum, Hispania respectu Hispanorũ, & sic de aliis. Postremò sumitur genus accuratè & philosophicè pro eo vniuersali quod sub se species continet, vt animal continet hominẽ, & brutum, quodque prædicatur de multis specie differentibus in quæstione quid

quid est, vt idem animal de homine & bruto, cùm quid sint homo, & brutum inquirimus: sed hæc indigent pleniori expositione quam quæstione tertia trademus.

QVÆSTIO SECVNDA.

De existentia Generis, seu an sit.

CVm Genus sit primum vniuersale; & veluti caput à quo cætera dependent, ipsum existere omnes vnanimiter concedunt ne reliqua de medio tollere cogantur vniuersalia.

Sed difficultas est vtrum vnica existente specie existeret genus, verbi gratia, vnica hominis specie existente existeret animal siue materialiter sumptum pro natura animalis, siue formaliter quatenus genus est, seu pro genereitate (vt loquuntur.) Eadem quæstio proponitur de specie, an similiter vno existente indiuiduo posset existere, verbi gratia, vno existente Petro, posset existere homo siue materialiter sumptum pro natura hominis, siue formaliter ratione specialitatis. Sit autem

Prima propositio.

GEnus materialiter sumptum pro natura quæ dicitur genus integrum conseruatur in vnica specie, & species in vnico indiuiduo, verbi gratia, natura animalis in solo homine, & hominis in solo Petro.

Probatur, natura generis tota est in vnica specie, & tota natura speciei in vnico indiuiduo, verbi gratia, tota animalis natura in vnico solo homine, & hominis in vnico Petro, adeo vt nihil plus animalitatis habeãt simul homo, & brutum, quàm solus homo,

nihil plus humanitatis Petrus, Paulus, & cæteri homines, quàm solus Petrus: ergo genus materialiter sumptum pro natura quæ dicitur genus, potest integrum conseruari in vnica specie, & species in vnico indiuiduo, si quoque ipsa species materialiter accipiatur.

Occurres, si genus (idem de specie dicendum est) totum sit in vnica specie, quomodo potest esse in aliis?

Respondeo: eo modo proportione seruata quo anima tota existés in digito, tota existit in aliis corporis partibus, vnde dicunt totum quidem genus, verbi gratia, animal esse in vnica specie putà homine, non tamen totaliter, quia particula illa totaliter excludit animal ab aliis speciebus, sicuti anima dicitur tota in digito, non tamen totaliter, ne hac particula excluderetur à reliquis corporis partibus.

Alij dicunt genus totum reperiri in vnica specie intensiuè, hoc est, secundùm totam suam essentiam, non tamen extensiuè, quia secundùm eandem essentiam ad alias species extenditur: sicut anima existens in digito, tota est intensiuè, id est, secundùm totam suam essentiam, non tamen extensiuè, quia secundùm eandem suam essentiam non desinit ad alias corporis partes sese extendere.

Alij denique dicunt totum genus esse in vnica specie essentialiter, quia est secundùm totam suam essentiam, non tamen entitatiuè, hoc est, secundùm illum modum quo essentia illa generis per varias species dispergitur; sicut anima in digito tota est essentialiter, id est, secundùm suam essentiam, non tamen entitatiuè, id est, secundùm illum modum quo anima per varias corporis partes diffunditur.

Secunda propositio.

Genus formaliter sumptum pro genereitate, potest conseruari in vnica specie, & species eodem modo sumpto, in vnico indiuiduo. Hæc propositio supposita nostra scientia de vniuersali formaliter à parte rei in singularibus, facilè probatur: natura in aliquo singulari existens est formaliter vniuersalis, vt suprà probauimus: ergo genus potest esse formaliter genus in vna tantùm existens specie, & species formaliter species in vno existens indiuiduo, v.g. animal in solo homine existens, & homo in vno existens Petro,

Obiicies, perfectum vniuersale debet ad omnia sua inferiora referri: ergo genus in vnica specie non est perfectum vniuersale, nec species in vnico indiuiduo, quia sic genus non refertur ad omnia sua inferiora, scilicet species, nec species ad omnia indiuidua, quæ sunt speciei inferiora.

Respondeo distinct. anteced. perfectum vniuersale debet ad omnia sua inferiora referri, vel possibilia, vel actualia, concedo; actualia tantùm, nego: aliàs nunquam genus, & species possent esse perfecta vniuersalia, quia non tot possunt dari species sub vno genere, quin adhuc plures per diuinam potentiam dari possint, non tot indiuidua sub eadem specie, quin adhuc plura sub ea collocari diuina potestate queant; vnde patet negandam esse consequentiam.

QVÆSTIO TERTIA.

De essentia Generis.

ARTICVLVS PRIMVS.

De definitionibus Generis.

VT Vniuersalis in communi, sic generis definitio duplici modo tradi potest, vel per proprietatem nimirum prædicandi aptitudinem hoc modo, *Genus est vniuersale aptum prædicari de multis specie differenticus in quæstione quid est:* vel per essentiam, scilicet aptitudinem existendi in multis, his verbis, *Genus est vniuersale aptum inesse multis specie differentibus, tanquam pars essentialis respondens materia.*

De priori definitione, vtpotè quæ traditur à Porphyrio in hoc articulo, potissimùm loquimur, singuláſque eius partes diligenter examinamus.

Primò itaq; ponitur *vniuersale*, in quo genus cum aliis vniuersalibus conuenit. Additur *aptū prædicari de multis* ad distinctionem indiuidui, quod de seipso tātum prædicatur, vt Petrus est Petrus. Tertiò adijcitur, *specie differentibus*, ad differentiā speciei, quæ non potest prædicari nisi de solis numero distinctis, vt homo de singularibus hominibus solo numero differentibus. Vltimò adiūgitur *in quæstione quid est*, seu quando rei natura petitur, quidve sit inquirim[9]: sic quærenti quid sit homo, & quid brutū, rectè per genus nempe animal respondemus, dicimúsque homo est animal, brutum est animal, in quibus propositionibus animal prædicatur de homine & bruto: hac particula primò distinguitur genus à differentia, quæ quamuis essentialiter prædicetur de eo cu-

ius eſt differentia, quoniam ad eius eſſentiam pertinet, non tamen ſimpliciter in quid, ſed in quale quid, ſeu per modum formæ & qualitatis generi aduenientis; & illud ad ſpeciem quam eſſentialiter conſtituit, contrahentis, v. g. licet rationale prædicetur eſſentialiter de homine, quia ad eius eſſentiam ſpectat, non tamen ſimpliciter in quid, ſed in quale quid, ſeu per modum formæ & qualitatis animali aduenienuis, & ipſum ad hominem quem eſſentialiter conſtituit contrahentis. Diſtinguitur prætereа eadem particula genus ab accidente ſiue proprio ſiue communi, quia ſemper accidens ſiue proprium ſiue commune prædicatur in quale, vt in propriis locis docebimus.

Occurres: accidens etiam prædicatur in quid, vt quid ſit linea, eſt quantitas, quid ſit color, eſt qualitas, quid Logica, eſt ſcientia: ergo genus non diſtinguitur ab accidente, in eo quòd prædicatur.

Vt ſuprà diſtinguendum eſt antecedens, accidens prædicatur in quid, de inferioribus accidentibus, vt quantitas de quantitatibus, qualitas de qualitatib. concedo, quo ſenſu non diſtinguitur à genere aut ſpecie, ſed eſt genus, vel ſpecies: genus vt color reſpectu omnium ſpecierum coloris, albedinis, nigredinis, & aliarum: vel ſpecies, vt albedo reſpectu huius, aut illius, numero albedinis: de ſubiectis verò, & ſubſtantijs, nego: neque enim quærenti quid ſit aliqua ſubſtantia, v. g. quid ſit homo, rectè per aliquod accidens reſponderi poteſt, homo eſt albus, niger, doctus, ſed tantùm ſi quæratur qualis ſit.

Præterea contra hanc generis definitionem obiicies genus ex ſe diſtinguitur à ſpeciebus, vt animal ab homine, & bruto: ergo de ſpeciebus non videtur poſſe prædicari, quia nihil de alio prædicari poteſt.

nisi idem cum eo.

Neganda est conseq. Vt enim aliquid de alio prędicetur, satis est quod cum eo coniungatur, tametsi ab eo ex sua natura distinguatur, licet enim album ex natura rei sit à pariete distinctum, tamen propter coniunctionem quam cum eo habet, non desinit de illo prædicari, rectáque est ista propositio, *paries est albus*. Pari modo licet omne genus ex natura rei distinguatur à specie, v.g. animal ab homine, quia tamen cum ea realiter coniungitur, poterit optime de illa prædicari, formaríque poterit ista propositio, v.g. *homo est animal.*

Rogabis an quemadmodum dicimus animal prędicari de homine, ipsa quoque animalitas possit de humanitate prædicari, dicereque liceat, *humanitas est animalitas*, sicut homo est animal?

Respondeo negatiuè, ratio est, quia in hac propositione, *homo est animal*, animal sumitur tanquam totum confusè, saltem hominem & brutum continens, vt statim docebimus, proindéque de homine prædicari potest, quia totum prædicari de suis partibus subiectiuis nihil vetat: in hac verò propositione, humanitas est animalitas, animalitas non potest sumi nisi vt pars humanitatis, atque adeò de illa non potest prædicari, saltem in recto, seu nominatiuo casu, quia regula est philosophica, partem vt pars est, de toto non posse prædicari in recto, & nominatiuo casu, sed tantùm in obliquis casibus, non enim rectè dicimus, domus est fundamentum, sed domus est ex fundamento: sic etiam non rectè dicitur, humanitas est animalitas, sed ex animalitate, vel constat animalitate.

Denique contra eandem definitionem obiicies, entia connotatiua nō possunt vnica definitione de-

finiri;ens autem connotatiuum dico quòd significat aliquam formam connotãdo subiectum cui inest,vt albedo nomine albi connotatiui significatur tanquã forma, & connotatur paries tanquam subiectum, cui ipsa inhæret;atqui genus est ens connotatiuum, significat enim rationem essentialem generis,quam vocant genereitatem, tanquam formam, & connotat naturam ipsam quæ dicitur genus,putà naturam animalis: ergo genus non potest definiri vnica definitione. Maior ostenditur: Quod potest definiri vnica definitione, debet habere vnicam essentiam: atqui entia connotatiua non dicunt vnicam essentiam, sed duplicem, vt album albedinem,& subiectum, putà parietem cui inest: ergo entia connotatiua nequeunt vnica definitione definiri.

Respondeo distinct.ma. Ens connotatiuum nequit definiri vnica definitione, quæ vtrámq; partem distinctè explicet,cõcedo: vnica verò definitione,quæ solum vnam partem distinctè aperiat alteram cõnotando,nego: Etenim licet album sit ens connotatiuum, non desinit tamen hac vnica definitione definiri, ***Album est visus disgregatiuum***,non quidem vt ea definitione vtráque pars,nempè albedo & subiectũ, v.g. paries distinctè explicetur, quia disgregare visum non cõuenit parieti vt paries est,sed vt ipsa definitione altera tantùm pars scilicet albedo aperiatur,connotando simul subiectum scilicet parietem, cui talis albedo inest: pari modò cũ genus definitur vniuersale aptum dici de multis,&c. nõ exprimitur vtráque pars eius,nimirum genereitas& natura quæ dicitur genus,v.g.natura animalis,eius enim definitio non est vniuersale aptum inesse multis,sed viuẽs sensibile: verùm explicatur tantùm ipsa genereitas, seu essentialis ratio generis connotans naturam,pu-

tà naturam animalis, cui inest & quam nominat genus.

Ex quo intelligit definitum, quod, seu quod hac definitione definitur, non esse naturam generis secundùm se sumptam, sed solùm prout genus est.

Confirmatur, secundùm id genus definitur hac definitione, in quo omnes naturæ genericæ conueniunt: atqui non omnes naturæ genericæ in natura & essentia conueniunt, cùm sint diuersæ omnino naturæ, *vt animal, arbor, quantitas, qualitas, &c.* sed in ipsa genereitate, quòd scilicet sint genera: ergo genus hac definitione non definitur secundùm suam naturã, sed tantùm quatenus est genus, adeò vt materiale ibi finitum, seu quod definitur, sint ipsæ naturæ genericæ; formale verò, siue quod distinctè exprimitur, ipsa genereitas, quæ naturæ genericæ, verbi gratia, naturæ animalis inesse connotatur.

Porrò diximus priorẽ illam generis definitionem à Porphyrio assignatam esse tantùm accidentariam non essentialem, quia traditur tantùm per aptitudinem prædicandi de multis, quæ non est essentialis generi, sed tantùm proprietas præsupponens essentialem eius potentiam ad existendum in multis, vt de vniuersali in communi dictum est: posteriorem verò illam quæ traditur per aptitudinem existendi in multis specie differentibus, esse essentialem, quia totam explicat generis essentiam, & per essentiales eius gradus traditur, quod tantùm ad definitionem essentialẽ desiderari potest: siue interim gradus illi essentiales sint genus & differentia, vt in speciebus alicuius generis, verbi gratia in homine cùm definitur, *animal rationale*, siue non sint vt in iis quæ nullum genus supra se agnoscunt, vt in substantia communiter sumpta prout substantiam creatam & in-

creatam complectitur, quatenus definitur, *ens per se subsistens*.

Cæterùm in hac posteriori & essentiali generis definitione, dicimus genus esse partem essentialem, materiæ respondentem: sicut è contra dicunt differentiam esse partem essentialem formæ respondentem: Quod quomodo cùm veritate consentiat sequenti articulo statuendum est.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum propriè Genus dicatur respondere materiæ, differentia formæ.

RESpondeo genus materiæ & differentiam formæ respondere non identitate naturæ, quasi genus idem sit ac materia, & differentia ac forma: sed proportione, & similitudine, quia genus in multis materiam imitatur, & differentia formam.

Prior pars responsionis ostenditur primò in genere & differentia simul: multi constant genere & differentia, vt Angeli ex gradu substantiæ tanquam genere, & ex gradu spiritali tanquam differentia, & tamen non sunt ex materia & forma compositi, vt omnes cognoscunt: ergo genus & differentia non sunt idem ac materia & forma.

Secundò, genus & differentia, verbi gratia, animal & rationale prædicantur in recto & nominatiuo casu de iis quibus conueniunt, verbi gratia, de homine, quia istæ sunt optimæ propositiones, *homo est animal, homo est rationalis*, non item materia de forma, quia è contra falsæ sunt illæ propositiones, *homo est materia, homo est forma*, scilicet anima rationalis: ergo genus & differentia non sunt idem ac materia & forma.

Tertiò, ſpeciatim quod genus non eſt materia, probatur, quia in omnibus rebus corporeis ſaltem ſublunaribus, id eſt, orbe Lunæ comprehenſis, eadem eſt ſpecie & eſſentialiter materia ex doctrina Phyſicorum, cùm tamen in iis diuerſiſſima ſint genera, nimirum genera lapidum, metallorum, arborum, animalium, &c.

Pari facilitate ſpeciatim probaueris differentiam non eſſe formam, quia ſcilicet per differentias res penitus differunt, vt homo & brutum per rationale & irrationale: At verò per aliquos formæ gradus conuenire queant, vt homo cum plantis per gradum vegetatiuum, & cum brutis animantibus per gradum ſenſitiuum, qui vterque gradus & vegetatiuus, & ſenſitiuus in anima rationali includitur.

Poſterior verò pars reſponſionis, ſcilicet genus, proportione & ſimilitudine reſpondere materiæ, differentiam formæ multis conuenientiis demonſtratur. Nam primò quod ſpectat ad genus, quemadmodum materia de ſe eſt indifferens ad varias formas ſuſcipiendas, vt materia lapidis ad ſuſcipiendam formam ignis, equi, hominis, alteriúſve rei: ſic etiam genus eſt indifferens ad multas ſpecies, verbi gratia, animal ad omnes ſpecies animalis.

Item ſicut materia eſt prior ordine naturæ ipſo compſito, verbi gratia, materia ignis, ipſo igne, quæ eſt illius pars, omnis autem pars naturæ ordine prior eſt toto, ita etiam genus eſt prius ipſis ſpeciebus, verbi gratia, animal ipſo homine & bruto.

Quòd verò ad differentiam attinet, ipſa in eo imitatur formam, quod ſicut forma determinat materiam ad aliquod certum naturale compoſitum: verbi gratia, ignis eius materiam determinat ad ipſum ignem componendum, & non lapidem: ita quoque

differentia determinat genus ad aliquam ſpeciem: v. g. rationale determinat ad ſpeciem hominis.

Item quemadmodum forma eſt poſterior materia quæ ei aduenit, ita & differentia eſt poſterior genere, quia pariter ei intelligitur aduenire vt rationale animali.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vnde deſumantur genus & differentia.

VT hoc faciliùs ſtatuatur, notandùm eſt in quolibet compoſito aliquid reperiri per quod cõuenit cum alijs, & aliquid per quod ab ijſdem ſecernitur: verbi gratia, in homine hos gradus reperiri, in quibus cum cæteris animantibus conuenit, *vt quod ſit ens, ſubſtantia, corpus viuens, animal*: alium verò eſſe per quem ab ijſdem brutis animantibus ſeiungitur, vt quod ſit rationalis: idémque in aliis compoſitis naturalibus poteſt deprehendi: hoc poſito, ad quæſtionem.

Reſpondeo, ab eo quod commune eſt genus eſſe ſumendum: differentiam verò ab eo quod proprium & peculiare eſt.

Ratio eſt clara, per genus res inter ſe conueniunt: & per differentias diſtinguuntur: ergo ab eo optimè deſumitur genus quod eſt commune, ab eo verò differentia quod peculiare eſt; hinc cùm ex dictis homo conueniat cum brutis, gradibus *entis, ſubſtantiæ, corporis, viuentis, & ſentientis*, ab iis genus, nimirum animal, deſumendum eſt: cum verò per hunc peculiarem gradum ratiocinandi ab ijſdem brutis ſegregetur, ab illo gradu petenda eſt ipſius hominis differentia, nempe rationalitas, atque idipſum in aliis rebus pari diligentia eſt obſeruandum.

QVÆSTIO QVARTA.

De affectionibus Generis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo genus contineat suas species & differentias.

NOtandum est primò aliud esse continere sub se, aliud in seipso continere: continere enim sub se nihil aliud est quàm continere ea quæ substituuntur & collocantur inferiùs, quo modo homo continet singulares homines, quia sub ipso constituuntur: continere verò in se, est in se ipso tenere illud quod dicitur continere, siue essentialiter, sicut homo continet in se animal & rationale; siue tantùm accidentariò, quo pacto crumena dicitur in se argentum continere.

Notandum secundò aliquid posse aliud continere duobus modis: primò, actu, quo pacto homo supradictus continet animal & rationale, quia nimirum absque illis nullatenus consistere potest: secundò, potestate, quomodo ferrum continet calorem antequam incalescat.

Notandum tertiò & postremò actu continere, dupliciter accipi, vel distinctè vel confusè: distinctè, cum nihil eorum latet quæ continentur, quo sensu homo continet animal & rationale, quia distinctè cognoscimus vtrúmque actu esse in ipsius hominis essentia: confusè verò cùm illud determinatè non innotescit quod continetur, quomodo album continet omnia quæ albedine afficiũtur, vt sunt paries, cygnus, &c. quia nomine albi nullum determinatè concipimus. His positis, sit

Prima propositio.

Genus sub se saltem continet suas species & differentias, v. g. animal hominem & brutum rationale & irrationale.

Probatur, continere sub se nihil est aliud quàm ea continere quæ inferiùs constituuntur: atqui species & differentiæ collocantur sub ipso genere, verbi gratia, homo, & brutum, rationale, & irrationale sub animali: ergo genus continet sub se suas species & differentias.

Secunda propositio.

Genus non includit in se essentialiter suas species & differentias.

Probatur, id tantùm genus in se essentialiter includit, quod est de sua essentia: atqui neque species, neque differentia, sunt de essentia generis; v. g. homo & brutum, rationale & irrationale, de essentia animalis; ergo genus, in se non continet suas species & differentias: minor probatur: id tantùm est de essentia generis, verbi gratia animalis, quod omnibus eius speciebus conuenit, homini scilicet, & bruto, nam ex dictis suprà, ab eo quòd est commune in specieb. genus desumitur: atqui species & differentia generis putà animalis, nimirum homo brutum, rationale & irrationale, sunt res singulis specieb. communes, homini videlicet & bruto, quia homo verbi gratia non est simul homo & brutum, rationalis & irrationalis: ergo species & differentia non sunt de essentia generis.

Penè similis est illa ratio quam alij sic proponũt, si genus in se actu essentialiter includeret suas spe-

cies & differentias, v.g. animal includere hominem & brutum, rationale & irrationale: & oporteret ipsum genus esse species & differentias v.g. hominem esse animal & brutum, rationale & irrationale: Atqui hoc dici non potest, tum quia aut homo non esset animal, aut simul esset homo & brutum, rationalis & irrationalis, quod supremum absurdum est: tũ etiam quia genus putà animal, in suas species in hominem & brutum diuidi non posset, quia idem penitus esset cum ipsis speciebus; nihil autem in se ipsum diuiditur: ergo genus in se essentialiter non continet suas species & differentias.

Tertia propositio.

GEnus connotat actu suas species & differentias v.g. animal connotat hominem & brutum, rationale & irrationale.

Probatur: animal verbi gratia (& idem de quolibet alio genere dicendum) non dicit solam animalitatem, sed prӕterea connotat actu id quod ipsam habet animalitatem: Atqui species sunt id quod habet animalitatem, nimirum homo & brutum: ergo animal. v.g. connotat actu suas species, & differentias hominem & brutum, rationale & irrationale.

Confirmatur ex quarti Physicorum capite tertio, homo continetur in animali & omnino species in genere: ergo cùm id non possit intelligi de continétia essentiali ex præcedenti propositione, necesse est vt de continentia per connotationem explicetur, sicut paries dicitur in albo contineri quia ab eo connotatur.

De differentiis septimi Metaphysicorum capite quarto, vbi habet multas in genere latere æquiuo-

cationes, id est, differentias vt communiter explicatur, dicit quidem latere quia in ipso genere non continentur, sed tantum confusè connotantur vt statim patebit.

Prima propositio.

GEnus non connotat distinctè & explicitè suas species & differentias, sed tantum confusè, v. g. animal confusè tantum connotat hominem & brutum, rationale & irrationale.

Probatur, cùm dico animal solùm intelligo habens animalitatem quodcunque tandem illud sit: siue homo, siue brutum, siue rationale, siue irrationale: ergo genus, putà animal, non connotat actu distinctè suas species, & differentias, sed confusè tantùm; vnde de genere & speciee contraria planè ratio est, quia species distinctè dicit genus: v. g. homo distinctè dicit animal: sed non è contra genus distinctè dicit species sed confusè tantum eas connotat modo iam explicato.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quomodo genus prædicetur de suis differentiis, verbi gratia animal de rationali, & irrationali.

NOtandum est, varias esse prædicationum species.

Prima est directa, quæ fit in recto seu nominatiuo casu, vt *homo est animal.*

Secunda est indirecta, quæ fit in obliquo casu, vt *anima est hominis, homo est ex anima.*

Rursus directa prædicatio triplex. prima, *cum attributum est de essentia subiecti*, vt homo est animal,

secunda, *cum attributum est tantùm proprietas subiecti*, vt homo est risibilis. Tertia denique *cum attributum est aliquod accidens commune respectu subiecti*, vt homo est albus.

His omnibus prædicationum speciebus additur, *identica*, seu (vt alij loquuntur) *materialis*, quæ tunc fieri dicitur, cùm eorum quæ re ipsa inter se coniunguntur, vnum de altero prædicatur, quanquam à parte rei attributum non sit de essentia subiecti, vt *actio est passio* nam neque actio est essentia passionis, nec è contra; tamen quia sunt vnum realiter, & re ipsa inter se coniunguntur, de se mutuò prædicari non desinunt. His positis sit

Prima propositio.

PRædicatio generis de differentiis, v. g. animalis de rationali & irrationali non est essentialis.

Probatur: Si prædicatio animalis, v.g. de rationali (idem de quolibet alio genere respectu suarum differentiarum dicendum est) esset essentialis, animal esset de essentia rationalis: At hoc dici non potest: tum quia bis animal in homine reperiretur, semel quatenus homo esset animal, & iterum quatenus esset rationalis: cùm quia homo per ea quæ sunt essentialia rationali, distinguitur essentialiter à brutis, cùm tamen per animal ab ipsis non distinguatur, sed potiùs cum illis optimè conueniat: ergo prædicatio animalis de rationali v.g. non est essentialis.

Occurres: hæc prædicatio generis de differentia, putà animalis de rationali, non est accidentaria, quia genus v.g. animal non est accidens differentiæ putà rationalis: ergo debet esse essentialis,

Neganda est consequentia, nam præter accidentariam prædicationem, in qua attributum est accidens

subiecto

subiecto,&essentialem, in qua attributum est de essentia subiecti, datur *identica & essentialis*, quando attributum realiter coniungitur cum subiecto,licet non sit de eius essentia, qualem esse prædicationem generis de differentia,statim trademus: quamquam hæc prædicatio generis de differentia possit dici accidentalis,& genus accidens differentiæ, sumendo accidens vt communiter accipitur,latè, pro eo omni,quod non est de alterius rei essentia; reuera enim genus non est de essentia differentiæ.v. g. animal de essentia rationalis,vt probatum est.

Secunda propositio.

Genus prædicatur prædicatione identica& materiali, de differentiis,v.g. animal de rationali &irrationali. Probatur ex dictis: prædicatio identica&materialis est,cum duorũ, quæ sunt realiter inter se coniuncta,vnum de altero prædicatur,licet attributum non sit de essentia subiecti: atqui talis est prædicatio generis de differentiis, v. g. animalis de rationali: si quidem hæc sunt realiter inter se cõiuncta,nec tamen animal est de essentia rationalis ex supra dictis·ergo prædicatio generis de differentiis,v. g.animalis de animali est *identica & materialis.*

ARTICVLVS TERTIVS. ET POSTREMVS.

De relatione generis ad species & indiuidua.

Certissimum est genus referri ad species & indiuidua, cum definiatur Vniuersale aptum ad existendum in illis, quam quidem aptitudinem necessario cõsequitur relatio;sed tantum difficultas est vtrum illa vnica sit relatio, vel duplex, quatenus ad

ſpecies & indiuidua genus refertur, ſi quidem aliis duplex videtur, vna qua referatur ad ſpecies, altera qua referatur ad indiuidua, ita vt genus in ipſa relatione ad indiuidua non habeat rationem generis ſed ſpecei: v. g. animal rationale ad Petrum & Paulum, non habeat rationem animalis ſed hominis: aliis verò vnica iudicatur hæc relatio, qua genus immediatè referatur ad ſpecies, & mediantibus ſpeciebus, ad indiuidua, hac de re vt conſtat nonnulla breuiter ex fuſiori diſputatione de relatione hîc ſumenda ſunt.

Notandum itaque primam relationem nihil aliud eſſe, quàm reſpectum vnius ad alterum, vt paternitas eſt reſpectus patris ad filium, & filiatio reſpectus filij ad patrem.

Notandum ſecundo ea quæ ad ſe mutuò referuntur, vt ſunt pater & filius, *correlata* nuncupari.

Notandum tertio relatum (quod alio nomine dicitur terminus relationis) duplex eſſe, alterum proximum & immediatum, alterum remotum & mediatum.

Terminus proximus & immediatus relationis eſt ille, qui immediatè, hoc eſt nullo alio intermedio terminat relationem, vt actio videndi terminat relationem viſiuæ facultatis.

Remotus verò & mediatus, qui non niſi alterius interuentu terminat relationem, vt viſibilis mediãte viſione terminat relationem facultatis videndi.

Notandum quarto & poſtremo, relatum aliud eſſe adæquatum, quod ſcilicet adæquatè terminat relationem, vt eſt filius, reſpectu patris, aliud inadæquatum, quod eſt tantùm pars adæquati termini relationis, nec eam adæquatè terminat, vt actus videndi, reſpectu viſiuæ facultatis, quia hæc adæqua-

tè tantùm refertur ad actum videndi & obiectum simul, scilicet visibile, ad actum verò non nisi tanquam ad partem totius termini seu relati. Quibus ita notatis, sit.

Prima propositio.

GEnus vnica relatione refertur ad species & indiuidua.

Probatur: vnica tantùm est generis, v. g. animalis aptitudo ad existendum in multis speciebus, & specierum indiuiduis, putà in homine & bruto, singulisque hominibus & brutis; alioquin duplex esset in genere vniuersalitas: ergo vnica tantùm erit generis relatio ad species, & indiuidua.

Ex quo facilè infertur, species & indiuidua simul esse adæquatum generis correlatum, species verò solas, aut sola indiuidua esse tantum inadæquatum, quia cum vnica sit illa relatio generis ad species, & indiuidua, adęquatè non potest terminari, nisi simul ad species, & indiuidua, & ad solas species, vel sola indiuidua non nisi in adæquatè.

Obiicies: adęquatè genus prædicatur de solis specieb. nō enim aliter definitur quā quod prędicatur de multis specie differētib. vt patet ex prædictis: ergo generis relatio adæquatè terminatur ad species.

Distinguendum est antecedens, genus adæquatè prædicatur de solis speciebus, vt implicitè dicunt indiuidua, putà homo singulos homines, & brutum, singula bruta, concedo, quo sensu intelligenda est generis definitio: quatenus verò species separantur ab indiuiduis, & illa non dicunt implicitè, nego; reuera enim cum definimus genus, quod aptū est prædicari de multis speciebus sub ipsis spe-

ciebus comprehendimus etiam indiuidua, de quibus genus, ipsis speciebus interiectis, prædicatur.

Secunda propositio.

SPecies in relatione generis est immediatum correlatum seu terminus immediatus, indiuidua verò mediatum atque remotum.

Probatur: illud est proximum & immediatum: generis correllatũ, ad quod genus immediatè refertur; remotum verò, & mediatum, ad quod non nisi alio intermedio refertur, vt patet ex dictis: atqui genus sine vllo intermedio ad speciem refertur, ad indiuidua verò non nisi intermediâ specie: ergo immediatum generis correlatum est species, mediatũ verò indiuiduum: minor ostẽditur: Ad id immediatè, vel mediatè genus refertur, de quo immediatè, vel mediatè prædicatur, vt ex se intelligitur: atqui genus immediatè de speciebus, v. g. animal de homine, & bruto, mediantibus vero speciebus de indiuiduis, putà de Petro, & Bucephalo prædicatur: ergo genus immediatè seu tãquam ad immediatum correlatum refertur ad species, ad indiuidua verò tanquam ad mediatum atque remotum.

Postrema propositio.

QVando genus ad indiuidua refertur, non habet rationem speciei.

Probatur: Species, vt species immediatè refertur ad indiuidua, v. g. homo ad singulares homines, genus vero, v. g. animal, non nisi intermedia specie, ex prædictis: ergo quando genus refertur ad indiuidua non habet rationem speciei.

Confirmatur: Species refertur tantùm ad sua indiuidua, non ad indiuidua multarum specierum: ar-

qui genus verbi gratia; animal, non modo refertur ad indiuidua vnius ſpeciei, ſed ad indiuiduum omnium ſuarum ſpecierum, hominis ſcilicet & bruti: ergo cum genus ad indiuidua refertur, non habet rationem ſpeciei. Hæc de Genere.

SECTIO SECVNDA.

DE SPECIE.

De nomine & varia acceptione Speciei.

SPecies ſumitur primò apud Porphyrium, capite de ſpecie, *pro pulchritudine*, quo ſenſu dicit primam ſpeciem dignam eſſe imperio, id eſt homines apta membrorum proportione, & ſumma corporis venuſtate præditos, dignos eſſe imperio, eodémque ſenſu de Chriſto Domino cecinit regius Vates, *ſpecioſus forma præ filiis hominum*, id eſt, pulcher.

Secũdò accipitur Species pro *ſimulacro & imagine*, quo ſenſu dicimus architectum habere ſpeciem domus in mente, id eſt *imaginem* ſeu *ideam*.

Tertiò pro aliqua *apparentia, & demonſtratione* rei, vt cum dicimus aliquid eſſe ſpecie tenus, id eſt apparenter bonum, iuſtum, &c.

Quartò ſumitur *pro eo quod generi ſubiicitur*, de quo genus prædicatur in quęſtione quid eſt, vt *homo* qui animali ſubiicitur, & de quo animal in quæſtione quid eſt, prædicatur.

Poſtremo accipitur Species, vt eſt ſecundm vniuerſale, *pro eo quod de multis ſolo numero diſtinctis prædicatur in quæſtione quid eſt*, vt homo de Petro & Paulo, cum quid ſint inquiritur.

QVÆSTIO SECVNDA.

De existentia Speciei.

NOtãdum hîc est ex Porphyrio capite de Specie duplicem esse speciem, interiectam & infimam, vel generaliùs loquendo, in serie prædicamentali, & categorica hæc tria reperiri, genus summum, genus interiectum, vel speciem interiectam, & speciem infimam, seu specialissimam.

Generis summi duplicem tradit definitionem.

Prior est, *Genus summum est istud, quod ita genus est vt species esse non possit.*

Posterior, *Genus summum dicitur, quod nullum supra se genus agnoscit*, quæ definitio est probatio prioris: nam quia summum genus nullum habet supra se genus, cui subiiciatur tanquam species, hinc fit vt nunquam possit esse species: de genere autem infimo posteà dicemus.

Speciei verò infimæ seu specialissimæ triplicem assignat definitionem.

Prima est, species infima ita est species, vt nunquam possit esse genus, vt homo: siue enim cum superioribus, siue cum inferioribus conferatur semper est species, & nunquam genus: si cum superioribus, vt cum animali, est species, quia ei, tanquam generi immediatè subiicitur: si cum inferioribus, est pariter species, quia nullas sub se species continet in quas diuidatur (& est secunda definitio specifica à Porphyrio tradita) sed immediatè diuiditur in indiuidua, & de illis prædicatur in quid: vt potè homo de Socrate, Aristotele aliisque singularibus hominibus, & est postrema ipsius speciei infimæ definitio quam tradit Porphyrius.

Quæcumque autem inter genus summum, & speciem infimam interiiciuntur, illa vocat genera interiecta seu species interiectas, docetque ita se habere, vt si cum inferioribus conferantur sint species; genera verò respectu inferiorum, vt animal, quod quia interiicitur inter ens creatum cõpletum quod est summum genus, & hominem, & genus interiectum vel species interiectas, & est species respectu viuentis superioris; quia ei tanquam generi subiicitur: respectu verò inferiorum hominis, & bruti est genus, quia de illis, vt specie differentibus, in quid prædicatur ex dictis.

Porrò cùm hîc quærimus existentiam speciei, non loquimur de specie interiecta, qnia cum illa comparata cum inferioribus, sit genus, vt dictum est, eius existentia sectione superiori cõfirmata fuit, sed tantùm loquimur de specie infima an detur, respondemusque affirmatiuè, reuera enim dantur equus, leo, homo quæ sunt species infimæ; confirmatur: species infima est illa, quæ tantum prædicatur de multis numero distinctis non autem specie, sed leo, equus, homo, &c. prædicantur tantum de multis solo numero distinctis, leo de multis leonibus, equus de multis equis, homo de multis hominibus, non autem specie, quia non sunt variæ leonis, equi, aut hominis species: ergo leo, equus, homo sunt species infimæ.

Obiicies speciatim de homine, homo potest prædicari de multis specie differentibus: ergo non benè adducitur in exemplum speciei infimæ. Antecedens probatur, posset fieri, vt duæ animæ rationales informarent diuersas specie materias (vt ex multorum sententia sunt cælestis & sublunaris) & sic constituerent homines specie diuersos, quia sci-

licet essentialiter, ratione essentialis sibi materię, & non tantùm ratione differentię singularis, differret: ergo tunc homo illis communis, prædicaretur de multis specie differentibus.

Respondeo, concedo totum argumentum, facta illa hypothesi, quòd duæ illæ animæ rationales diuersas specie materias informarent: cùm enim hominem in exemplum speciei infimæ adduximus, sumpsimus illum prout est à parte rei, & sub se continet homines, iisdem specie animabus, & iisdem specie materiis constantes quo sensu illi homines non differunt specie, sed tantùm numero, tanquam indiuidua ipsius speciei hominis, quod sufficit ad nostrum institutum, quod est speciei infimæ.

Rursus obiicies, quemadmodum sub bruto seu animali irrationali variæ constituuntur species, ita etiam sub homine variæ species possunt collocari: ergo homo non est potiùs infima species, quàm brutum, brutum tamen non est nostro & omnium consensu: ergo nec homo.

Respondeo negando comparationem in antecedenti positam, ratio clara est, vna tantùm est linea, qua scopus directè attingitur, vna via, qua Athenis Thebas, & Thebis Athenas rectè itur; at multiplex linea, qua à scopo receditur variáque via, qua à Thebis Athenisque diuertitur: sic vna tantùm erit via, & ratio essentialis, perueniendi ad rationem, seu ratiocinandi potentiam, omnibus hominibus conuenientem. Multiplex verò à ratione recedendi, quæ brutis competit animantibus: proindéque licet multiplex sit brutorum species, quæ à ratiocinandi principio recedunt, poterit tamen vna tantùm esse hominum ratiocinandi facultate præditorum species.

Sed vltrà grauem difficultatem ingerit Diuus Hieronymus in vita Pauli Eremitæ, referens Diuum Antonium, monstruosum aliquem hominem vidisse, quem vix sub humana specie comprehenderet: elegantissima sunt Diui Hieronymi verba, nec me ea retulisse, aut vos legisse pœnitebit: *Nec plura his*, inquit, *conspicit hominem equo mixtum, cui opinio poëtarum hippocentauri vocabulum indidit, quo viso salutaris impressione signi frontem armat, & heus tu* inquit, *quanam in parte hic seruus Dei habitat? At ille barbarum nescio quid infrendens & frangens potiùs verba quam proloquens, inter horrentia ora senis blandum quæsiuit alloquium & dextra protensione manus cupitum indicat iter, & sic patentes campos volucri transmittens fuga, ex oculis mirantis euanuit.*

Verùm nec ipse Diuus Hieronymus eo loco dubij solutionem adfert, asserens, aut diabolum hoc monstrum D. Antonio ad eum terrendum ostentasse, aut in heremo monstruosis animalibus ordinariè referto illud fuisse progenitum.

Sed auget difficultatem quod ipse immediatè subiungit de Faunis, Satyris, & Incubis, nam & eos homines aliquandò videtur iudicare, aliquando verò ab hominibus separare. *Haud grandem homunculum videt* (sunt D. Hieronymi verba) *aduncis naribus, fronte cornibus asperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat.* Homunculum vocat, & ideò hominem esse innuit; eumdem verò describendo, ab hominibus separat, hominem significat cùm ipsum Antonio interroganti, quis esset, respondentem introducit, *mortalis ego sum, & vnus ex eremi accolis quos vario delusa errore Gentilitas Faunos Satyrosque, & Incubos vocans colit, legatione fungor gregis mei. Precamur vt pro nobis com-*

munem Deum depreceris quem pro salute mundi venisse cognouimus, & in vniuersam terram exiit sonus eius. Ab hominibus verò eumdem Faunum segregat, cum sic D. Antonium inducit loquentem, *Væ tibi Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris, væ tibi ciuitas meretrix in quam totius orbis dæmonia confluxere: quid nunc dictura es? Bestia Christum loquitur, & tu pro Deo portenta veneraris!* Et ne quis fabulam suspicetur, hunc viuum hominem (sic adhuc eum hominem appellat) toto orbe teste sub Constantino Imperatore Alexandriam perductum fuisse, & mortuum Antiochiam delatum, vt ab Imperatore videretur, asserit.

Sanè vt verum fatear, magna ex verbis Diui Hieronymi oritur dubitandi occasio, an monstruosus ille homo sit verus homo, & verum indiuiduum humanæ naturæ, quod intenderat obiectio, vel brutum, vel quidpiam aliud. Vnum possum ad solutionem obiectionis addere, si verus sit homo, ad speciem hominis pertinere, differreque tantum ab aliis accidentario: Diuum Hieronymum vocasse bestiam propter externam illam formam quę bestiarum formis magna ex parte similis videbatur: nunquam autem demonstrari, quod sit homo alterius speciei ab aliis hominibus.

QVAESTIO TERTIA.

De essentia specie.

ARTICVLVS PRIMVS.

De definitionibus Speciei à Porphyrio per subiycibilitatem traditis.

SPeciem dupliciter considerauit Porphyrius: vel quatenus est subiicibilis generi, vel quatenus est prædicabilis de indiuiduis: superiori complexus est cùm interiectam, quatenus superiori generi substernitur, vt animal viuenti, tùm infimam, quatenus immediato generi immediatè sub est, vt homo animali.

Huius speciei subiicibilis duplicem assignauit definitionem, priorem, vt *sit id quod generi immediatè subiicitur*, vt præfatus homo animali, posteriorem, vt *sit id de quo genus prædicatur in quid*, vt animal de homine.

Censentur autem legitimę istę definitiones, quòd reciprocentur cum definito, scilicet specie, nullaq; sit species quæ non generi immediatè subiciatur, & de qua genus in quid non prædicetur, nihilque sit immediatè generi subiectũ, & de quo genus in quid prædicetur, quòd species non sit, vt intuenti patebit quod tamen redolet legitimam definitionem.

Obiicies, legitima definitio debet dari per notiora definito: atqui definitiones speciei à Porphyrio traditæ non sunt eiusmodi, quia traduntur per genus, quòd non est notius specie, cùm etiam per speciem definiatur, quòd de multis speciebus prædicatur: ergo hæ definitiones non sunt legitimæ.

Distinguo maiorem, definitio tradi debet per no-

tiora in rebus absolutis, transeat, in relatiuis nego. Relatorũ enim vnum per aliud, vel potiùs ad aliud definiri debet, *vt Pater per Filium, vel potius ad Filiũ*. Et è contra esto vnum relatũ non sit altero notius: ideóq; cùm species subiicibilis, & genus sint correlata (ex dictis sectione superiori) legitimè definita est species per genus, vel potius ad genus, sicut è contra genus per speciem vel potiùs ad speciem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De altera definitione quæ traditur per respectum ad inferiora.

SPeciem cum inferioribus collatam lubet hoc modo definire, *Species est vniuersale aptum inesse multis solo numero distinctis*. Vel, *species est vniuersale aptum prædicari de multis solo numero distinctis in quæstione quid est*, vt homo de Petro, & Paulo, cùm inquirimus quid sint.

Ponitur primo, *vniuersale aptũ prædicari de multis*, in quo species cum genere, & aliis vniuersalibus conuenit, & ab indiuiduo distinguitur, quod de vno tantùm, scilicet de seipso prædicatur.

Additur (*solo numero distinctis*) ad differentiam generis, quod de multis specie differentibus prædicatur, vti constat ex dictis.

Tandem ponitur, *in quæstione quid est*, vt species discriminetur ab aliis vniuersalibus, differẽtia, proprio, & accidente, quæ vel in quale quid, vt differentia, vel in quale simpliciter, vt proprium & accidens prædicantur, vt liquet ex prædictis.

Obiicies, hæc definitio speciei cõuenit aliis à specie, scilicet *puncto, materia, anima rationali, existentia*

à quo res habet vt sit actu: substantia, quæ confert substantiæ modum existendi in se independenter à subiecto, *inhærentia*, quæ confert accidenti modum existendi in subiecto, quæ quidem omnia species esse non possunt, cùm non sint entia cõpleta, & in recto Categoriæ ordine constituta, vt infra patebit: ergo hæc speciei definitio non est legitima: Antecedens ostenditur, *punctum* prædicatur in quid de multis punctis solo numero distinctis, *materia de variis materiis, anima rationalis de plurib⁹ animab⁹ rationalibus existentia de distinctis numero existentiis, substãtia de substantiis, inhærentia de inhærentiis*, & sic de aliis: ergo allata speciei definitio omnibus illis conuenit.

Respponderi potest primò ad antecedens, definitionem speciei conuenire *puncto, materiæ, formæ*, & aliis ibi assignatis, non tamen tanquam distinctis à specie, sed tanquam speciebus, non quidem completis, & in recto Categoriæ ordine constitutis, sed incompletis, & imperfectis.

Aliter responderi potest negatione antecedentis, definitionem scilcet speciei non conuenire puncto, materiæ, & aliis illi traditis, quia hæc omnia sunt entia incompleta, cùm tamen hæc speciei definitio intelligatur de specie completa.

ARTICVLVS TERTIVS.

Per quid species constituatur secundum vniuersale.

QVæstio est vtrum species sit secundum vniuersale per respectum quem habet ad genus cui subiicitur, an verò per respectum quem habet ad indiuidua de quibus prædicatur: hæc quæstio soluenda est duplici propositione.

Confirmatur, genus non conſtituitur in eſſe generis, vt alteri ſubiicitur, omnium conſenſu, ſed vt prædicatur de inferioribus ſpeciebus: ergo nec ſpecies erit vniuerſalis vt generi ſubſternitur ſeu per reſpectum ad genus, ſed vt prædicatur de indiuiduis, ſiue per reſpectum ad indiuidua.

Obiicies cōtra vtramque propoſitionem: Species, quatenus ſpecies, eſt vniuerſalis: ergo nihil poteſt conſtituere ſpeciem in eſſe ſpeciei quod illam non conſtituat in eſſe vniuerſalis: ergo ſi in eſſe ſpeciei conſtituat, per reſpectum ad genus, cui immediatè ſubiicitur, eodem reſpectu conſtitueretur in eſſe eſſentſalis, quod pugnat contra poſteriorem propoſitionem: vel ſi è contrario in eſſe vniuerſalis cōſtituatur per reſpectum ad indiuidua, eodem reſpectu conſtituitur in eſſe ſpeciei, quod priori propoſitioni aduerſatur: antecedens demonſtratur argumēto à paritate deſumpto: genus quatenus genus, eſt vniuerſale: ergo ſpecies quatenus ſgecies, erit vniuerſalis: negandū abſolutè antecedens: quemadmodum enim licet medicus, qui medicus pingat, non tamen pingit vt medicus: ſic quamuis ſpecies, quæ ſpecies, ſeu res illa quæ vocatur ſpecies, v. g. homo dici poſſit vniuerſalis, non tamen vt ſpecies, ſeu ſub ratione ſpeciei: quia vt ſpecies reſpicit ſuperiora. vt vniuerſalis verò debet inferiora reſpicere, vt in noſtris propoſitionibus probauimus.

Ad probationem antecedentis: nego paritatem generis & ſpeciei, nec ſine cauſa; cum enim genus, vt genus, dicatur per ordinem ad inferiora. de quibus prædicatur, qui quidem ordo conſtituit vniuerſale, rectè genus quatenus gen⁹, dicitur obtinere rationē vniuerſalis; cum vero ſpecies non dicatur per ordinem ad inferiora, ſed ad genus ſuperius, ordo

vero ille ex prædictis sit impertinens ad vniuersalitatem, non potest species, quatenus species, sortiri rationem vniuersalis.

QVAESTIO POSTREMA.

De affectionibus speciei.

HIc tantum agimus de specie infima, de illaque hanc primam affectionem exponimus, *An species infimæ sub eodem genere constitutæ sint inæqualis perfectionis.*

Respondeo affirmatiuè, & experientia patet: sic enim inter cælos vnum Empyreum, inter elementa ignem, inter metalla aurum, inter animalia hominem, inter colores albedinem, inter figuras circularem, & sic de cæteris animaduertimus dignitate præstare.

Altera speciei affectio, num diuersâ relatione referâtur ad genus & ad indiuidua: quod enim ad vtraque referatur articulo postremo quęstionis superioris declaratum est.

Negatiuam partem tuetur Caietanus capite de specie.

Nos tamen cum cęteris Philosophis affirmatiuam longè probabiliorem iudicamus, scilicet relationem speciei ad genus esse omnino distinctam à relatione eiusdem speciei ad indiuidua.

Fauet ratio: species, vt refertur ad genus, habet rationem subiecti & inferioris, vt vero refertur ad indiuidua, prædicati & superioris: Atqui relationes inferioris ad superius, & è contra superioris ad inferius debent esse distinctæ: ergo relationes speciei ad genus & indiuidua debent necessario esse distinctæ.

Sed maior harum relationum explicatio habetur

tur

tur in ipsa peculiari disputatione, quam infrà de relatione instituemus.

APPENDIX AD HANC SECTIONEM

De Indiuiduo.

CVm relata sint simul cognitione, vnumque per aliud, vel potiùs ad aliud explicari debeat, verbi gratia, pater per filium, vel ad filium, & è contra: species autem, & indiuidua sint correlata, quoniam ad se mutuò referuntur, vt satis intelligitur ex dictis, propterea non parum referre videtur ad absolutam speciei explanationem paucula de eius correlato, scilicet indiuiduo, pertractare, idque qua fieri poterit breuitate, plura in Metaphysica explicaturi.

De nomine Indiuidui. CAP. I.

INdiuiduum, vt patet ex vi ipsius nominis, significat rem indiuisibilem in multa inferiora, vt Socrates.

Dixi, *in plura inferiora sibi subiecta*, fieri enim potest, vt aliquod indiuiduum diuidatur in partes essentiales, verbi gratia, Socrates in animam & corpus itémque integrantes, vt idem Socrates in caput, brachia, & alias partes, nec tamen propterea desinet esse perfectum indiuiduum, quia non diuiditur in inferiora sibi subiecta, de quibus in recto prædicari possit, sed vt de vno, nimirum seipso sic prædicatur, vt Socrates est Socrates.

De existentia Indiuidui. CAP. II.

EXistentia indiuidui patet, tum experientia nulli non manifesta, tum etiam variis eius diuision-

bus, quarum prima traditur in indiuiduum Physicum, & indiuiduum Logicum.

Indiuiduum Physicum est natura aliqua realis incommunicabilis pluribus inferioribus, vt Socrates.

Adhuc posui *pluribus inferioribus* propterea quod fieri potest, vt aliquod indiuiduum accidentale communicetur subiecto cui affixum est, vt hæc scientia in particulari, intellectui, hæc albedo cygno, & sic de cæteris, licet tamen maneat perfectum indiuiduum.

Indiuiduum verò Logicum est ipsa res singularis cõsiderata ratione singularitatis, & indiuiduationis, in communi, seu quatenus potest prædicari de multis, vt de Petro, & Paulo, & aliis hoc modo, Petrus est indiuiduum, Paulus est indiuiduum, & sic de alijs.

Secundò, diuiditur indiuiduum in substantiale, quod est substantia aliqua singularis, vt Petrus, & accidentale, quod est aliquod accidens particulare, vt hæc albedo, hæc scientia, &c.

Tertiò, diuiditur in indiuiduum determinatum, demonstratiuum, hypotheticum, & vagum.

Determinatum est, quod proprio nomine exprimitur, vt Petrus.

Demonstratiuum, quod non quidem proprio nomine, sed loco proprij nominis per pronomen demonstratiuum significatur, vt hic homo, hæc imago, hoc lignum.

Hypotheticum quod facta hypothesi designatur, vt cum Christum Dominum significaturi illum vocamus beatissimæ Virginis filium: Tunc enim supponimus beatissimam Virginem hunc vnicum genuisse filium, scilicet Christum Dominum.

Vagum denique, & *indeterminatum* est, quod quidem rem aliquam singularem, sed indeterminatim, & confusè significat, vt aliquis homo, aliquis equus, his enim loquendi formulis res aliqua singularis designatur; quænam verò determinatè illa sit non significatur.

De essentia Indiuidui. CAP. III.

VAriæ proferuntur indiuidui definitiones. Prima, vt sit id quod immediatè speciei subiicitur, vt Petrus homini.

Secunda describitur, quod in plura inferiora sibi subiecta diuidi non potest, vt primo capite ostensum est.

Postremò definitur id quod de vno potest prædicari, scilicet de seipso, vt, Petrus est Petrus.

Vt autem intelligatur, quænam ista sit indiuidui prædicatio, notandum est prædicationem triplicem posse constitui.

Prima dicitur ordinata, in qua scilicet superius de inferiori prædicatur, vt animal de homine, dicendo homo est animal.

Secunda est contra ordinem seu inordinata, cum è contrario inferius prędicetur de superiori, vt homo de animali, sic, animal est homo.

Postrema dicitur præter ordinē, cùm videlicet attributum nō habet potiùs rationē superioris quàm subiectū, vt cùm Petrus de seipso prædicatur, dicimúsque Petrus est Petrus: si quidem nulla est ratio propter quam Petrus attributum, sit aliquid seipso subiecto superius, cùm vna sit atque eadem res, & cùm ponitur attributum, & cùm statuitur subiectū.

Ex quo intelligitur indiuidui prædicationem esse

huius postremi generis, quippe quæ sit eiusdem de seipso: vnum verò non sit seipso superius, aut inferiùs.

Contra hanc indiuidui definitionem obiicies: definitio non est rei singularis, sed tantùm vniuersalis: atqui indiuiduum est res singularis, non vniuersalis vt constat: ergo non potest definiri: Maior est certa, definitio est tantum rei necessariæ, & quæ sub scientiam cadere possit, cum ipsa definitio sit sciendi instrumentum: sed res singularis non est necessaria, nec talis vt de ea haberi possit scientia, vt diximus disputatione de vniuersalibus in communi: ergo definitio non est rei singularis.

Respondeo distinctione maioris: definitio non est rei singularis, vt singularis est, seu secũdùm quod est singularis, concedo: sub aliqua ratione vniuersali, nego. Vnde dico non definiri indiuiduum ratione suæ naturæ singularis, verbi gratia, Socratem ratione suæ particularis naturæ, sed ratione indiuiduationis in qua conuenit cum alijs singularibus, & indiuiduis.

Ex quo duo consequuntur, *primum*, definitum materiale, seu id quod definitur esse rem ipsam singularem, non tamen secundùm naturam suam consideratam, quia illa non potest definiri, sed secũdùm rationem ipsam singularitatis, in qua cum aliis singularibus conuenit, & propterea singularitatem esse definitum formale, seu id per quod definitur indiuiduum; sicut proportione seruata de vniuersali diximus, scilicet naturam ipsam vniuersalem esse definitum materiale, seu rem definitam, vniuersalitatem verò formale, seu id per quod ipsa natura, quæ denominatur vniuersalis, definitur.

2. Sequitur ipsam rationem singularitatis seu in-

diuiduationis esse re vera communem, & posse prædicari de multis inferioribus indiuiduantibus: rectè enim dici potest, indiuiduatio Petri est indiuiduatio, indiuiduatio Pauli est indiuiduatio, & sic de cæteris.

Rursus obiicies: indiuiduum potest de multis prædicari. v.g. Petrus de multis hominibus qui hoc nomine donantur: ergo non benè definitum est, id quod de vno tantùm prædicatur.

Distinguo antecedens, indiuiduum potest prædicari de multis: ratione alicuius nominis communis Petri, concedo: ratione verò naturæ suæ singularis, v.g. Petrus ratione suæ particularis naturæ, nego: quo modo sumitur indiuiduum, cum de vno tantùm dicitur prædicari.

Occurres, saltem indiuiduum vagum vt aliquis homo prædicetur secundùm naturam de multis, putà de Petro, Socrate, & aliis hoc modo, Petrus est aliquis homo, Socrates est aliquis homo, &c. ergo non prædicatur tantùm de vno, & consequenter illi non conuenit indiuidui definitio.

Respondeo, negando antecedens: etenim indiuiduum vagum non prædicatur de multis ratione naturæ indiuiduæ & singularis, sed vt barbaro vtar vocabulo, ratione aliqualitatis, quæ videtur esse communis & à qua multæ naturæ singulares dicuntur aliquæ.

Quærunt hîc aliqui, quodnam sit principium indiuiduationis, seu, quid constituat formaliter rem indiuiduam & singularem.

Quæstio certè tota Metaphysica est, & ideò accuratiori illius examine Metaphysicæ relicto, breuiter respondeo, internum indiuiduationis principiũ esse differentiam aliquam singularem inferiorem dif-

ferentia specifica, ipsum indiuiduum intrinsecè & formaliter constituentem inesse indiuidui: sicut homo per rationale intrinsecè, & essentialiter constituitur in esse hominis modo suprà explicato in disputatione de vniuersali in communi sectione 2. quæst. 2. Externum verò esse quædam accidentia quorum interuẽtu indiuidui notitiam, assequimur, cum eadem omnia non possint in alio indiuiduo reperiri. Iuuandæ memoriæ causa illa omnia hoc versu expressa si lubet accipietis, *Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.*

De affectionibus Indiuidui.

CAP. IV. ET POSTREMVM.

PRima indiuidui affectio est, quod de vno tantùm prædicetur, sed de ea abundè satis.

Alia est quod speciei & generi subijciatur: speciei quidem *immediatè*, vt Petrus homini, generi verò *mediatè*, vt idem Petrus animali, mediante homine.

Circa hanc affectionem, Quærunt nonnulli, an indiuiduum quod refertur ad speciẽ, & ad genus quibus subiicitur ad vtrãque vnica relatione referatur.

Respondeo affirmatiuè: nam sicut genus tanquam superius vnica relatione refertur ad species, & indiuidua quibus communicari aptum est, ad species quidem immediatè, & ad indiuidua speciebus intermedijs, ita non videtur nisi vnica relatio in indiuiduo constituenda, per quam referatur ad speciem immediatè, & mediante specie ad genus, nec vlla sufficiens disparitas potest assignari.

Hinc inferre licet, quemadmodum relatio generis ad indiuidua v. g. animalis ad Petrum non est ea-

dem cum relatione ſpeciei ad eadem indiuidua, v.g. hominis ad eundem Petrum, quia genus ad indiuidua tantum refertur mediante ſpecie, & ſpecies immediatè: ita etiam relatio indiuidui ad genus, v.g. Petri ad animal, non eſt eadem cum relatione ſpeciei ad idem genus, v.g. hominis ad idem animal, quia ſpecies ad genus immediatè refertur, indiuiduum verò tantùm mediante ſpecie.

Obijcies, referri *mediatè vel immediatè*, non multiplicat relationes vt patet in genere, quod vnica relatione refertur ad ſpecies immediatè, & ad indiuidua ſpeciebus intermediis: ergo ex eo quod ſpecies immediatè, referatur ad genus, indiuiduum verò mediatè, non propterea in illis conſtituenda erit duplex relatio, ſed vna.

Diſtinguendum eſt antecedens, mediate vel immediate referri non multiplicat relationes, ſi teneat ſe ex parte terminorum, concedo: ſi ex parte ſubiectorum, nego: Explico: non deſinit eſſe vnica relatio quando ſunt duo termini ad quorum vnum terminatur immediatè, ad alterum verò mediatè, vt patet in prædicta generis ralatione, quæ terminatur immediatè ad ſpeciẽ, & mediante ſpecie ad indiuidua. Quando tamen è contra ſunt duo ſubiecta, quorum vnum refertur ad terminum immediatè, alterum verò mediatè tantum: tunc non vna aſt, ſed duplex relatio: vt pariter videre eſt in relationibus generis, & ſpeciei ad indiuiduum, quæ ideo diuerſæ ſunt quod ſint in duplici ſubiecto, genere, ſcilicet & ſpecie, quæ ad vnum terminum nempe indiuiduum ita referentur, vt genus mediatè tantum, ſpecies vero immediatè referatur: Eodem modo in propoſito dicendum, quia ſpecies & indiuiduum ſunt duo ſubiecta, quæ ad vnum terminũ ſcilicet genus referuntur,

ſpecies immediatè, indiuiduum verò mediatè, in ipſis non vna, ſed duplex erit conſtituenda relatio.

SECTIO TERTIA.
De differentia.

QVÆSTIO PRIMA.
De nomine, & varia acceptione Differentiæ.

QVod rem vnam ab alia diſcernit, vt rationale, hominem ab equo, illud dicitur differentia, Duobus autem modis ſumitur: Primò latè, ſecundò ſtrictè: latè pro eo omni quod vnum ab alio diſcriminat, quocumque modo id præſtet, ſicque diuiditur à Porphyrio, capite de Differentia, in differentiam communem, propriam, & maximè propriam, ſeu eſſentialem. *Communem* vocat eam quæ deſumitur ab aliquo accidente communi, & ſeparabili, vt albedo parietis, qua diſtinguitur paries ab alio pariete nigro: *Propriam* vult eſſe illam, quæ ſumitur ab aliqua proprietate, vt eſt riſibilitas reſpectu hominis, vel ab aliquo accidente inſeparabili, vt albedo in cygno, & nigredo in coruo, & vt eius vtar exemplo, naſo eſſe aquilino, vel ſimo: *maximè* denique *propriam* eam nuncupat quæ ſumitur ab aliquo principio eſſentiali & quæ rem eſſentialiter conſtituit, vt rationale reſpectu hominis; & hanc vltimam differentiam ab aliis duabus in eo ſeiungit, quod faciat aliud, aliæ verò differentiæ communis, & propria tantummodo diſſimile efficiant, non aliud. Strictè verò ſumpta differentia, vt diſtinguitur ab aliis vniuerſalibus accipitur tantùm pro *differentia maximè propria*, & eſſentiali, de eáque ſic ſumpta tota hac quæſtione diſputabimus, poſtea de aliis duabus recto ordine acturi.

QVÆSTIO SECVNDA.

De exiſtentia Differentiæ.

BIna olim extitiſſe templa, Concordiæ vnum, alterum Diſcordiæ peruulgata fama eſt: concordiæ templum genus eſſe dicerem, in quo ſcilicet toto alioquin cœlo diſcrepantes ſpecies, velut homo, & brutum in animali, fœderis, & pacis vinculo connectuntur: diſcordiæ verò templum lubens aſcriberem differentiæ, quæ res in genere coniunctas, & conſentientes ita diſiungit, vt ſic non poſſint ſecum conſentire, vt præfatæ ſpecies animalis homo & brutum, variæ colorum ſpecies, albedo, nigredo, & ſimilia, quæ non accidentariò tantùm, ſed verè & eſſentialiter differunt. Ex quibus patet dari differentiam. Ad maiorem tamen illius explicationem.

Notandum eſt, vel potiùs repetendum ex diſputatione ſuperiori ſect. 2. quæſt. 3. duplicem eſſe differentiam, genericam ſcilicet, & ſpecificam, genericam, quæ conſtituit genus, aut ſpeciem interiectam, vt ſenſibile conſtituit animal quod eſt genus; vel ſpeciem interiectam ſpecificam, quæ conſtituit ſpeciem infimam, vt rationale hominem.

Hoc poſito cùm quærimus exiſtentiam interiectam differētiæ, non eſt quæſtio de differentia generica, quia cùm illa genus, vel ſpeciem interiectam conſtituat, eius exiſtentia ſimul cum exiſtentia generis affecta eſt: ſed eſt quæſtio de differentia ſpecifica, ſpeciem infimam conſtituente, & cum ea reciproca: an quædam eiuſmodi detur.

Quidam talem differentiam reiiciunt; ſed probabilius alij admittunt: primò quia Ariſtoteles, id diſertiſſimè aſſerit, 7. Met. c. 12. cū ait in omni diuiſio-

ne descendendum esse vsque ad vltimam & infimam differentiam, quæ amplius diuidi non possit.

Secundo accedit ratio; quælibet species infima habet aliquid ita sibi proprium, vt aliis conuenire non possit, v.g. homo potestatem ratiocinandi, per quam differt à rebus omnibus, vt ex dictis intelligitur: ergo ex tali gradu potest sumi differentia ipsius hominis, nempe rationalitas, quæ ei soli conueniat, & cum eo reciprocetur: At illa differentia debet necessariò esse infima, cum speciem infimam, putà hominem constituat: Ergo de facto dantur vltimæ differentiæ quæ cum speciebus conuertuntur.

Obiicies ex Aristotele 7. Top. cap. 11. differentia latius patet ipsa specie: ergo cum ea minimè reciprocatur, contra prædicta.

Respondeo distin. anteced. secundum Aristotelem, differentia latius patet specie infima, generica concedo, v.g. sensibile homine, specifica verò, v.g. rationale eodem homine, nego.

Præterea obiicies Porphyrium istam solam differentiam genericam agnouisse, quam definiunt v.g. vniuersale, quod prædicatur de multis specie differentibus in quale quid, semperque multas coniunxisse differentias ad speciem infimam constituendam, & ab aliis rebus distinguendam, vt ad constituendum hominem, rationale, & mortale, rationale quidem, quò à brutis, & mortale quo ab angelis, seiungeretur.

Respondeo reuera Porphyrium in ea fuisse opinione vt existimaret nullas esse infimas differentias, cum speciebus infimis recurrentes, seu reciprocantes, eo quod vt plurimùm lateant, paucæque animaduertantur: Sed hanc eius opinionem, à melioris notæ Philosophis meritò reprobari.

Quæres, quomodo differentiæ infimæ inuestigari possint.

Respondeo breuiter, quemadmodum ex vngue leonem cognoscimus, & ex fumo coniicimus ignẽ, ita ex proprietatibus differẽtias essentiales cognosci, v.g. rationalem ex ridendi facultate, quia cognita ipsa ridendi potentia per quotidianos eius actus, deuenimus in notitiã rationalitatis, à qua risibilitas velut riuus à fonte profluit; & quia ipsam rationalitatem à nullo proficisci intelligimus, statim cognoscimus eam esse essentialem hominis differentiam.

QVÆSTIO TERTIA.

De essentia differentiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

De eius definitionibus à Porphyrio assignatis.

PRimam his verbis tradit, capite citato, de differentia; *differentia est in quo species superat genus*, vt homo superat animal per rationale; superat quidem non extensione, quia semper genus latiùs patet specie, v.g. animal, homine, sed intentione, & graduum multitudine, quia præter generis gradus in specie datur peculiaris differentiæ gradus, v. g. in homine præter omnes animalis gradus datur peculiaris rationalitatis qui ex dictis in animali non includitur.

Secundam hac verborum serie assignat, *differentia est vniuersale quod prædicatur de multis specie differẽtibus in qualẽ quid*: Sed hæc propter duo non habetur acurata: Primũ, quòd tradatur tantũ per proprieta-

tem vniuersalis, scilicet prædicationem, non autem per essentiam, scilicet aptitudinem existendi: Accurata autem definitio dari debeat per essentialia rei attributa, vt suprà monuimus.

Secundò non creditur accurata, eò quòd omni differentiæ non conueniat, scilicet infimæ, quæ de vnica tantum specie, & ea mediante de multis indiuiduis enuntiatur, vt rationale de homine, & eius interuentu de singulis hominibus; non autem de multis specie differentibus, quod tamen ponitur in illa differentiæ definitione quam tradidit Porphyrius.

Vt igitur differentiæ definitionem proferamus, quæ vtique genericæ scilicet, & specificæ conueniat, sic dicendum est, *Differentia est vniuersale aptum inesse subiecto vniuersali, vel de subiecto vniuersali prædicari & iis quæ sub ipso cõtinẽtur, in quale quid.*

Quod si quis velit hanc definitionem ad alteram harum differentiarum genericæ, scilicet, & specificæ adaptare, id minimo negotio efficiet, ponendo loco subiecti vniuersalis, vel genus, si velit eam ad differentiam genericam accommodare, vel speciem, si specificæ applicare cupiat.

Porrò legitimam esse hanc nostram differentiæ definitionem, ex eo primùm intelligis, quod toti definito, scilicet differentiæ conueniat: 2. quod illud distinguat à cæteris rebus.

Ab indiuiduo quidem, quia prædicatur tantùm de vno singulari, & nullo intermedio; differentia verò siue generica siue specifica de subiecto, vniuersali, & eo interiecto de multis.

A genere & specie, quod genus immediatè de multis specie differentibus dicatur, vt animal de homine & bruto, species sine vllo interiecto de so-

lis numero diſtinctis, verbi gratia, homo de Socrate, Platone, & aliis ſingularibus hominibus, differentia verò ex dictis ſiue generica ſiue ſpecifica immediatè de vno tantum, vel genere, vel ſpecie, prædicetur.

Item quòd genus & ſpecies ſimpliciter prædicentur in quid de eius inferioribus, vt liquet ex prædictis, differentia verò non abſolutè in quid, ſed in quale quid, vt ſenſibile de animali, rationale de homine.

Dicitur autem differētia prædicari in quale quid: *in quid*, quia pertinet ad eſſentiam rei de qua prædicatur, vt ſenſibile ad eſſentiam animalis, rationale ad eſſentiam hominis: *in quale* verò, quia ſe habet per modum formæ, & qualitatis genus ad certam ſpeciem determinantis, vt rationale animal ad ſpeciem hominis.

Vel differentia dicitur prædicari in quale quid, quod primò inquiramus, quid res ſit, v.g. quid ſit homo, & vbi per genus reſponſum eſt, homo eſt animal, poſtea per quale interrogamus, vt quale animal ſit homo, & tunc per differentiam reſpondemus eſſe animal rationale, vno verbo in quale quid, id eſt, in quale ſupponens quid.

Denique hac particula *in quale quid*, diſtinguitur differentia à proprio & accidente, quæ in quale ſimpliciter, non autem in quale quid prædicantur, vt inferiùs conſtabit.

Tertiam quartámque adiungit Porphyrius definitionem his verbis: *differentia eſt id quod ſecernit ea quæ ſub eodem genere poſita ſunt*. Item, *differentia eſt id quo ſingula differunt*, intellige, vel communiter vel propriè, vel maximè propriè ſeu eſſentialiter, & ita definitionem de differentia generatim, vt commu-

nem,propriam & maximè proximam comprehendit,interpretare.

Postrema differentiæ definitio sic à Porph.traditur, *differentia est id quod dat esse rei, tanquam pars eius essentialis*, vt rationale homini, ad cuius essentiam pertinet: quę quidem definitio soli tantum differentiæ maximè propriæ conuenit, cùm ea sola sit quæ dat esse speciei tanquam pars eius essentialis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum differentia superior sit de essentia inferioris, & de ea prædicetur essentialiter.

VT præsentis difficultatis status fiat apertior, apponatur exemplum, sensibile est differentia superior, rationale inferior. Iam quæritur, num sensibile sit de essentia rationalis, & de eo prædicari possit essentialiter.

Communis sententia negat, probatúrque primò. Id tantùm est de essentia rationalis per quod homo differt à cæteris rebus, cùm omninò rationale sit differentia hominis: atqui per sensibile, homo non differt à cæteris rebus, nimirum à brutis, vt satis constat: ergo sensibile non est de essentia rationalis.

2. Si sensibile esset de essentia rationalis, bis sensibile in homine reperiretur, semel ratione generis scilicet animalis in quo includitur, & iterum ratione differentiæ, nempe rationalis in quo pariter ex suppositione essentialiter contineretur; quod dici non potest: ergo sensibile non est de essentia rationalis, nec vlla superior differentia de essentia inferioris.

Postremò si sensibile esset de essentia rationalis, vel se haberet tanquam eius differentia, & hoc non: quia differentia non latiùs patet eo, cuius est differentia, sed illi soli conuenit: sensibile verò latiùs extenditur quàm rationale, cùm etiam brutis conueniat: vel tanquàm genus, & hoc etiam non, quia rationale esset species constans genere & differentia: quod tamen absurdum est, tùm quia species non est differentia speciei, rationale verò est differentia hominis, tum quia de ipsa differentia rationali eadem quæstio recurreret, ac de ipso rationali an includeret essentialiter differentiam superiorem quod fugiendum est: ergo sensibile non potest esse de essentia rationalis.

Obiicies primò: Vniuersale debet esse de essentia inferiorum: sed differentia superior, verbi gratia sensibile, est aliquid vniuersale continens sub se differentias, putà rationale, & irrationale tanquam inferiora: ergo differentia superior, v.g. sensibile est de essentia inferiorum, videlicet rationalis, & irrationalis.

Quidquid sit de maiori, respondeo negatione minoris, differentia enim superior est tantum vniuersalis, respectu generis cuius est differentia, & iis quæ sub ipso continentur, de quibus prædicatur, tanquam pars essentialis respondens formæ, verbi gratia, sensibile respectu animalis, & speciebus eius specierumque indiuiduis, non verò respectu differentiarum inferiorum, putà rationalis & irrotionalis, proindeque non debet in illarum differentiarum essentia comprehendi.

Rursus obiicies vt supra de genere. Differentia superior non prædicatur de inferiori accidẽtariò, v.g. sensibile de rationali, quia sensibile non est accidens

rationalis: ergo prędicatur essentialiter, proindéque pertinet ad essentiam eius.

Simpliciter neganda est consequentia: neque enim propriè differentia superior prædicatur accidentariò, aut essentialiter de inferiori, putà, *sensibile de rationali, sed identicè tantùm & materialiter*, vt diximus supra de genere comparatione differentiarum, v.g. de animali, comparatione rationalis vel irrationalis.

Atque iuxta illud explicari debet Aristoteles, si quando dixerit differentiam superiorem prædicari de inferiori, & in illa contineri, ipsum scilicet, non loqui de *formali* prędicatione, & *essentiali* continentia, sed tantum de *materiali & identica*, de qua nulla hîc mouetur difficultas, sed tantùm de priori.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum differentiæ illæ sint reales, quæ per negationem exprimuntur.

QVædam differentiæ per affirmationem exprimuntur, vt sensibile rationale: Aliæ per negationem vt insensibile irrationale: priores esse reales omnes fatentur, dubitatio tantum est de posterioribus.

Nihilominus constanter asserimus eas quoque esse reales, quia species reales constituunt, & ab aliis realiter distinguunt, vt insensibile plantam, & irrationale brutum.

Quæres, quare eiusmodi differentiæ per negationem exprimantur?

Respondeo, quia nobis secundùm se sunt incognitæ: faciliùs autem cognoscimus, quid res non sit, & per negationem, quàm quid sit, & per affirmationem

nem, verbi gratia, promptiùs intelligimus Deum eſſe infinitum, incorporeum, immutabilem, incomprehenſibilem, & cætera eius attributa per negationem expreſſa, quàm quæ ſint eius perfectiones & attributa affirmatiua.

QVAESTIO IV. ET POSTREMA,

De affectionibus differentiæ.

ARTICVLVS PRIMVS

De oppoſitione differentiarum.

NOtandum primò *oppoſitionem* nihil aliud eſſe quàm repugnantiam duorum inter ſe, vt infrà fuſiùs oſtendemus.

Notandum ſecundò oppoſitionem vniuerſim eſſe quadruplicem.

Primà dicitur *contradictoria*, quæ conſiſtit in affirmatione, & negatione eiuſdem, & cuius terminus vnus eſt, non ens, vt homo, non homo.

Secunda eſt *priuatiua* inter formam, & eius priuationem, vt inter viſum, & cæcitatem.

Tertia eſt *relatiua*, quàndo vnum refertur ad aliud, vt pater ad filium.

Poſtrema eſt *contraria* inter illa, quæ ſub eodem genere poſita maximè diſtant, vt inter calorem, & frigus, quæ ſub eodem genere qualitatis patibilis conſtituuntur, maximéque à ſe inuicem diſtant.

Notandum tertiò hanc poſtremam oppoſitionem contrariam eſſe duplicem: vnam *propriè dictam* inter illa quæ ſub eodem genere poſita maximè diſtant, & apta ſunt ſe inuicem ab eodem ſubiecto expellere, vt calor, & frigus ſupradicta: aliam *impropriam* inter illa quæ quamuis ſub eo-

dem genere constituantur, maximéque inter se distent, non possunt tamen se ab eodem subiecto eiicere, vt rationale, & irrationale ex infrà dicendis. His positis, sit

Prima propositio.

Differentiæ sub eodem genere positæ, verbi gratia, rationale, & irrationale, neque contradictoriè, neque priuatiuè opponuntur.

Probatur: contradictoriæ oppositionis vnum extremum est non ens, priuatiuæ verò est tantùm priuatio entis, & non aliquid positiuum: atqui differentiæ sub eodem genere positæ, vt rationale, & irrationale, non ita se habent, sed ambæ sunt reales, & positiuæ, vt constat ex postremo articulo quæstionis præcedentis: ergo neque sunt contradictoriè, neque priuatiuè opposita.

Secunda propositio.

Neque etiam differentiæ sub eodem genere positæ habent oppositionem relatiuam, quia vna, verbi gratia rationale non refertur ad aliam, putà irrationale, sicut pater refertur ad filium: neque contrariam propriè dictam, quia se non possunt ab eodem subiecto expellere: verbi gratia, rationale nequit expellere irrationale ab eo subiecto in quo est, sicut calor expellit frigus à subiecto illo in quo recipitur, & vicissim ab eo eiicitur, quod tamen ex dictis requiritur ad perfectam oppositionem contrariam: sed solùm opponuntur illæ differentiæ impropria contrarietate, tum quia nulla alia superest oppositio cæteris reiectis: tum quia illa impropria contrarietas ex dictis in eo solùm sita est, quòd duo entia realia sub eodem genere

posita maximè ab inuicem distent, quo modo se habent differentiæ sub eodem genere collocatæ, v.g. rationale, & irrationale: cùm & sint entia realia ex dictis, & sub eodem genere constituantur, maximè denique distent, nihil si quidem est quod magis distet à rationali, quàm irrationale, & vice versa.

Obiicies. Substantiæ nihil est contrarium apud Aristotelem in Categoria cap. de Subst. atqui differentiæ oppositæ, v.g. rationale, & irrationale sunt substantiæ: ergo non sunt contrariæ.

Distinguo maiorem: Substantiæ nihil est contrarium *propria contrarietate*, concedo: *impropria*, nego, quo modo differentias oppositas, v.g. rationale, & irrationale diximus esse contrarias.

Obiicies præterea, contraria possunt eidem subiecto inesse, sed differentiæ oppositæ, v.g. rationale, & irrationale, non possunt eidem subiecto inesse: ergo non sunt contrariæ.

Eodem modo maior distinguenda. Contraria possunt eidem inesse subiecto, *propria transeat, impropria nego*, vt sunt differentiæ oppositæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum differentiæ suscipiant intensionem, & remissionem.

NOtandum est ea tantùm suscipere intensionẽ, & remissionem, quæ augeri, & minui possunt, vt calor secundùm gradus, quia interdum plures, interdum verò pauciores eiusmodi gradus continet. Hinc ad quæstionem propositam

Respondeo, differentias neque intensionis, neque remissionis esse capaces, quia non sunt inter-

dum cum pluribus, interdum verò cum paucioribus gradibus. Author est Aristoteles 8. Metaphys. cap. 3. textu 10. vbi generatim docet rerum essentias instar numerorum esse indiuisibiles, adeo vt si quid ab ipsis detrahatur, vel iisdem adiungatur, illicò eas mutari necesse sit, quod verum non esset, si differentiæ possent nouum essentiæ gradum acquirere, & aliquem recenter deperdere: ergo differentiæ, nec sunt intensionis, nec remissionis capaces. Vnde intelligis quantum ad principium ratiocinandi omnes homines æqualis esse perfectionis, nec in eo vnum aliis præcellere, cùm sit essentialis hominis differentia: ideoque si contingat (vt verè contingit) vnum alio perfectius, & magnificentiùs ratiocinari, id ad meliorem organorum apparatum (à quo actiones animæ, corporis vinculis adstrictæ, dependent) reuocandum esse, non verò ad melius perfectiusque ratiocinandi principium. Hactenus de differentia.

SECTIO QVARTA.

De Proprio.

QVÆSTIO PRIMA.

De nomine & varia acceptione Proprij.

Proprium idem est ac *quod cuique rei est peculiare*. Varijs modis sumitur: primò quatenus alieno opponitur, quo sensu quis dicitur de proprio dare,

Secundò, quatenus opponitur communi, & illud duplex, essentiale, quo pacto differentiæ, itemque definitio dicuntur propriæ: & accidentarium, quod à Porphyrio quadruplex statuitur.

Primùm, *quod vni tantùm speciei, non toti*, id est, non singulis indiuiduis, nec semper conuenit, vt esse medicum, intellige *per artem*, quo pacto solis, sed non omnibus hominibus conuenit.

Dixi *per artem*: belluæ enim ipsæ, instinctu quodam naturali, certis quibusdam remediis, & herbis suas ægritudines expellunt, sibique medentur, sed non per artem.

Secundò, sumitur Proprium pro eo *quod toti sed non soli* conuenit, vt homini duplici pede incedere: hoc enim alijs conuenit etiam animalibus, licet in omnibus semper hominibus ex naturæ decreto reperiatur.

Verùm hæc acceptio Proprii valdè est impropria, cum potiùs proprium sit aliquid commune multis, quàm alicui peculiare, contra expressam Aristotelis sententiam, qui perpetuò asserit proprium ei tantùm debere conuenire, cui dicitur proprium.

Tertiò, accipitur pro eo *quod toti, & soli speciei* conuenit, *non tamen semper*, sed stato quodam, & determinato tempore, vt canescere hominibus non quidem in pueritia aut iuuentute, sed in senectute, nisi per accidens, & contra naturæ intentionem, ideoque tanquam monstrum contrarium contingat: sic enim Albanorum pueros statim in lucem editos referunt aliqui canos apparuisse, quod propterea tanquam inusitatum inter prodigia repositum est, idemque etiam in quibusdam visu deprehensum fuisse permulti affirmarunt.

Occurres, aut hic canescere sumitur pro potestate canescendi, seu vt alii loquuntur, *in actu primo*, aut pro actuali canitie, seu vt alii dicunt, *in actu secundo*: si in actu primo, conuenit semper, quia semper in hominibus est potestas canescendi:

si pro actu secundo, est accidens commune, sicut actualis risus est commune hominis accidens: ergo nullo modo sumi potest canescere tanquam proprietas huius tertij modi.

Prætermissis aliis leuioribus responsionibus breuiter respondeo ad antecedens, canescere hîc sumi pro potestate cum requisitis dispositionibus ad canescendum, quo pacto homini in sola senectute, saltem ordinariè conuenit: non autem pro potestate remota. h. ipsa natura prout potest tales dispositiones acquirere, ex quibus oritur canities, quia sic omnibus hominibus, & omni tempore congruit, vt rectè probat obiectio.

Quartò, & maximè propriè accipitur proprium, pro eo *quod soli speciei, toti, & semper conuenit* vt homini posse ridere, quia solus homo ridere potest, nullúsque est qui omni tempore non habeat ridendi facultatem. Atque de hoc postremo proprio sumus deinceps acturi.

SECTIO SECVNDA.

De existentia Proprij.

PRoprium existere ab omnibus conceditur, & satis intelligi potest ex quæstione superiori.

Duplex verò est cõstituendum (vt patet ex disputatione de vniuersalibus in communi) alterũ ***genericum***, quod generi tribuitur, & omnibus inferioribus eius, vt mortale viuenti, & singulis eius speciebus, specierúmque indiuiduis: alterum quod vni tantùm speciei, & eius indiuiduis conuenit, vt hinnibile equo in communi, & singulis equis in particulari.

Quærunt etiam hîc nonnulli causam efficien-

tem, & originem proprietatum, sed tota hæc quæstio physicæ est considerationis, & ideo ad illam remittitur.

QVÆSTIO TERTIA.

De essentia Proprij.

PRoprium quarto modo à Porphyrio sumptum (de quo hîc tantùm agitur) dupliciter non secus ac alia vniuersalia potest definiri, essentialiter, scilicet ac accidentariò: essentialiter his verbis, *Proprium est vniuersale aptum inesse subiecto vniuersali, & iis quæ sub ipso continentur accidentariò, & reciprocè*, accidentaliter verò per proprietatem hoc pacto, *Proprium est vniuersale quod potest prædicari de subiecto vniuersali, & iis quæ sub ipso continentur in quale accidentarium, & reciprocum*. Quod si aliquis velit has definitiones ad solùm proprium genericum restringere per subiectum vniuersale genus interpretetur: si verò velit eas soli proprio specifico accommodare, è contra per subiectum vniuersale speciem intelligat.

Dicitur autem primò proprium *vniuersale*, in quo conuenit cum aliis vniuersalibus, & ab indiuiduo distinguitur.

Dicitur secundò, *aptum prædicari de subiecto vniuersali, siue sit genus, siue species*, vt duplex proprium constituatur, genericum scilicet, & specificum.

Tertiò, ponitur *in quale* ad distinctionem generis, & speciei, quæ prædicantur in quid de suis inferioribus, vt suprà tradidimus.

Quartò additur *accidentarium* ad discrimen differentiæ, quæ in quale quidem prædicatur, sed essentiale.

Denique adiungitur *reciprocum* ad differentiam communis accidentis, quod non prædicatur reciprocè, vt infrà docebimus.

Obiicies, si proprium prædicetur accidentariò non est vniuersale, sed consequens falsum secundùm nos : ergo & antecedens. Maior probatur. Quòd non prædicatur synonymè non est vniuersale: sed si proprium prædicetur accidentariò non prædicatur synonymè, nam synonymè prædicari est prædicari secundum essentiam, & non per accidens: ergo si proprium prædicetur accidentariò, non erit vniuersale. Eadem obiectio fieri potest de accidente communi.

Respondeo, negando maiorem vel potiùs distinguendo eius probationem, si proprium prædicetur accidentario, non prædicatur synonymè, synonymiâ essentiali, concedo : synonymiâ accidentali nego: quę vtraque synonymia sufficit ad vniuersale.

QVÆSTIO POSTREMA.

De affectionibus Proprij.

ARTICVLVS PRIMVS.

De distinctione proprietatis à suo subiecto.

NOnnulla sunt de distinctione variisque eius generibus præmittenda.

Primùm distinctionem generatim esse duplicem, vnam, quæ antecedit operationem intellectus: alteram quæ eius tantùm adminiculo perficitur.

Prior in iis locum habet, quæ per naturam distinguuntur, vt homo, & equus: estquę duplex, *vna realis* inter illa quæ mutuo separantur, vt inter lignum & lapides, vel saltem diuina virtute separari possunt,

: separata existere, vt sunt materia & forma in comositis naturalibus. Altera est *formalis*, seu *ex natura rei* eorum, quæ diuersas obtinent definitiones ssentiales, siue inter se coniugantur, nec semoueri ossint, siue non, vt animal, & rationale, quæ quiem, vt sunt partes hominis ita in illo coniungunur, vt re vera ab ipso separari nequeant, quanuam tamen definitio essentialis animalis diuer sit à definitione essentiali rationalis aliudq; nimalis nomine, aliu nomine rationalis intelligaius.

Distinctio autem *rationis* est ea, quæ tantum per gitur beneficio mentis, illaque duplex: vna, quæ abet aliquod verum fundamentum propter quod at, vt distinctio virtutis calefactiuæ radii solaris ɔ eiusdem exsiccandi potestate, nam licet hæ duæ irtutes non distinguantur ex sua natura, sed sunt nus & idem radius: datur tamen aliquod fundaientum, nempe efficacitas talis radii qui & calefationem, & exsiccationem producit; vnde fit, vt & mul calefactiuus, & exsiccatiuus dicatur. Alia daır distinctio rationis, quæ fit absque vllo fundaıento à parte rei, vt cum res aliqua à seipsa distinuitur, prout diuersa ratione consideratur, vt Peus subiectum à seipso prædicato in hac propoſione. *Petrus est Petrus*, & hæc distinctio *rationis raocinantis* nuncupatur.

His distinctionibus alia adiungitur, nimirum moılis inter rem, & modum rei, vt inter essentiam; & istentiam, quæ illius modus est, accidens, & inhæntiam, sicque de cæteris: sed de his distinctionum eneribus plura in Metaphys. Nunc quo genere diinctionis proprietates à suis subiectis distinguanı; paucis propositionibus aperiamus.

Prima propositio.

PRoprietates saltem *formaliter*, & *ex natura rei*, distinguuntur à suis subiectis, verbi gratia, intellectus ab homine, calor ab igne, & sic de aliis.

Probatur : Ea ex natura rei, & formaliter distinguuntur, quæ habent diuersam naturam, & diuersam definitionem essentialem, siue coniungantur inter se, nec separari possint, siue non : atqui sic se habent proprietates, & earum subiecta, verbi gratia, intellectus, & homo; calor, & ignis. Alia enim est natura, & definitio essentialis hominis, alia intellectus, alia caloris, alia ignis, & ita de cæteris: ergo proprietates, & eorum subiecta formaliter, & ex natura rei inter se distinguuntur.

Secunda propositio.

MVltæ proprietates non distinguuntur realiter à suis subiectis, vt mortalitas à corpore animato, corruptibilitas à corpore ex quatuor elementis conflato, & similes.

Probatur: quæ distinguuntur realiter, saltem diuina virtute separari possunt, & separata conseruari: Atqui corruptibilitas non potest separari à corpore mixto, seu ex quatuor elementis composito, nec mortalitas à viuente, & animato corpore, nullum enim corpus mixtum, quod de se & natura sua non sit corruptibile, nullum viuens quod non sit mortale: ergo eiusmodi proprietates à suis subiectis realiter non distinguuntur.

Dixi, *de se, & natura sua corpus mixtum esse corruptibile, & animatũ mortale*, certum est enim Deũ omni potenti manu sua posse efficere, vt nec corpus mixtum vnquam corrumpatur, nec viuẽs moriatur, sed

on efficiet, vt illud corpus mixtum, *de se, & natura a*, non dicatur corruptibile, & viuens mortale.

Tertia propositio.

Quædam proprietates realiter à suis subiectis secernuntur, vt summus calor ab igne, summa humiditas ab aëre, summum frigus ab aqua, & summa siccitas à te[illegible]a: si quidem non semper ignis summè calidus est, aër summè humidus, aqua summè frigida, & terra in supremo gradu sicca.

De intellectu, voluntate, & aliis animæ facultatibus maior existit difficultas, num realiter ab ipsa anima distinguantur.

Concludemus affirmatiuè in Physica in lib. de anima, dicemúsque posse animam existere sine intellectu, voluntate, & ridendi facultate.

Quod si vrgeas animam non fore amplius intellectiuam, volitiuam, & risibilem.

Distinguendum est: anima non erit amplius intellectiua, volitiua, & risibilis per intellectum, voluntatem, & ridendi facultatem tanquam per proprietates, & accidentia verum est: *substantialiter ve-* falsum: semper enim habebit suam substantiam aptam profundere intellectum, voluntatem, & ridendi facultatem, cum quibus posteà intelligat, velit, & in risum actu prorumpat.

Si iterum vrgeas ex hac propositione sequi cōtra prædicta, risibile, quod est homini proprium, cum eo non reciprocari, si enim detur homo cuius anima destituta ridendi facultate, homo ille erit verus homo, & tamen non erit risibilis: quatenus risibile dicitur hominis proprietas esse.

Respondendum est casum illum quem ponimus, nimirum animam esse destitutam ridendi facultate,

non esse ordinarium, & ex rerum statu quem Deus constituit, hunq; nunquam de facto esse futurum, proindéque nihil mirum esse, si in eo casu risibile, quatenus est hominis proprietas, cum ipso homine non reciprocaretur, quia id tantùm verum est positis rebus vt sunt, & rerum ordine nequaquam immutato. Sed hæc in Physica prædicto loco accuratius expendemus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum proprietates sint intentionis, & remissionis capaces.

QVuid sit intendi, & remitti, quid intensio & remissio, ex postrema quæst. sectionis præcedentis satis patet.

Concludendum hîc breuiter saltem quasdam proprietates non esse intensionis & remissionis capaces, vt sunt risibilitas, & similes, quæ ex æquo participantur à singulis hominibus.

Quod si aliquis homo promptiùs ad risum ferri videatur quà alius, promptiùs intelligat, & velit alio, id non est referendum in perfectiorem ridendi, intelligendi, & volendi facultatem, sed in meliorem organorum dispositionem; à qua, vt diximus, actiones facultatum animæ in corpore existentis dependent.

Dubitatur de calore ignis, frigore aquæ, aliisque aliarum rerum proprietatibus, nam hæ modo intensiores videntur, modò verò remissiores: interdum calor intensior, interdum verò lõgè remissior: idem in frigore, & in aliis qualitatibus cernitur, propter quod simpliciter dicunt nonnulli eas qualitates suscipere intensionem, & remissionem.

erùm si accuratius philosophandum sit, affirmanum est hanc caloris intensionem (& idem de intenone aliarum qualitatum debet esse iudicium) non i eius essentiam, quia essentia caloris, non est magis calore intensissimo quàm remississimo, cum generatim essentiæ rerum dicantur indiuisibiles instar umerorum, detractionis, vel additionis, remissiois, vel intensionis expertes, proindéque eam intenonem, & remissionem cadere tantum in modum ilm quem caloris essentia habet in subiecto, vt scicet sit in pluribus gradibus, vel paucioribus, quem iodum Metaphysici *entitatem* vocant, de qua ex rofesso in Metaphysica. Hæc de proprio.

ECTIO QVINTA, ET POSTREMA.

De Accidente communi.

QVÆSTIO PRIMA.

)enomine, & varia acceptione communis Accidentis

POrphyrius cap. de Accidente, prætermissa varia acceptione nominis accidentis, transit ad eius efinitiones. Nos quæstione 3. huius sectionis eas xpendemus, æquius ducentes hîc, vt alibi obserauimus, quæstionem de nomine accidentis, & vaio eius vsu præmittere.

Accidens itaque dicitur, quod rei præter esseniam aduenit, tribusque modis solet vsurpari, *latissimè, latè & strictè, seu propriè.*

Accidens latissimè sumptum id totum comprecendit, quod est præter essentiam alicuius rei; siue ubstantia sit, siue accidens: quo modo rationale dici potest accidens animalis, quia ei præter esseniam suam accidit.

Accidens latè sumptum id solùm cōplectitur, quod substantia non est, siue interim alicui rei ita sit peculiare, vt aliis competere non possit, vt risibile comparatione hominis; siue non, vt albedo respectu parietis.

Accidens denique strictè, & propriè accipitur pro eò quòd rei contingenter aduenit, nec ab eius essentia fluit, vel cum ea conuertitur, vt nigredo comparatione hominis, vel parietis: & de hoc accidente hoc loco nobis agendum est.

QVÆSTIO SECVNDA.

De existentia communis Accidentis.

COmmunis Accidentis existentia patet, tum experientia, tum ex eius diuisionibus, quarum prima traditur, *in accidens fortuitum, & naturale.*

Fortuitum, quod præter intentionem agentis cōtingit, vt inuentio thesauri à fodiente terram.

Naturale verò quod habet in se causam aliquam certam, & determinatam, vt albedo parietis, scientia mentis, & id genus cætera.

Rursus aliud dicitur accidens naturale quod accidit substantiæ, vt scientia intellectui, & aliud quod alteri accidenti accidit, vt dulcedo albedini in lacte.

Denique aliud dicitur accidens *separabile*, aliud *inseparabile*, & est diuisio Porphyrij cap. de accidente. Prioris accidentis exemplum ponit *dormire*, posterioris affert *nigredinem Æthiopis*, quæ re vera ab eo nunquam separatur, aut separari, de lege ordinaria potest.

QVÆSTIO TERTIA.

De essentia communis Accidentis iuxta mentem Porphyrij, & rei veritatem.

PRima Accidentis definitio à Porph. tradita hæc est, *Accidens est quod adest, & abest à subiecto sine eius interitu*, vt albedo parieti, nigredo homini, & sic de cæteris: quæ proinde adesse, & abesse dicuntur, quòd nec ad essentiam rei pertineant, nec ex ea profluant.

Obiicies primò: Hæc Accidentis definitio aliis ab accidente competit, scilicet animæ rationali, quæ abesse potest à corpore, & illi addesse citra eius perniciem ipsóque integro permanente: ergo hæc definitio non est legitima.

Respondeo ad antecedens, animam esse partem & formam totius hominis, & non solius corporis: ab homine autem non potest abesse citra eius interitum, sicut accidens ab eo potest recedere, cuius est accidens absque vllo ipsius detrimento.

Secundò obiicies, in doctrina Porphyrij datur accidens inseparabile: ergo malè definitur accidens quod potest adesse, & abesse.

Distinguo antecedens, apud Porph. datur accidēs inseparabile, realiter, concedo: ratione, & cogitatione intellectus, nego: quia & ipsa Æthiopis nigredo licet ab eo realiter inseparabilis, potest tamen cogitatione intellectus separari, & abesse quod sufficit, vt participet allatam definitionem accidentis.

Instabis etiam, cogitatione intellectus potest separari proprietas à subiecto, putà risibilitas ab homine: ergo erit accidens commune.

Neganda eſt conſequentia, tum quia *proprietas ſemper reciprocatur cùm ſubiecto*, vt riſibilitas cum homine, non item accidens commune: tum quia nō poteſt ſubiectum intelligi cum proprietate contraria, verbi gratia, homo cum proprietate contraria riſibilitati; ſubiectum verò poteſt intelligi cum accidente oppoſito accidenti inſeparabili, verbi gratia Æthiops cum albedine oppoſita nigredini, quæ eſt accidens inſeparabile Æthiopis.

Denique obiicies: hæc definitio non conuenit omni definito ſcilicet accidenti communi: ergo tollenda eſt: probatur antecedens. Mors animalis, & combuſtio domus ſunt accidentia communia, ſed illis definitio communis accidentis à Porph. tradita, & à nobis approbata non competit: quia non poſſunt adeſſe ſine ſuorum ſubiectorum interitu, mors ſine interitu animalis & combuſtio ſine interitu domus: ergo talis definitio non conuenit omni accidenti communi.

Reſpondeo negando antecedens: ad eius probationem dico, mortem animalis & combuſtionem domus eſſe quidem *accidentia*, ſed *priuatiua* tantum, non autem poſitiua, quæ allata accidentis definitione comprehenduntur.

Addit aliud Antonius Ruuio in commentariis Logicæ ad hoc caput de accidente quæſt. 4. mortem propriè non accidere animali; quia cum mors eſt, iam animal eſſe deſiit: nec combuſtionem domui; quia dum eſt combuſtio, non amplius eſt domus: ſed eſſe tantum accidentia materiæ, animalis, & domus: ideoque cum ſemper remaneat materia tam ante mortem animalis & combuſtionem domus, quam poſt, ſemper de morte & combuſtione verum eſt quod accidant ſubiecto abſque eius interitu.

Secunda

ſecunda definitio accidentis, ſic traditur à Porph. ccidens eſt, *id quod eidem ineſſe & non ineſſe poteſt.* telligé, ſucceſſiuè & non ſimul.

Tertia definitio traditur per negationem aliorum niuerſalium, *Accidens commune eſt id quod neque ge- us eſt, neque ſpecies, neque differentia, neque proprium, nper autem eſt in ſubiecto*, hoc eſt, nunquam reipſa ubiecto ſeparatum conſeruatur ſecundum natu- : facultatem.

Quarta definitio exprimit nobis accidens com- une quatenus vniuerſale ab aliis diſtinctum, id- ue duobus modis, primò per eſſentiam hoc mo-), *Accidens eſt vniuerſale aptum ineſſe multis accidē- riò & non reciprocè.* Secundum, per proprietatem, *Accidens eſt vniuerſale aptum prædicari de multis in ale accidentarium non reciprocum.*

Ex qua definitione facilè poteſt intelligi duplex la communis accidentis ſpecies, de qua ſuperiora ſputatione aliquid diximus. Prior comprehendit la accidentia, quæ tantum prædicantur de ijs quæ ıb vna ſpecie conſtituuntur, vt eſſe doctum, de ngulis hominibus ſub humana ſpecie contentis: dicitur *accidens ſpecificum*, quod ad vnius tantum um ſpeciei indiuidua pertinens, ad vnam quoque peciem pertinere poſſit: poſterior verò ea continet ccidentia, quæ poſſunt attribui indiuiduis multa- um ſpecierum, vt eſſe album, eſſe nigrum, dul- e, &c. id genus, quæ in indiuiduis multarum ſpe- ierum repetiuntur, vt album in hoc & illo pariete, in hoc & illo cygno, hoc & illo homine, & ſic de liis: & vocatur *accidens genericum*, quod ad varia- um ſpecierum indiuidua pertinens, ad varias ſpe- ies ſpectet, & conſequenter ad illarum ſpecierum genus, vt exemplis appoſitis intelligitur.

Ex quo obiter notandum discrimen inter proprium & accidens, quòd proprium ab vniuersali, ad singularia descendat. v. g. risibile ab homine ad Petrum & Paulum, quia primò conuenit homini quod sit risibilis, & per hominem Petro, & Paulo, & aliis hominibus: At verò accidens commune à particulari ascendat ad vniuersale, vt esse Philosophum ab Aristotele & Socrate ad hominem: quia in tantum homo in communi dicitur Philosophus, in quantum Aristoteles, Socrates, alii ve particulares homines sunt Philosophi.

Cæterùm huius definitionis accidentis, *Accidens est vniuersale aptum prædicari de multis, &c.* singulæ partes sunt breuiter examinandæ.

Prima est *Vniuersale* in quo conuenit accidens, cum reliquis vniuersalibus.

2. Est *aptum prædicari de multis* ad distinctionem indiuidui.

3. Est *in quale* ad dinctionem generis & speciei.

4. Est *accidentarium* ad discrimen differentiæ.

Postrema est *non reciprocum*, ad distinctionem proprij, quæ omnia satis intelliguntur ex superioribus.

Obiicies. Pars nequit de toto prædicari: Atqui accidens habet rationem partis comparatione subiecti, nam se habet instar alicuius formæ subiecto aduenientis, v. g. album instar formæ aduenientis parieti, qui dicatur albus: ergo accidens non potest de subiecto prædicari.

Respondeo concessa maiori distinguendo minorem, Accidens habet rationem partis comparatione subiecti, si sumatur in abstracto, concedo, si in concreto, nego: v. g. album in abstracto sumptum, pro albedine habet rationem partis & formæ aduenientis subiecto, putà parieti: si verò sumatur in

ncreto pro ipsomet albo, tunc non habet ratio-
n partis, sed totius vniuersalis, non tantum con-
ens albedinem, sed præterea connotans actu sal-
n confusè subiectum suum siue sit paries, siue
quid aliud in quo albedo reperitur, vt supra de
iere diximus: hoc autem posteriori modo sumi-
accidens, v. g. album quatenns prædicatur de
iecto nimirum pariete, non autem priori: neq;
m ritè dixeris, paries est albedo, bene tamen, est
us: proindéque quatenus sic prædicatur, non
bet rationem partis, sed totius.

Quærunt hîc nonnulli vtrum inhærentia sit de
entia accidentis: sed quæstio tota Metaphysica
, & ad Metaphysicam remittenda.

QVAESTIO POSTREMA.

De affectionibus communis accidentis.

PRima affectio communis accidentis, est eius à
subiecto distinctio, qualis sit, an realis, an verò
ntùm formalis & ex natura rei.

Respondeo, certa fide credendum esse accidens
tem aliquod reipsa à subiecto distingui, quia rea-
er ab ipso separari potest & separatum existere, vt
enire credimus in Augustissimo Eucharistiæ Sa-
mento, in quo accidentia panis & vini remanet
stquam eorum substantia conuersa est in substan-
m Dominici corporis, sed de hac re ex proprio
icio disputant Theologi.

. Affectio est eiusdem accidentis à proprio &
iquis vniuersalibus distinctio, verum illa satis
tis intelligitur. Nullæ aliæ occurrunt accidentis
ectiones in quibus debeamus immorari. Hæc de
niuersalibus.

POSTERIOR
TRACTATVS HVIVS PARTIS, DE Categoria.

PRAEFATIO.

Ecce poſt tenebras, quibus Vniuerſalium doctrina circumfuſa dicitur, purioris cuiuſdam, & amœnioris doctrinæ ſequitur radius. En ab horrida, & ſuarum difficultatum labyrinthis, ac mæandris terrorem animis incutiente vocum Porphyrianarum ſylua, ad Elyſios campos omni grata voluptate & rerum vbertate refertos, factus feliciter progreſſus. En Categoriæ libellum, diuinum illud opus, quod ſibi tantum pretium eſſe poteſt, duce Ariſtot. Philoſophorum omnium principe interpretari meditamur. In quo quidem libello res omnes, tãquam in circulo continentur. Quare nemo in ſumma illarum copia inopiam, in ſumma luce tenebras pertimeſcat: habebit pro minimo labore fructus vberrimos, & pro denſa caligine, luce ſplendidiſſima perfruetur.

Cæterum huius tractatus triplex erit disputatio: rima de *ante prædicamento*, seu rebus ante prædica- ıentariis: Secunda de *ipso prædicamento* seu Cate- oria: Tertia de *post prædicamento*. Prius tamen onnulla de authore, obiecto, & fine huius libri ræmittemus.

PRÆLVDIA IN LIBRVM DE CATEGORIA.

PRAELVDIVM PRIMVM.

De Authore.

SIt ne Aristot. huius libri author, vel aliquis alius eum sub nomine Arist. conscripserit, non sine :ausa ambigitur: non modo enim hac de re dubi- :at Iamblicus, sed vult esse suppositititium, & sub psius Aristot. nomine ab aliis editum, vt melius di- ıenderetur, cum, inquit, magnæ in hoc libello, & in Metaphysica inueniantur dissensiones, vt ɔostea apparebit: Alij verò communiter Iambli- :um reprehendunt, quod huius libri authorem es- e Aristotelem inficias ierit, cum sit eadem phrasis huius libri, & aliorum librorum Aristotelis, idem tylus purus, & concisus, eademque doctrinæ sub- :ilitas, & præterea analyticos libros frustra con- scripsisset, cum sine aliqua rerum Categoricarum notitia intelligi non possint, vt infrà patebit. Quid- quid sit, siue huius libri verus author sit Aristote- les, siue alius sub nomine Aristotelis, ipse certè, vtpote singulari doctrinâ refertus, ad reliquas Lo- gicæ partes necessarius, dignissimus est qui sedulò & diligenter explicetur, quod annuente Deo ex ani- mo præstabimus.

PRÆLVDIVM SECVNDVM.

De obiecto huius libri.

SI sermo sit de obiecto materiali, statuendum est contra Nominales, eiusmodi obiectum non esse nudas voces, sed res ipsas in Categoria comprehensas; ita communiter Philosophi, vna voce affirmantes voces per se nullius scientiæ obiectum esse posse, sed tantùm *per accidens*, quatenus rebus exprimendis inseruiunt.

Si verò agatur de obiecto formali, asserendum est illud esse res Categoricas, non absolutè sumptas, sed quatenus conferunt ad conficiendos differendi modos.

Probatur: eo modo res in Logica tractari debent, quo modo iuuant ad ipsum Logicæ finem obtinendum: Atqui ad illum dumtaxat conducunt, prout inseruiunt conficiendis differendi modis, quoniam finis Logicæ est dirigere mentem per eiusmodi differendi modos. vt dictum est: igitur res Categoricæ sub ea ratione formali (quæ eadem est cum obiecto formali) considerantur in Logica, quatenus scilicet inseruiunt conficiendis differendi modis, & in hoc à Metaphysica distinguitur, quæ easdem res Categoricas contemplatur, sed alia ratione, nimirum quatenus entia quædam sunt.

PRAELVDIVM POSTREMVM.

De fine huius libri.

SI agatur de fine proximo, dicendum est, illum esse notitiam rerum quæ in ipsa Categoria continentur: si verò loquamur de remoto cum consti-

uemus, *vt hac rerum Categoricarum notitia differendi modos, definitiones, diuisiones, & argumenta facile possimus conficere*, vt magis infrà agendo de Categoriæ vtilitate confirmabimus.

PRIMA DISPVTATIO.

De Antepredicamento seu rebus antepredicamentariis

SECTIO PRIMA.

De homonymis, & synonymis, analogis, & paronymis, tam secundùm mentem Aristotelis quàm ex rei veritate.

QVÆSTIO PRIMA.

De homonymis.

ARTICVLVS PRIMVS.

De nomine, & varia acceptione homonymorum.

HOmonymum dicitur, quod *solum nomen commune habet*, vt magis infra patebit: interdum ſumuntur homonyma pro ſignificantibus, ſeu vt alij loquuntur homonymantibus; interdum pro ſignificatis, ſeu vt dicunt homonymatis.

Homonyma homonymantia ſeu ſignificantia, *sũt ea quæ pluribꝰ ſolo nomine conueniunt*, vt canis, qui cœleſti, terreno, & marino nomine tenus attribuitur.

Homonyma verò ſignificata, ſeu homonymata ea dicuntur, *quæ in aliquo communi nomine conueniunt*: vt prædicti canes cæleſtes, terrenus, & marinus, qui in ſolo nomine canis conueniunt.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De existentia homonymorum.

COmmunis homonymorum vſus (& vtinam non ita frequens) eorum exiſtentiam ſufficienter confirmat. Quotuplicia ſint, breuiter declarandum eſt.

Itaquè homonyma alia dicuntur, *à caſu, ſeu fortuna, alia verò à conſilio.*

Homonyma à caſu dicuntur, *quæ præter intentionem, fortuitò eueniunt,* vt quod puer aliquis Lutetiæ donetur nomine *de Marcilly*, & alius pariter Romę eodem nomine vocitetur.

Homonyma verò à conſilio ſunt, *quæ habent conuenientiam in aliquo nomine ex intentione imponentis*: Quod duobus modis contingit, primo ratione *alicuius ſimilitudinis*, quæ in ipſis rebus ſignificatis, ſeu homonymatis cernitur, propter quam fit vt eodem nomine donentur, quo modo ſe habent homo viuus & pictus, quia ambo hominis nomine donantur propter ſimilitudinem ſaltem exteriorem quæ inter vtrumque intercedit.

2. Verùm homonyma dicũtur à conſilio abſq; vllo fundamento, vel ſimilitudine, quando nimirum aliquod nomẽ alicui imponitur ex mero imponẽtis beneplacito, in quo nomine cũ alijs conuenit, licet interim nulla ſit inter eos ſimilitudo: & hoc fit pluribus de cauſis: primò ſpe, vt ſi quis filium ſuum Ariſtotelem nominaret, hac ſpe ductus quòd eius doctrinam aſſequeretur, tandẽque perfectus euaderet Philoſophus: vel memoria, vt ſi quis filium ſuum Ioannem appellaret in memoriam aui ſui, qui tali erat nominę donatus, vel aliquâ aliâ ſimili cauſâ.

Queres vnde-nam orta sint eiusmodi homonyma.

Breuiter respondeo, orta esse ex vocabulorum penuria, quod scilicet plures extiterint res suis nominibus designandæ, quàm nomina ipsa, cum nominum numerus sit certus & definitus, at rerum propemodum infinita multitudo: hinc enim factum est, vt eodem nomine res multæ significatæ sint, v. g. animal terrenum, marinum, & cœleste sidus, nomine *canis*, vt iam diximus, è contrario verò cum aliquando multa nomina suppetant, fit vt rem eandem pluribus nominibus significemus; v. g. rem illam, quæ communi nomine vocatur ensis, nomine ensis, gladij, & similibus & hæc dicuntur, πλυώνυμα, seu multiuoca, homonyminis opposita.

ARTICVLVS TERTIVS.

De essentia Homonymorum.

HOmonyma sic ab Arist. definiũtur intio suorum Anteprædicamentorum: ***homonyma sunt, quorum nomen solum commune est, ratio vero substantiæ, nomini respõdens seu accommodats omnino diuersa.***

Dicitur primò, ***quorum nomẽ solum commune est***, ad distinctionem synonymorum, quorum nomẽ commune est, & natura quoque ipsa.

Additur maioris explicationis gratia, ***ratio verò, substantiæ nomini accommodata omnino diuersa***, circa quæ verba nonnulla notanda sunt: primum per rationem Aristotelem intelligere definitionem, quæ cum sit ratio aperiendi naturam rei, optimo iure ratio nuncupatur.

Notandũ 2. nomine substantię intelligi essentiam cuiuscũque rei, siue illa sit substantia, siue accidens.

3. Notandum expreſsè Ariſt. poſuiſſe in hac definitione homonymorum, ***naturam homini reſpondentem, vel per nomen expreſſam***, vt indicaret ea ſolum homonymè cõuenire, quæ non habent eandem naturam ſignificatam nomine gradus ſuperioris; in quo dicuntur conuenire, licet interim in aliquo alio gradu poſſint ſynonymè conuenire, vt ſe habent ***Taurus ſidus, Taurus mons, & Taurus animal***, quibus corporis gradus eſt ſynonymè communis, quanquam æquiuocè tantum in ratione Tauri inter ſe conueniant.

Ex his omnibus hæc colligi poteſt homonymorum definitio, ***homonyma ſunt quorum nomen commune eſt, definitio verò ſeu ratio eſſentiæ per nomen commune expreſſa omnino diuerſa.***

Obiicies, ſi æquiuoca habeant idem nomen: ergo ſunt vniuoca, ſeu vnius vocis.

Diſtinguo conſequens, æquiuoca erunt vniuoca, ſi vniuocum ſumatur, quod habet vnum commune nomen, concedo, ſi quod habet vnam cum nomine naturam, nego: & eo ſenſu ſumuntur vniuoca ab Ariſtot. vt diſtincta ab æquiuocis.

Rurſus obiicies, ſi diuerſa ſit natura æquiuocorum: ergo eadem definitione explicari non poſſunt, diuerſarum enim rerum non eſt eadem definitio, ſed diuerſa; ergo male Ariſtoteles vnicam æquiuocorum definitionem tradidit.

Diſtinguo conſequutionem antecedentis, ſi diuerſa ſit æquiuocorum natura, eadem definitione definiri non poſſunt ſecundùm ſuas naturas, ita vt ſcilicet diuerſæ earum naturæ, & eſſentiæ, tali definitione explicentur, concedo, quia reuera eadem definitione exprimere non poſſumus naturas canis terreſtris, cæleſtis, & marini, cùm illæ admodum di-

uerſæ ſint: quatenus verò ſunt æquiuoca, ſeu ratione æquiuocationis in qua conueniunt, nego: quo ſenſu Ariſtoteles vnicam tradidit homonymorum definitionem.

Quæres primò quænam æquiuoca, ſeu homonyma fuerint ab Ariſtot. dfinita, an æquiuocantia, an verò æquiuocata.

Reſpondeo eſſe æquiuoca æquiuocata, faciléque probo: ea æquiuoca definiuntur ab Ariſtot. quæ in communi aliquo nomine conueniunt, & differunt in natura tali nomine explicata: atqui ſola æquiuoca æquiuocata ſunt eiuſmodi, non æquiuocantia ſunt id in quo conueniunt, vt ex dictis ſatis intelligitur: ergo æquiuoca æquiuocata fuerunt ab Ariſtot. definita.

Quæres 2. vtrum illa æquiuoca æquiuocata definita fuerint, quatenus ſunt tantùm voces, an vero, quatenus ſunt res.

Reſpondeo definiri quatenus ſunt res quædam vocibus expreſſæ, & non tantùm quatenus voces.

Ratio eſt in promptu, æquiuoca æquiuocata hac definitione eodem modo definiuntur, quo dicũtur, idem nomen, & eãdem naturam tali nomine declaratam obtinere: atqui id tantùm illis conuenit quatenus ſunt res, nõ autẽ quatenus voces: ergo definiũtur. quatenus ſunt res, & non quatenus meræ voces.

Minor probatur exemplo, Taurus animal, Taurus ſidus, & Taurus mons, catenus habent idem nomen, & diuerſam naturam, quatenus diuerſæ naturę, nempe natura Tauri animalis, Tauri ſideris, & Tauri montis eodem nomine Tauri donantur: ergo tantùm æquiuoca æquiuocata dicuntur habere nomen commune, & naturam diuerſam, quatenus ſunt res, non quatenus puræ voces.

ARTICVLVS QVARTVS.

De affectionibus Æquiuocorum.

PRima est quòd tollant contradictionem. Si talis sunt naturæ, vt possint absque contradictione simul recipere affirmationem, & negationem: sic possimus de cane simul affirmare, quod sit latrabilis, & negare absque vlla contradictione, vtraque.n. propositio vera est, *canis non est latrabilis*, nimirum cœlestis, vel marinus, *canis est latrabilis*, videlicet domesticus.

Secunda affectio est, quòd homonyma sint priùs distinguenda, quàm definienda secundùm naturam suam.

Ratio est aperta, quia cùm homonyma significent diuersas naturas, priusquam detur definitio, quænam natura definienda suscipiatur, assignandum est, quod per distinctionem efficitur.

Postrema affectio est, quod homonyma aliquo respectu synonyma dici possint.

Declaratur exemplo, Taurus est homonymum respectu Tauri cœlestis, Tauri montis, & Tauri animalis: si vero sumatur præcisè quatenus duntaxat communis est Tauris animalibus in particulari, haud dubiè perfectam naturam synonymi obtinebit, quia eis non secundùm solum nomen, sed etiam secundum naturam nomine designatam conuenit. Quilibet enim Taurus animal, & dicitur Taurus, & habet naturam Tauri animalis, quod tantum postulant synonyma.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Synonymis.

QVoniam non multa occurrunt de ſynonymis dicenda, ideo hac indiuiſa quæſtione commodè comprehendentur.

Synonymum ex vi vocabuli dicitur, quod vnà cum nomine habet naturam communem, vt ſuprà indicauimus.

Duplex ſynonymum, alterum *eſſentiale,* alterum *accidentale*: eſſentiale, quod conuenit ſecundùm nomen, & naturam, à ſuis inferioribus eſſentialiter participatam, vt animal reſpectu hominis, & bruti quibus eſſentialiter communicatur.

Accidentale verò eſt illud, quod conuenit ſecundum nomen, & naturam, ſed accidentariò tantum participatam, vt proprium, verbi gratia riſibile comparatione hominis, & accidens commune, verbi gratia album reſpectu parietis, quia riſibile conuenit quidem homini ſecundum naturam, ſed accidentariò participatam, idem de albo reſpectu parietis dici debet.

Definitio ſynonymorum hæc traditur ab Ariſtotele in ipſo primo cap. ſuorum Antep. *ſynonyma ſunt quorum nomen idem eſt, & ratio eſſentialis nomini reſpondens planè eadem,* vt homo & brutum, quibus conuenit idem nomen animalis, & in quibus natura tali nomine deſignata pariter includitur. Circa hanc definitionem.

Notandum primò (vt ſuprà de homonymis diximus) hoc loco tantùm definiri ſynonyma ſignificata, ſeu ſynonymata, quæ ſcilicet in aliquo cõmuni nomine, & natura conueniunt, hoc enim fert allata

definitio: non verò significantia, quæ dicunt nomen commune multis, & secundùm illud naturam aliquam æqualiter ab ipsis participatam, vt intelligitur exẽplis appositis de animali, risibili albo, &c.

Notandum secundò, non definiri nudas voces, sed res & naturas, quatenus in aliquo communi nomine, & naturâ eodem nomine designatâ, conueniunt: par n. est ratio ac de homonymis, quæ sic fuerunt ab Arist. definita, vt probauimus.

Notandum tertiò, expresse Aristot. posuisse in hac definitione, *& essentia nomini respondens est eadem*: fieri enim potest, vt aliqua inter se synonymè conueniant, v. g. homo & brutum quanquam diuersas habeant naturas, nam alia est natura bruti, alia hominis, quæ nihilominus sunt synonyma: ideo tantum, quia non habent diuersam essentiam animalis, in quo dicuntur synonymè conuenire.

Cęterùm cùm synonyma sint homonymis opposita, habent proprietates omnino oppositas, quæ proinde facilè intelliguntur ex ipsis homonymorum affectionibus, suprà à nobis expositis.

QVAESTIO TERTIA.

De Paronymis.

PAronyma apud Arist. ea sunt, quæ ab vno aliquo appellationem sortiuntur, & solo casu, & terminatione differunt: vt Grammaticus à Grammaticâ, Logicus à Logicâ, fortis à fortitudine, & sic de cæteris.

Diuiditur primo paronymum, seu denominatiuũ, in paronymans, seu significans, & paronymum paronymatum, seu significatum, vt suprà de homo-

nymis, & synonymis diximus.

Paronymum paronymans, est *forma denominans*, vt fortitudo, quæ denominat fortem.

Paronymum verò paronymatum, est *res ipsa quæ denominatur*, vt homo, qui à fortitudine denominatur fortis.

Vnde paronymum tribus modis accipi potest; primo pro significante, & denominante formâ, putà fortitudine. 2. pro re significata, & denominata, putà homine. 3. pro aggregato ex formâ denominante, & re denominatâ, putà fortitudine, & homine, ex quibus consurgit fortis: & hoc propriè dictum paronymum, vt potè quod propriè oritur ab aliquo, & ab eo dedominationem mutuatur, à quo tamen secundùm casum, & terminationem discrepat, vt fortis dicitur à fortitudine, ab eâque appellationem accipit, variumque casum, & variam ab eâ terminationem obtinet.

Rursus paronymum propriè dictum, seu concretum diuiditur *in paronymum substantiale, & accidentale.*

Substantiale dicitur *quod desumitur ab aliqua substantiali forma quæ non se habet ad modum adiacentis alteri, sed rei per se subsistentis,* vt homo qui dicitur ab humanitate, tanquam à formâ substantiali denominante, ipsi tamen homini instar accidentis nequaquam adiacente, sed per se subsistente.

Accidentale vero, quod desumitur ab aliquâ accidentali formâ, *quæ se habet per modum adiacentis* subiecto, vt album, quod desumitur ab albedine, quæ est forma quædam accidentalis ipsi subiecto, v. g. parieti adiacens.

Nec rationem video, cur nonnulli priùs illud paronymum, nempe substantiale, reiiciant, cum ei tota

conueniat paronymorum definitio ab Aristotele tradita, quippe quod ab aliquo deducitur, & ab eo differt casu, & terminatione, vt homo ab humanitate, animal ab animalitate, & sic de cæteris.

Nisi fortè quis dicat, ex mente Aristotelis desiderari ad rationem paronymi, vt forma denominans sit extra essentiam rei quæ denominatur, cum tamen nec humanitas sit extra essentiam hominis, nec animalitas extra essentiam animalis, Sed hoc non videtur posse colligi, ex verbis ipsius Arist. proindeque gratis & absque vllo fundamento fingitur.

Quæres, quomodo humanitas dici possit forma hominis, & animalitas animalis.

Respondeo sumendo nomen formæ latè, pro eo omni, quod rem constituit, & denominat formaliter, quia re vera humanitas est id quod formaliter constituit, & denominat hominem, & animalitas animal: non verò sumendo strictè pro eâ parte incompletâ, quæ cum materia totum compositum constituit, vt est anima rationalis, quæ cum corpore totum hominem componit: quo pacto reuera humanitas & animalitas non sunt formæ, quia humanitas, verbi gratia, non tantū dicit animam, sed totum quod est in homine, in abstracto, seu, vt loquuntur, per modum formæ simplicis.

3. Diuiditur paronymum in tria membra, in paronymum reipsa, seu significatione tantum non voce, paronymum voce, non re, seu significatione, & paronymum re, seu significatione, ac voce simul.

Paronymum re ipsa tantùm, seu significatione, non voce dicitur, ***quando vnum ex alio deducitur ratione significationis, quæ in eo est***, quo pacto virtus & studiosus dicuntur esse paronyma, quia à virtutis significatione desumitur studiosus: dicitur enim studiosus

ſtudioſus, qui virtutem colit, & ea præditus eſt; quanquam tamen in voce non conueniant, cùm alia voce virtus, alia ſtudioſus exprimatur.

Paronymum verò voce, & non ſignificatione illud eſt, *quod deducitur ab aliquo ratione vocis, quamuis ſignificatio ſit diuerſa*, quomodo ſe habet ſtudium, & ſtudioſus, qui à ſtudij voce ſtudioſus dicitur, licet alia ſit ſignificatio ſtudij, alia ſtudioſi, ſtudium enim diligentiam, ſtudioſus verò eum ſignificat, qui colit virtutem, non qui ſolam diligentiam adhibet.

Paronymum denique ſignificatione, & voce ſimul, illud eſt, *quod ab alicuius voce, & ſignificatione deſumitur*, vt ſe habet fortis, & fortitudo, quia fortitudo dat denominationem forti, & fortis à ſignificatione fortitudinis deducitur, fortis enim dicitur qui fortitudine præditus eſt.

Paronyma ſic ab Ariſt. definiuntur, loco citato, paronyma ſunt, *quæ ab vno aliquo deducta variè commutantur, ſeu variam habent terminationem, diuerſoque, modo deſinunt*, atque huius conditionis defectu mulier muſica, ſeu quæ callet muſicam, non dicitur paronymum reſpectu muſicæ, quia eodem modo terminantur ac deſinunt, nimirum in A.

Quæres primò, An paronyma ſignificantia fuerint definita, an verò ſignificata.

Reſpondeo, eſſe ſignificata, probóque, ea paronyma definiuntur ab Ariſtotele, quæ ab aliquo deducta variam ſortiuntur terminationem: atqui id propriè competit paronymis ſignificatis, non autem ſignificantibus, quia hæc ex aliis non deducuntur, ſed ab ipſo priora deriuantur, vt ex dictis ſufficienter percipitur: ergo paronyma ſignificata fuerunt ab Ariſt. definita, non autem ſignificantia.

Quæres ſecundò vtrum hoc loco definiantur præ-

dicta paronyma, quatenus sunt res an quatenus voces.

Respondeo, definiri quatenus sunt res vocibus expressæ.

Probatur: definiuntur hoc loco paronyma ab Aristotele, quatenus ab aliquo appellationem sortiuntur, sed hoc illis conuenit, quatenus sunt res vocibus significatæ, non quatenus voces simpliciter: quia re vera ipsæ res ab aliis deducuntur, ab iisque nomen accipiunt, non verò voces tantum: ergo paronyma hoc loco definiuntur ab Aristot. quatenus sunt res, & non quatenus puræ voces.

Nec vrget quod hîc paronyma definiantur, quatenus casu differunt ab iis à quibus deducuntur, quod vocibus proprium est: si quidem hoc tantùm arguit non res ipsas sine vocibus, sed per voces expressas, & earum ratione, casu, & terminatione differentes, definiri.

Nullæ sunt paronymorum affectiones in quibus explicandis operæ pretium sit immorari, quapropter ad analoga progrediamur.

QVÆSTIO QVARTA.

De Analogis.

QVamuis Aristoteles nullam analogorum mentionem fecerit, quia tamen medium tenent inter homonyma, & synonyma maximique sunt momenti ad absolutam Categoriæ tractationem, idcircò hic nonnulla de illis adiugemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

De nomine & varia acceptione Analogorum.

ANalogum propriè significat proportionem & similitudinem, quæ inter aliqua intercedit.

Generatim loquendo vſurpatur tribus modis, duobus propriè, tertio valdè impropriè & abuſiue.

1. Acceptio propria eſt illa, ſecundùm quàm dicitur Analogum, *quod multis poteſt attribui*, quatenus ad vnum referuntur, vt ſanum attribuitur animali, vrinæ, dietæ, & deambulationi quatenus iſta tria poſteriora *vrina diæta & deambulotio* ad animal referuntur, cuius vel ſignificant, vel efficiunt ſanitatem: & hoc *analogum* dicitur *attributionis*.

2. Acceptio eſt, vt analogum illud dicatur, *quod multa ſignificat propter aliquam proportionem, quam habent inter ſe*: vt ſe habet pes reſpectu pedis hominis, mōtis, & ſcamni, quia tres eiuſmodi pedes pedis nomine donantur, propter aliquam proportionem quam inter ſe ſeruant, vt ſcilicet quemadmodum pes hominis dicitur eſſe pars eius infima ad eum ſuſtinendum ordinata, ita pedes montis, & ſcamni ſūt infimæ eorum partes quibus fulciuntur, & conſiſtunt, & eiuſmodi *analogum* dicitur *proportionis*.

3. Eaque impropria analogorum acceptio eſt illa *qua ſumuntur pro iis quæ quamuis ſecundum nomen, & eſſentiam multis conueniant, exiſtunt tamen perfectiori modo in vno, quàm in aliis*: quia cum nobiliori differentia coniunguntur. Eo ſenſu animal dici poteſt analogum reſpectu hominis & bruti, quia licet ſecundum nomen & eſſentiam ipſis conueniat, nobiliori tamen modo exiſtit in homine, quàm in brutis eo quod cum differentia hominis, quæ dignior eſt brutorum differentiis, coniungatur: & hæc vocatur *analogia inæqualitatis* quā diximus impropriam eſſe & abuſiuam; quia vera ſynonymia eſt, vt videre eſt in exemplo allato, de animali, quod conſtat non propriè analogicè, ſed verè ſynonymè homini & bruto competere, hanc itaque acceptionem

nihil moramur, sed ad propositum regredimur.

2. Igitur vtrúmque analogum tam attributionis, quàm proportionis, bifariam accipitur, primò pro analogo, quod plurib. tribuitur, & multa denominat, & dicitur *analogum analogans*, seu significans, 2. sumitur pro rebus denominatis, quibus analogum analogans tribuitur, & vocatur *analogum analogatum* seu significatum: prioris exemplum sit, sanum, posterioris animal, deambulatio, vrina, &c. quæ sani denominationem accipiunt.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De existentia Analogorum.

Aliqua analoga dari cõstat, superest vt illa suas in species distribuamns, initio ab analogia attributionis sumpto. Quod vt fiat commodius.

Notandum est ipsa analoga attributionis alio nomine vocari analoga *à causa* vel *ab vno, & ad vnum*, eo quòd dicantur ratione vnius ad quod referuntur, quod proinde dicitur illorum causa, sic vrina, potio & deambulatio sunt analoga sanitatis, quia ad vnum referuntur, scilicet animal, quod illarum causa est, & ratio cur sanæ appellentur.

Hinc iuxta quadruplex genus *causæ* materialis, formalis efficientis, & finalis quadruplex statuitur analogum attributionis, scilicet à causa materiali, formali, efficienti, & finali.

Analogum attributionis *à causa materiali* (si tale detur, quod non puto) dicitur esse, cùm multa ad vnum referuntur, tanquam ad suam causam materialem, & subiectum, vt secundùm multos se habent substantia & omnia accidentia, quia hæc ad illam tanquam ad suam causam materialem, & sub-

iectum, in quo recipi debeant referuntur: sed hæc analogia propriè est synonymia, vt probabitur inferius.

Analogum à *causa formali*, est illud quod multis conuenit, quorum vnum, vel plura dicunt ordinem ad aliud, tanquam ad causam formalem, & exemplarem: quo modo homo dicitur analogum respectu hominis viui, & picti, seu adumbrati; quia hic ad illum refertur, tanquam ad exemplar, cuius inspectione, & imitatione prodierit.

A causa efficiente, quod multis tribuitur, quorũ vnum, vel plura ordinantur ad aliud tanquam ad causam efficientem alicuius effectus, eo modo medicatiuum dicitur analogum respectu medici, librorum eius, & instrumentorum, quia tam eius libri quàm instrumenta, ideò medicatiua dicuntur, quia ad ipsum medicum referuntur, qui est illorum causa efficiens, ipsa ad medendum ordinans.

Denique à *causa finali*, quod multa significat, quorum vnum vel plura referuntur ad aliud tanquam ad finem: quo pacto prædictum sanum dicitur analogum respectu animalis, potionis, & deambulationis, quia hæc duo posteriora ad animal referuntur, tanquam ad causam finalem, propter quam instituuntur, vt iam diximus.

Rursus alij diuidunt analogiam attributionis, in analogiam *attributionis intrinsecæ & analogiam attributionis extrinsecæ*.

Analogiam attributionis intrinsecæ, eam vocant, in qua ratio essentialis analogi, per nomen significata, participatur essentialiter & intrinsecè ab omnibus inferioribus analogatis, licet in vno independenter & in aliis dependẽter existat, vt ens, inquiũt, respectu substãtiæ accidentis; quia ratio essentialis

entis, tam in substantia, quàm in accidente, intrinsecè, & essentialiter includitur, licet in substantia independenter, in accidente verò dependenter à substantia existat: sed vt hoc gratis adferunt sine probatione, sic gratis negetur sine timore.

Analogiam verò attributionis extrinsecæ dicunt eam esse, in qua ratio essentialis, per nomen analogi significata, est tantum essentialiter in vno inferiori, in aliis verò dũtaxat extrinsecè, & quatenus ad prius illud referuntur, quod proinde vocari solet præcipuum analogatum vt sanum, quod soli animali *intrinsece & essentialiter* in est, potioni verò, vrinæ, & deambulationi, catenus tantùm quatenus ad ipsum animal referuntur, & ad eius sanitatem ordinantur, vt iam multoties docuimus.

Quod spectat ad analogiam proportionis, duplex illa constitutuitur, ex communi opinione, vna extrinseca & tota metaphorica, atque translatitia, altera intrinseca & essentialis.

Extrinseca, & metaphorica, est ea in qua ratio per nomen designata, reperitur tantum in vno inferiori analogato essentialiter, in aliis verò duntaxat extrinsecè, & per quandam metaphoram, ac translationem, quomodo ridere dicitur analogum, respectu hominis, pratorum, & fortunæ, quia de tribus illis prædicatur, rectéq; dicitur homo ridet, prata rident, & fortuna ridet, tametsi ratio essentialis risus, essentialiter tantùm sit in homine, in aliis verò metaphoricè solùm, & impropriè, seu per quandam proportionem, quod quemadmodum hominis risus, signum est alicuius hilaritatis, in eo existentis, ita pratorum & fortunæ risus, designet aliquam in illis amœnitatem, & iucunditatem.

Intrinseca verò, *seu essentialis*, ea vocatur, in qua

ratio per nomen significata, est essentialiter in omnibus analogatis, vt se habet principium, respectu fontis, vnitatis, & cordis, quia ratio essentialis principij in omnibus illis essentialiter reperitur, & tantum dicuntur analoga, quatenus aliquam inter se proportionem seruant: eodem etiam modo, pes dicitur analogum, respectu pedis hominis, pedis montis, & pedis scamni, nam in illis omnibus vera existit ratio pedis, ita tamen denominantur propter aliquam proportionem quàm habent inter se ad sua substinenda subiecta, vt superius diximus.

Verum, vtrum sit veritas in exemplis allatis, necne hoc loco nolim accuratius expendere: dixerim tamen nullam planè videri admittendam eiusmodi analogiam, in qua ratio essentialis, sit essentialiter in omnibus inferioribus, sed eam esse veram synonymiam, quia nihil aliud postulat synonymum, nisi vt conueniat secundùm nomen, & essentiam nomini respondentem, seu vt ratio eius essentialis essentialiter reperiatur in omnibus inferioribus, vt ex supradictis liquet.

ARTICVLVS TERTIVS.

De essentia Analogorum.

ANalogorum hanc habe definitionem, *Analoga sunt, quorum nomen commune est, ratio verò nomini respondens, partim eadem, partim diuersa.*

Ponitur primò, *nomen commune*, in quo conueniunt analoga cum homonymis, & synonymis, quia tam homonyma quàm synonyma, habent nomen commune, vt apparet ex eorum definitionibus.

Additur, *ratio nomini respondens*, partim eadem

in quo differunt ab homonymis, quæ habent rationem penitus diuersam, vt suo loco demonstratum fuit.

Denique adiicitur, *partim diuersa*, ad distinctionem synonymorum, quæ naturam per nomen significatam, eamdem omnino obtinent, & nullo modo diuersam, vt supra videmus.

Obiicies in analogis, ratio analogi significantis, nomini eius respondens, nullo modo est eadem: ergo male definita fuerunt, quorum nomen commune est, & ratio nomini respondens partim eadem.

Antecedens probatur, ratio per nomen analogi expressa, & ei respondens, secundùm nos, est tantum formaliter & intrinsecè in vno inferiori, in aliis verò extrinsecè, & per quandam relationem ad vnum, si sint analoga attributionis: aut per translationem aliquam, & metaphoram, si sint analoga proportionis, vt constat exemplis propositis: ergo ratio superioris analogi nullo pacto est eadem in omnibus inferioribus analogatis.

Respondeo negando antecedens, ad probationem dico, etsi ratio essentialis analogi sit tantum essentialiter in vno analogato, in aliis solùm extrinsecè, & per ordinem ad illud, ipsa tamen analogata dici habere partim eamdem naturam, quatenus saltem ab eadem forma, in vno essentialiter existente denominantur, vt potio, deambulatio, vrina & animal ab eadem sanitate, in ipso solo animali essentialiter residente, ad distinctionem purè æquiuocorum, quæ nec eandem habent naturam, nec ab eadem natura in vno eorum essentialiter existente, denominantur, vt patet exemplis adductis, verbi gratia, de cane cælesti, terrestri, & marino, qui nec eamdem canis naturam participant, nec ab eadem ratione canis, in

vno eorum essentialiter existente denominantur.

Instabis, ratio essentialis analogi non potest partiri, seu esse per partes in inferioribus analogatis: ergo non potest decipi partim eadem, & partim diuersa.

Distinguo antecedens, ratio essentialis analogi non potest partiri ***partitione formæ, & naturæ***, quasi formæ & naturæ analogi pars aliqua sit in vno inferiori analogato, & alia pars in alio, quia generatim rerum essentiæ sunt instar numerorum, indiuisibiles, ex prædictis, concedo: ***partitione*** verò quæ fiat ***ratione denominationis ab eadem forma***, id est, ita vt propter formam in analogatis diuersam, diuersa dicatur natura, & propter denominationem ab eadem forma, nego: sic enim animal, potio, vrina partim diuersam sanitatis naturam, & partim eamdem obtinet: diuersam quidem realiter, quia realiter in ipsis omnibus diuersæ sunt rationes sanitatis, eamdem tamen secundùm quid, propter denominationem ab eadem animalis sanitate, vt statim dicebamus.

Quæres an hîc definiantur analoga analogantia, an verò analogata.

Respondeo definiri analogata, cuius quidem responsionis hæc breuis ratio assignatur, quòd ea hîc definiantur analoga, quæ conueniunt in nomine & natura, partim eadem, & partim diuersa, quod tantùm conuenit analogis analogatis, non verò analogantibus, in quibus scilicet conueniunt ipsa analoga analogata, quod totum intelligi potest ex dictis supra de homonymis, synonymis, & paronymis, quia par debet esse ratio de analogis.

ARTICVLVS QVARTVS.

De affectionibus Analogorum.

GEneratim analogis attribuitur, quòd non possint definiri, nisi prius distincta fuerint: cuius ratio eadem est cum ea quam de homonymis supra attulimus, quod scilicet non significent naturā aliquam vnam multis communem, sed varias, vt risus in communi, risum hominis, prati, & fortunæ; sanitas, sanitatem animalis, vrinæ, & deambulationis; definitio autem vnius tantùm rei esse debeat.

Peculiariter verò analogis attributionis conceditur, quod habeant præcipuum analogatum, ad quod cætera ræuocentur, & ordinem dicant: sic inter analogata sani, datur animal sanum, ad quod cætera, quæ sana dicuntur, referri debent, nimirum deambulatio sana, diæta sana, & sic de aliis.

Rursus iisdem analogis alia tribuitur proprietas, quòd si minùs præcipua analogata definienda susceperis, in eorum definitione, magis præcipuum adhibere debeas, sicqui vult vrinam sanam definire, debet animalis (quod est præcipuum sani analogatum) mentionem facere, non enim alia de causa dicitur vrina sana, quàm quia est signum sanitatis in animali existentis: par esto iudicium de cæteris sani analogatis.

SECTIO SECVNDA.

De diuisione eorum quæ sunt in aliis, & de aliis prædicantur.

VT secernat Aristoteles, ea quæ in Categor a locum habent, ab iis quæ sunt extra Categc -

riam, omniáque entia categorica designet, duplicem cap.2.tradit diuisionem,eorum quæ sunt in aliquo, vel de aliquo prædicantur.

Prima est,*in complexa, & incomplexa.*

Complexa sunt, quæ multis conflata vocabulis, non eandem, sed diuersam naturam significant, vt homo currit,hæc enim vox complexa,hominem simul,&eius cursum significat,

Incomplexa verò sunt, quæ vno conflata vocabulo, vnam tantùm naturam designant, vt homo, leo, &c.

Secunda diuisio, quæ paulò obscurior est, traditur ab eodem, per esse in subiecto, & prædicari de subiecto.

Quædam,inquit, de subiecto dicuntur (intelligit attributionis,&inferiori)in nullo autem sunt subiecto (supple inhæsionis, more accidentium) adfert exemplum de homine,qui quidem dicitur,seu prædicatur de aliquo particulari homine,putà de Petro nulli tamen subiecto inhæret, cùm inhærere sit solius accidentis.

Alia verò (pergit ipse Aristoteles) in subiecto quidem sunt (nimirum inhæsionis) de nullo verò subiecto dicuntur (intellige de subiecto attributionis) vt accidentia particularia, quæ ideò dicuntur esse in subiecto inhæsionis, quod sint in substantiis, hic color in pariete, hæc Dialecticain intellectuali anima, de nullo vero subiecto attributionis prædicari,quod sint singularia& indiuidua, ac proinde nulla habeant inferiora, de quibus prædicentur, & quibus attribuantur.

Tertio addit quædam in subiecto esse (nempe inhæsionis) & simul de sebiecto prædicari, putà attributionis(vt sunt accidentia in cõmuni,v.g.scien-

tia, quæ (inquit) est in subiecto inhæsionis, scilicet anima, & prædicatur de subiecto attributionis, nimirum grammatica, cùm dicitur, grammatica est scientia.

Vbi notandum exemplum Aristotelis non esse accuratum, nec ipsum Aristotelē propriè accepisse nomen scientiæ, sed impropriè, quatenus dicit tantùm cognitionem, quæcúmque tandem illa sit, non quatenus significat certam rei cognitionem per propriam causam, hoc enim posteriori modo cōstat inter omnes, Grammaticam non esse scientiam.

Tandem habet quædam nec esse in subiecto (scilicet inhæsionis) nec prædicari de subiecto (nimirum attributionis) vt sunt indiuidua substātiarum, verbi gratia, Petrus, qui in nullo est subiecto inhæsionis, quoniam non est accidens, neque attributionis, quia nulla habet sub se inferiora, quibus attribui possit, vt ex se patet.

Porrò aliis verbis, & certé facilioribus posset reddi hæc diuisio, *in substantiam vniuersalem, quam dicit prædicari de subiecto attributionis*, & in nullo subiecto inhæsionis esse, *in accidens vniuersale*, quod ait in subiecto inhæsionis esse, & de subiecto attributionis prædicari: *in substntiam singularem*, quam docet nec esse in subiecto inhæsionis, nec de subiecto attributionis prædicari, *& in singulare accidens*, quod vult esse in subiecto inhæsionis, de nullo tamē attributionis subiecto prædicari, quæ omnia exemplis appositis sufficienter illustrauimus.

Cæterum quia tota difficultas huius Aristotelicæ diuisionis pendet ex ambiguitate huius vocabuli, *subiectum*, an pro subiecto attributionis, an verò inhæsionis vsurpari debeat, ideò hanc regulam accipite, *tūc subiectum accipi ab Aristotele pro subiecto at-*

tributionis:cum ipsi particula illa, de proponitur, vt cum aliquid prædicari, vel nō *prædicari de subiecto* dicit: tunc verò accipi pro subiecto inhęsionis, cùm *particula, in*, ei anteponitur, vt cùm dicit aliquid esse, vel non esse in subiecto. Hæc de ante prædicamento.

SECVNDA DISPVTATIO.

De ipsa Categoria.

SECTIO PRIMA.

De ea generatim.

QVÆSTIO PRIMA.

De nomine, & varia acceptione Categoriæ.

CAtegoriæ nomen, vt in Compendio diximus, à foro ad schôlas Philosophorum traductum est, in foro significat accusationem illam, quæ apud iudices instituebatur, in scholis verò Philosophorū significat, *seriem superiorum, & inferiorum sub genere supremo*, ita vt sit velut quædam accusatio, quando vnum de alio prædicatur, nam sicut cùm dicimus, Iudas est fur, ipsum Iudam furti accusamus, sic cum dicimus homo est animal, videmur hominem animalitatis accusare.

Prætermissis inutilibus acceptionibus, generatim Categoria bifariam sumitur, primo materialiter, pro rebus ipsis quæ constituuntur in Categoriâ, siue substantiæ sint, siue accidentia: 2. formaliter, pro serie & ordinatione eorum omnium, generum scilicet, specierum & indiuiduorum, sub genere supremo, ita vt superiora in superiori loco, & inferiora inferiori constituantur.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Categoriæ existentia.

ARTICVLVS PRIMVS.

An detur Categoria.

Respondetur affirmatiuè, probóque primò cõmuni Philosophorum consensu qui post Aristotelem de Categoria certatim multa, & præclara tradiderunt.

Probatur secundò ex summa vtilitate, quam rerũ categoricarum intelligentia parit, ad definitionis, diuisionis, & argumentationis leges commodissimè tradendas vt inductione ostendere facile est: nam imprimis definitio saltem accuratissima specierum, postulat fieri ex immediato genere, & propria differentia, vt definitio hominis. v. g. ex animali & rationali, ipsa autem Categoria est quæ tradit varia genera, species & differentias: docetque quodnam sit genus immediatum, & quod mediatum, quæ propriæ differentiæ, & quæ impropriæ, vt progressu constabit: proindéque ad leges definitionis tradendas & intelligendas non potest non esse vtilissima Categoriæ notitia.

Vtilem quoque esse ad diuisionem, sine labore demonstratur: diuisio fieri debet, generis in species immediatas, vt animalis, in hominem & brutum, superioris, in inferiora, sunt enim hæ leges bonæ diuisionis: ergo hæc Categoriæ cognitio, quæ ex dictis tradit genera, & species, docetque quod sit immediatum genus, & quæ species immediatæ, quod superius, & quod inferius, erit diuisioni conficiendæ accommodatissima.

Denique argumentationi conuenientissimam esse Categoriæ notitiam, leui opera euincitur: argumentatio conflatur ex simplicibus terminis, tanquam ex materia remota: & ex propositionibus, tanquam ex propinqua, vt magis infrà patebit: ergo cognitio simplicium terminorum, quæ in Categoria obtinetur, percommoda ad argumentationem, proindéque & ipsa Categoria.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De numero Categoriarum, si quis sit, vbi de synonymia entis, respectu Dei, & creaturarum, substantiæ & accidentis.

TOt sunt, & tam variæ de numero Categoriarum Philosophorum sententiæ, vt ferè dixerim hunc vnum esse inter eos consensum, nihil inter se cõsentire. Atque vt res tota magis pateat, placet infinitis propemodum leuioris momẽti opinionibus prætermissis aliquot grauiorũ Philosophorũ de quæstione proposita, placita proponere. Et quia facem cæteris præfert Aristoteles, ideo primo loco eius sententiam proponèmus, & examinabimus.

Sanè si veritati stare velimus, fatendum est Aristotelis mentem, de prædicto Categoriarum numero esse eam quam vulgaris Philosophorum turba assequitur, & sine vlla maiori disquisitione, duntaxat, quia est Aristotelis neglectis rationum momẽtis ad contrarium statuendum inducentibus, sequitur, nimirum decem esse Categorias, iuxta decem suprema genera, *substantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, actionem, passionem, vbi, quãdo, sitũ esse, & habere.*

Hunc autem numerum asserit, & colligit Aristo-

teles,tum alibi,tum expresſè, capite quarto ſuorum ante prædicamentorum ex varia rerum ſignificatione,quædam,inquit, (ſupple, entia Categorica , & incomplexa) ſignificant ſubſtantiam , vt homo, quædam quantitatem , vt cubitum, vel bicubitum, quędam qualitatem,vt album,quædam relationem, vt duplum,dimidium, quædam actionem,vt ſecare, quædam paſſionem,vt ſecari , quædam quando, vt heri, cras, quædam vbi, vt eſſe in foro, vel vrbe, quædam ſitum eſſe , vt ſedere,ſtare, quædam denique habitum eſſe, vt eſſe togatum, vel armatum. Ex quibus,nec contra Ariſtotelis ſententiam,decem ſuas Categorias, non tam veritatis, quàm Ariſtotelis diſcipuli, ſumunt, primam ſubſtantiæ, reliquas nouem,accidentium,quantitatis,qualitatis, & aliorum, ita vt omnes ſubſtantiæ, ad ſubſtantiam, tanquam ad genus ſupremum, omnes qualitates , ad qualitatem, vt ad aliud ſupremum genus, & ita de aliis,reuocari debeant.

Colligunt etiam alij hunc denarium Categoriarum numerum, ex decem variis interrogationibus, quæ de aliqua ſubſtantia fieri poſſunt,vt quid ſit, & tunc habetur Categoria ſubſtantiæ,quanta ſit, & eſt prædicamentum quantitatis,ad quid ſit, ſeu ad quid refertur, & eſt relatio, qualis ſit, & eſt qualitas,quid agat,& eſt actio, quid patiatur, & eſt paſſio, quando fuerit, & deſignatur tempus vbi ſit & ſignificatur vbi,quomodo ſita ſit, & eſt ſitus, vel denique quomodo veſte circumpoſita,& eſt prædicamentum habitus,vt eſſe togatum, vel palliatum.

Alij denique alio modo : quidquid eſt, aut eſt ſubſtantia, aut in ſubſtantia : ſi ſubſtantia ; iam prima habetur Categoria, nimirum ſubſtantiæ : ſi ſit in ſubſtantia,vel eam extendit, & eſt quantitas, vel ad

aliud

aliud refert, vt paternitas patrem ad filium, & est relatio, vel qualem denominat, vt scientia scientem, & est qualitas, vel ex ea manat, vt calefactio ab igne, quem denominat agentem, & est actio, vel in eâ recipitur, vt eadem calefactio ignis in ligno, quod denominat patiens, & est passio, vel ponit in tempore, vt cras, heri, & est tempus, vel in loco certo, & definito ita vt alibi esse non possit, & est vbi, vel ita constituit in loco, vt disponat eius partes secũdum partes loci, vt scilicet superior pars sit in superiori loco, infima in infimo & sic de reliquis, & est situs, vel denique eam exterius circumponit, vt esse togatum, & est prædicamentum habitus.

Verùm, hæc & omnia similia quæ afferuntur pro hoc denario Categoriarum numero, parum vrgent, ostendunt enim tantum dari substantiam, quantitatem, qualitatem, & cætera accidentia supradicta, sed non probant esse suprema genera, & distinctas constituere Categorias, in quo difficultas tantùm posita est.

Quapropter, erroris præteriti pœnitentia ducti, crescente ætate, & industria, decreuit apud nos numerus Categoriarum, & ad binarium contractus est, ad substantiam scilicet & accidens, omnibus substantiis sub substantiâ, tanquam sub genere supremo, & omnibus accidentibus, sub accidenti vt altero supremo genere, collocatis: quæ potest numerari 2. de quæstione propositâ, sententia.

Serò sapiunt Phryges, vt commune habet adagium, serò philosophamur, & veritatem ipsam, Philosophorum contentione, tanquam velo obtectam, detegimus, asserimusque, nullum esse Categoriarum numerum, sed vnam tantum dari Categoriam, nimirum ens creatum, completũ, ad quod

tanquam ad genus ſupremum, omnes ſubſtantiæ,& accidentia reuocentur.

Porrò,quia hanc noſtram ſententiam,propter duo potiſſimum, alij oppugnant, & quod faciat ens, reſpectu ſubſtantiæ,& accidẽtis,ſynonymum, & quod eodem reſpectu illud genus cõſtituat,nos eam, contra geminos illos aduerſariorum impetus, firmabimus; & quoniam valdè affinis eſt quæſtio de ſynonymiâ entis creati,completi,comparatione ſubſtantiæ,& accidentium, generalius ſermonem extendemus ad ens commune tam Deo, & creaturis, quàm ſubſtantiæ,& accidenti. Sit itaque

Prima propoſitio.

ENs eſt verè, & propriè ſynonymum, reſpectu Dei & creaturarum,ſubſtantiæ & accidentis; ita Scotus in 2.ſententiarum diſt.3.quæſt.1. & 3. & omnes eius diſcipuli, contra Diuum Thomam 1. parte quæſt.13.art.5.& quæſt.7.de potentia art.7. Caietanum, Ferrarienſem iiſdem locis, & omnes fere iuniores Philoſophos.

Probatur autem hæc propoſitio vnicâ ratione, ſed firmiſſima, in quâ omnia aduerſariorum propugnacula conuulſa, & funditus euerſa iacebunt: ens reſpectu Dei & creaturarum, ſubſtantiæ & accidentis,habet ea omnia, quæ ad perfectam rationem ſynonymi exiguntur:ergo reſpectu eorum eſt verè, & propriè ſynonymum.

Probatur antecedens, ad rationem ſynonymi hæc tãtum duo requiruntur, alterum vt nomen ſit commune, alterum vt ratio eſsẽtialis per nomen expreſſa, ſit quoque communis, atqui hæc duo reperiuntur in ente comparatione Dei, & creaturarum, ſubſtantiæ, & accidentis: ergo illorum reſpectu, non

potest non esse synonymum.

Probatur minor, imprimis certum est, nomen entis esse commune Deo & creaturis, substantiæ, & accidenti, quia vocantur entia : quòd verò ratio tali nomine significata conueniat, hunc in modum euincitur: ratio entis significata nomine entis, in eo consistit vt sit aliquid reale, distinctum à nihilo, & independens ab omni cogitatione intellectus, vt concedunt omnes: atqui talis ratio conuenit tam Deo quàm creaturis, tam substantiæ quàm accidenti, quia vera sint, & realia entia, & vt sint, nullo pacto dependent à cogitatione intellectus: ergo ratio entis ipso eius nomine significata, conuenit tam Deo, quàm creaturis, tam substantiæ, quàm accidenti; proindéque illorum respectu est synonymum.

Respondent Thomistæ negando antecedens, & ad eius probationem dicunt, ad perfectam synonymiam non sufficere, vt nomen gradus superioris, conueniat inferioribus, itémque ratio essentialis, aliquo pacto, sed oportere, rationem eiusmodi nomini respondentem omninò æqualiter competere omnibus inferioribus, ens autem non eo modo conuenire Deo & creaturis, substantiæ & accidenti, quia nobiliori modo est in substantiâ, quàm in accidente, nobiliori modo in Deo quàm in creaturis, imò & magis, propterea quod substantia magis est ens, quam accidens, Deus magis ens, quam creatura.

Sed contra, entis essentia omninò est æqualiter in omnibus inferioribus substãtiâ, accidente, Deo & creaturis: ergo responsio nulla, probatur antecedens; illud est æqualiter in omnib. inferiorib. quod nihil habet magis in vno, quàm in aliis: atqui ens,

nihil magis habet in vno inferiori, quàm in aliis, in substantiâ, quàm in accidente, in Deo, quàm in creaturis: ergo in illis est omnino æqualiter.

Rursus probatur minor, quod dicit vnum gradum indiuisibilem, & non ex multis gradibus compositum, nihil magis habet in vno eorum, in quibus est, quàm in aliis, sed totum est vbicumque, quia indiuisibile, vt indiuisibile, magis vel minus esse repugnat: atqui ens dicit vnum gradum indiuisibilem in se, & non ex multis gradibus compositum, aliâs deberet assignari aliquis gradus superior ente, quo simul cum alio inferiori componeretur sicut in homine, qui dicit essentiam ex multis gradibus compositam, & non omnino indiuisibilem, datur aliquis gradus, ipso homine superior, nempè gradus animalis, ex quo simul cum aliquo inferiori, nimirum rationali, componitur: quod tamen fieri non potest, cum nullus sit gradus superior ente, quo ipsum ens componi queat, illud enim necessariò deberet esse ens, proindéque sub ente comprehendetur, & non erit ipso ente superius, sicut quoduis animal comprehenditur sub animali, & non est ipso animali superius: ergo ens nihil magis habet in vno inferiori quàm in alio, in substantia, quàm in accidente, in Deo quam in creaturis, ac proinde illis conuenit æqualiter, & synonymè, vnde negandum est substantiam esse magis ens, quàm accidens, Deum magis quàm creaturas ob rationem illatam, quamuis dici possit substantia nobilius ens quàm accidens, Deus quàm creatura: sicut homo non dicitur magis animal, quàm brutum, sed tantum nobilius.

Iterum respondent Thomistæ, enti deesse vnam ex præcipuis conditionibus synonymorum, vt sci-

licet conueniat suis inferioribus absque vllo ordine, & dependentiâ vnius ab altero. sicut animal cõuenit homini, & bruto, absque dependentiâ vnius ab alio. Talem verò deesse conditionem ostendũt: accidens non est ens nisi per ordinem ad substantiam, & dependenter ab illa, quia non potest saltem naturaliter extra illam reperiri, imo nec definiri; dicitur enim entis ens, id est, ens inhærens substantiæ: item creatura essentialiter pendet à Deo creatore, nec potest sine ordine ad illum intelligi: ergo ens non conuenit inferioribus suis, substantiæ scilicet, & accidenti, Deo & creaturis, absque vllo ordine vel dependentia vnius ab altero, nec consequenter synonymè.

Verum cõtra talis conditio, ad synonymiam non requiritur, vt scilicet gradus cõmunis synonymus, conueniat inferioribus absque vllo ordine, & dependentia vnius ab altero, vt falso asserunt aduersarij: ergo licet ens conueniat substantiæ, & accidenti, Deo & creaturis, cum tali ordine, vt scilicet accidens dicat ordinem ad substantiam, & ab ea dependeat, creatura ordinetur ad Deum creatorem, & ab eo ipso dependeat, illis tamen non desinit synonymè conuenire.

Antecedens demonstratur, quilibet habitus dependet à facultate naturali, in quâ insidet, ad illãque ordinatur, habitus intellectus, vt pote scientia, ad intellectum, habitus voluntatis, vt fortitudo, ad voluntatem: atqui facultati & habitibus qualitas non desinit synonymè conuenire, ex doctrina omnium Philosophorum, sicut infrà docebimus: ergo ad rationem synonymi non requiritur, vt gradus synonymus conueniat suis inferioribus, absque vllo ordine vel dependentiâ vnius ab altero.

Atque ex his facilè ruunt omnia Thomistarum propugnacula, rationésque omnes, quibus illorum opinio innititur, quæ aliæ non sunt ab his rationibus quas contra nostram ratiocinationem, pro ipsis Thomistis attulimus.

Rursus tamen obiicies, si ens respectu Dei & creaturarum sit synonymum, eorum respectu debebit esse genus: atqui genus esse non potest, alioqui Deus esset ex genere & differentia compositus, contra expressam Theologorum sententiam: ergo ens non est synonymum respectu Dei & creaturarum.

Probatur maior, si ens sit synonymum respectu Dei & creaturarum, debebit esse aliquod vniuersale: at nullum nisi genus, vt inductione facta patebit: ergo si ens sit synonymum, respectu Dei & creaturarum, eorum respectu debebit esse genus.

Respondeo, negando consequutionem maioris, & maiorem probationis: fieri enim potest, vt aliquid sit synonymum, quod tamen nullum erit ex præfatis octo vniuersalibus, vt in disputatione de vniuersalibus in communi ostédimus, exemplo personæ diuinæ quæ synonymè cõuenit tribus personis, Patris, Filij, & Spiritus sancti, nec tamen est earũ genus, aut vllum ex aliis vniuersalibus, specie, differentiis, propriis & accidentibus, imò secundùm aduersarios ens est synonymum respectu substantiæ creatæ spiritualis, & corporeæ, quia inter illas nulla est inæqualitas in ratione entis, nulla dependentia, ob quam potissimum reiiciunt synonymiam entis, respectu Dei & creaturarum, nec tamen genus est, quia inquiunt includitur in earum differentiis, corporeitate scilicet & spiritalitate, cũ ipsæ entia sint, proindéque patet aliquid posse esse synonymum,

quod tamen nec genus erit, nec aliquod aliud vniuersale.

Si ratio quæratur, cur ens quod Dei & creaturarum respectu est synonymum, eiusdem respectu, non sit genus aut aliquod aliud ex vniuersalibus.

Respondeo, rationem esse, quia genus, vt aliud, quodlibet vniuersale, debet distingui ex natura rei à suis inferioribus, vel subiectis, vt patebit inductione facta per omnia vniuersalia: at verò ens commune Deo, & creaturis, non potest distingui ex natura rei, à Deo, sed ratione tantum, quia nihil est in Deo realiter, formaliter, & ex natura rei, quod non sit Deus, proindéque quod sit à Deo distinctum, vt probant ex professo Theologi prima parte.

Si speciatim quæratur ratio cur non sit genus, facillimè assignabitur, quod nullum genus includi debeat in suis differentiis, vt sectione de genere probauimus, ens autem includatur in eâ, quæ poni posset, Dei differentia, scilicet infinitate, cum ipsa sit ens, non tantum incompletum, vt propriæ differentiæ, sed complecum, & perfectum, non minus quàm Deus ipse.

Secunda propositio.

SI sumatur ens creatum reale, prout commune est enti completo, & incompleto, sic diuiditur in ens completum, seu perfectum, quod non est pars, & incompletum, sic imperfectum, quod est tantum pars, licet sit synonymum, non tamen genus dici potest.

Synonymum esse superior propositio probauit, quia generatim ostendit ens commune Deo & rebus omnibus creatis, substantiis & accidentibus, esse synonymum.

Non esse verò genus, breuiter probatur, genus non debet includi in differentiis suis, verbi gratia, animal in rationali, & irrationali, vt probauimus disputatione de vniuersalibus in particulari, sectione de genere. quæst.4. articulo 3.atqui ens illud, generalissimè sumptum, includitur in omnibus differentiis suorum inferiorum (si modo verè differentiæ dici queant) quia illæ nō possunt saltem generalissimam illam entis realis rationem non participare, alioquin non essent entia realia, ergo ens reale creatum generalissimè sumptum, vt commune est enti completo, & incompleto, ab illisque abstrahit, eorum respectu non potest esse genus.

Tertia propositio.

SI restringatur ens creatum, ad completum, non modo synonymum est, sed reuera genus, respectu omnium entium completorum, siue substantiæ sint, siue accidentia, proindéque vnum tantum erit supremum genus, nimirum ens creatum, completum, respectu substantiæ & accidentium, & consequenter vnica categoria.

Quod sit synonymum, in 1. propositione sufficiēter probatum est; quod verò sit genus, hac vnicâ validissimâ ratione probatur: tota ratio cur substantia creata, completa sit genus respectu corporeæ & spiritalis, eadem probat ens creatum, completum, esse etiam genus, respectu inferiorum entium completorum, substantiarum scilicet, & accidentium, ergo cum prius admittant aduersarij, posterius inficiari non debent: consequentia est nota.

Probatur vero antecedens, tota ratio cur substantia creata, completa, sit genus respectu *corporeæ & spiritualis*, est, quia illis synonymè conuenit,

& ad eas contrahitur per veras differentias, in quibus nequaquam includitur, atqui eadem est ratio de ente creato, completo, comparatione inferiorum entium completorum, ergo tota ratio cur substantia creata, completa sit genus respectu substantiæ corporeæ, & spiritualis, eadem probat, ens creatum, completum, esse verum genus, respectu inferiorum entium completorum, substantiarum scilicet, & accidentium.

Rursus probatur minor, imprimis sufficienter probatum est, ens creatum esse synonymum inferiorum entium respectu, sicut substantia creata completa synonyma est inferioribus substantiis, corporeæ scilicet, & spiritali, proindéque saltem in hoc esse eandem rationem: ipsum vero ens creatum, completum, ad sua inferiora contrahi per veras differentias, in quibus non includatur, sicut substantia creata complexa contrahitur ad substantiam corpoream & spiritualem (in quo præcipua difficultas remanet) demonstratur; ideo substantia creata, completa, quæ ponitur supremum genus Categoriæ substantiæ, dicitur contrahi per veras differentias, in quibus non includitur, ad suas species, putâ corpus & spiritum, quia est substantia completa, differentiæ verò illæ, sunt tantum substantiæ incompletæ, atqui idem de ente creato, completo dici potest, comparatione inferiorum entium completorum, siue substantiæ sint, siue accidentia, illud scilicet esse ens completum, differentias verò inferiorum, per quas contrahitur, esse quidem entia, sed tantum incompleta: nec legitima disparitas ab aduersariis assignari potest, ergo quemadmodum substantia creata, completa, ad suas species contrahitur per veras differentias, in quibus non includi-

tur,ita & ens creatum, completum, contrahitur ad ſua inferiora, ſubſtantiam ſcilicet & accidens, per veras differentias in quibus minimè continetur: ſicque eodem iure genus erit ad ſubſtantiam & accidens, quo ſubſtantia creata, completa, ad corpus, & ſpiritum.

Atque hæc ratio tantæ efficaciæ eſt, vt non tantùm noſtram opinionem ſtabiliat, ſed ſimul eneruet omnia, quæ contra eam ab aduerſariis poſſent obiici: illa enim omnia probant tantùm, ideò ens non eſſe genus inferiorum entium, quòd in eorum differentiis eſſentialiter includatur, quod tantùm verum eſt in ente communi, vt abſtrahit à completo & incompleto, quia in omnibus entibus inuoluitur, cum ipſa entia ſint, ſaltem communiſſimâ illa entis ratione: non tamen de ente creato, completo quod in ſuorum inferiorum differentiis nequaquam comprehenditur, cum illæ non ſint entia completa; ſed tantum incompleta, vt paulò antè dicebamus.

Quæres num huic Categoriæ entis realis completi poſſit adiungi alia entis rationis.

Reſpondeo imprimis, hoc eſſe parui momenti, nec referre ad propoſitum, quia tantum agimus de Categoriâ entium realium, non rationis.

Reſpondeo ſecundò, omnia entia rationis poſſe ad Categoriam entis realis referri, & ad diuerſas entis realis ſpecies reuocari, prout variè ab intellectu concipientur, vel ad ſubſtantiam, ſi per modum ſubſtantiæ fingantur, vt chymera conſtans humano corpore, & capite leonis, vel ad quantitatem, vt magnitudo à terra ad cœlum, & vltra cœlum exporrecta, vel ad relationem, vt relationes rationis, verbi gratia creatoris ad creaturam, & ita de aliis, idcóque ex illis noua non conſtituitur categoria.

QVÆSTIO TERTIA.

De essentia Categoria.

CAtegoriam sic definito, Categoria est *series, & ordinatio, generum, specierum, & indiuiduorum, sub genere supremo.*

Aliter definitur, *alicuius supremi generis, & eorum quæ sub ipso continentur, naturalis dispositio.*

Quia in nostra sententia, vna tantum categoria est, ideò non est adhibenda particula illa, *alicuius supremi generis,* sed simpliciter *supremi generis.*

Dicitur *naturalis dispositio*, quia dispositio, quæ in serie categorica obseruatur, vt superiora sint in superiori loco, & inferiora subiiciantur, est omnino naturalis, nec pendet ab hominum arbitrio.

Maioris explicationis causa, quæres, quænam requirantur conditiones ad ens categoricum.

Respondeo multas desiderari: prima est, *vt sit ens reale,* quia hîc tantum agimus de categoriâ entium realium, vt suprà diximus.

Secunda est, *vt sit simplex, & incomplexum, ac per se, non autem complexum, & per accidens,* hoc est, vt vnicam habeat naturam, non multiplicem, vel vnam, quæ ex pluribus perfectis coalescat.

Ratio est, quia categoria debet quæque ordinatè disponere, & sine vlla confusione, quod non præstaret, si entia complexa, vel per accidens reciperet, cum dicant confusè varias naturas.

Hic à Categoria remouentur, *aceruus lapidum, domus, exercitus, entia item connotatiua, vt candidum, dulce,* quæ significant qualitates, nempe,

candorem, & dulcedinem, connotando subiecto quibus insunt, quia hæc omnia sunt entia aggregata, per accidens, non autem simplicia, & per se.

Tertia conditio est, *vt non sit infinita naturæ, & perfectionis*, vt Deus, quem propriè probabimus infra, nullis categoriæ finibus contineri.

Quarta conditio est, *vt sit ens completum seu perfectum*, ad cuius conditionis intelligentiam.

Notandum est, ens illud completum duplex constitui, primum *simpliciter*, quod nullo pacto venire potest in compositionem alicuius entis per se, vt indiuidua specierum, verbi gratia Petrus, Paulus, Bucephalus, ex quibus nullum ens per se componitur.

Dixi expresse, *compositionem alicuius entis per se*, siquidem licet aliqua accidentia indiuidua possint pertinere ad constitutionem alicuius entis per accidens, vt hæc albedo ad constitutionem huius albi, & similia, nihilominus tamen non desinunt haberi completa, & perfecta, in rectaque categoriæ serie collocari, quia scilicet ens aliquod per se non constituunt.

Secũdo *aliud dicitur ens compositum duntaxat secundum quid*, quod quamuis possit ingredi compositionem alicuius entis per se, potest tamen habere rationem totius si consideretur secundum se, vt genera, quæ licet cum differentiis species constituant, v. g. animal cum rationali hominem, possunt tamen aliqua consideratione habere rationem totius, vt in proprio loco docuimus. Hinc remouentur à recto ordine Categoriæ partes integrantes, vt caput, brachia, pedes, necnon & differentiæ, vt differentiæ sunt, quæ proinde tantum in indirecto ordine, seu à latere constituuntur.

Addunt alij postremam conditionem, vt *quod ponitur in prædicamento, sit vniuocum*, seu cõueniat vniuocè suis inferioribus: quæ conditio non potest intelligi nisi de generibus & superioribus sub quibus constituuntur indiuidua, non vero de indiuiduis, quæ nulla sub se continent inferiora, quibus vniuocè conueniant. Hac conditione intelligimus homonyma & analoga excludi à Categoriâ.

QVAESTIO POSTREMA.

De affectionibus Categoriæ.

QVęrunt hîc nonnulli, quęnam intercedere debeat distinctio inter Categorias: sed hæc quæstio nulla est apud nos, qui unicam tantum recipimus Categoriam.

Duntaxat declarandum est, quonam modo sumi debeant, quæ in Categoria collocantur, an in concreto, an vero in abstracto.

Vbi notandum est, abstracta in eo à concretis separari, quod *abstracta* significent formam sine subiecto, vt albedo, nigredo, &c. *concreta* verò significent formam in subiecto, vt album albedinem in pariete verbi gratia, vel in cygno. Hoc notato sit.

Prima propositio.

SVbstantiæ in Categoria positæ, concretim sumi debent, non abstractim.

Probatur, eo modo substantiæ, quæ in Categoria collocantur, sumi debent, quo modo vna de alio prædicari potest, *est enim Categoria series eorum omnium, quæ ita possunt sub genere supremo collocari, vt superiora prædicentur de inferioribus*: atqui substantiæ

tantum in concreto sumptæ, non autem in abstracto, possunt prædicari de inferioribus, neque enim hæc est vera propositio, humanitas est animalitas, sed tantum hæc, homo est animal, vt alibi dictum est: ergo substantiæ quæ in Categoria collocantur, debent *in concreto* vsurpari, non autem in abstracto.

Confirmatur, genus & species habent rationem partis, quando in abstracto accipiuntur, vt animalitas, & humanitas, illa respectu hominis, hæc verò respectu Petri v.g. sed quod collocatur in Categoriâ non debet habere rationem partis ex superioribus: ergo genus & species saltem, non debent in abstracto vsurpari, sed in cóncreto, quando constituuntur in Categoria.

Secunda propositio.

Accidentia quæ in prædicamento constituuntur. non debent vsurpari in concreto, sed tantùm in abstracto.

Probatur 1. accidentia in concreto sumpta significant formam accidentalem & subiectum, cui ipsa in est v.g. album albedinem, & substantiam lactis, cui albedo ipsa affixa est, proindéque sunt entia per accidens, non per se: ergo sic in categoria collocari nequeunt.

2. Eo modo accidentia debent constitui in prædicamento, quo modo superiora possunt de inferioribus prædicari: atqui in concreto superiora accidentia non possunt de inferioribus prædicari, non enim vera est ista propositio, v.g. *color est qualis*, sed tantum *qualitas*, nec item ista, *albedo est colorata*. sed tantum, *color*: ergo accidentia non constituuntur in prædicamento quatenus in concreto accipiuntur, sed tantùm in abstracto.

Obiicies, si accidentia quæ ponuntur in Categoria accipiantur abstractim, vbi, quando, situm esse, & habere, non distinguentur à loco, tempore & substantia vestis, nam vbi, & situs, in abstracto, significant locum, quando, tempus, habere, vestem, quod tamen absurdum est.

Respondeo negando consequutionem antecedentis: ad probationem dico vbi, quando, situm esse, & habere, in abstracto, non significare locum, tempus, & vestem, vt sumebat argumentum, sed *vbi*, significare *vbiquitatem*, seu rationem illam, per quam aliquid habet, quòd sit alicubi *situm*, *esse situationem*, seu modum, quo res est in loco, per extensionem suarum partium, ad partes ipsius loci, quæ duo distinguuntur à loco, *quando, seu esse in tempore, temporeitatem*, siue modum quo res dicitur existere in tempore, habere denique *habitionem*, seu rationem, per quam res dicitur tali modo exterins se habere, esse togata, vel armata quæ ratio proculdubiò ab ipsa veste longè distinguitur. Hactenus de Categoria in communi.

SECTIO SECVNDA.

De Categoria speciatim, vel potius de speciebus, immediatè supremo Categoriæ generi subiectis, substantia scilicet & accidente.

QVÆSTIO PRIMA.

De Substantia, tam secundum mentem Aristotelis capite de substantia, quàm secundum rei veritatem.

ARTICVLVS PRIMVS.

De nomine & varia acceptione Substantiæ.

HIc accuratius Categoriam tractaturi, præcipuasque eius partes explicaturi, à substantia, vt omniũ accidẽtium basi, & fulcro, iuxta methodũ Aristotelis exordimur, & pro more consueto, nomen eius, nominisque explicationem agredimur.

Itaque *substantiæ* nomen, vel à subsistend[o], vel à substando deductum est: *à subsistendo*, quod per se, & in se, subsistat, non autem in aliis existat, more accidentium: *à substando* verò, quòd sit subiectum accidentium, vt paries subiectum albedinis, Æthiops nigredinis, & sic de aliis.

Variis verò modis vsurpatur, primò strictissimè pro sola substantia prima & singulari, vt apud Arist. 8. Metaph. cap. primò, cum dixit 2. substantias seu vniuersales, non esse substantias.

2. Sumitur pro sola Substantia immateriali, & spiritali, solum Deum, & intelligentias comprehendente, vt 12. Metaph. cap. 2.

Tertiò accipitur ab Arist. Metap. cap. 81. pro sola completa, & categorica, & sic tam primam seu singularem, quàm secundam seu vniuersalem complectitur.

Quartò latissimè vsurpatur pro qualibet rei essentiâ, siue illa sit substantialis, siue accidentalis, & sic quantitatis, qualitatis & aliorum accidentium essentiæ, eorum substantiæ dici possunt, quo pacto hîc non vsurpamus substantiam,

5. Et vltimò, accipitur substanciæ nomen propriè. pro quocumque ente reali, per se subsistente.

Verum

verum quia per se subsistere quibusdam modis sumitur, illos pimum distinguimus, vt reiectis alienis, eum retineamus, qui ad nostrum institutum magis referre videbitur.

Itaque per se subsistere, trifariam vsurpari potest, primò pro sola negatione existendi in alio tanquam in subiecto inhæsionis, quo modo hîc non est sumẽdum per se subsistere, tum quia debet esse aliquid positiuum, per quod realiter substantia constituatur, & ab accidente distinguatur, non autem sola negatio, tum quia accidentia à subiecto separata vt in Eucharistię Sacramento substantiæ dici possent, quę scilicet in nullo existunt inhæsionis subiecto.

2. Per se subsistere ita sumitur vt sit idem ac propriâ & non alienâ substantiâ subsistere, hoc est ita esse in se vt neque sit in alio tanquam in subiecto inhæsionis, neque tanquam in sustentante: quo modo se habet Petrus, v. g. quia neque inhæret alicui subiecto, nec in vllo reponitur à quo sustentetur, & hoc pacto non sumimus per se subsistere hoc loco, quia non pertinet ad rationem substãtię, cum Christi Domini humanitas sit vera substantia, nec tamen subsistat propriâ subsistentiâ, sed tantùm existat in verbo diuino, à quo sustentatur, ex communi Theologorum doctrina.

Tertiò igitur, & maximè conuenienter accipitur per se subsistere, pro *aptitudine ad existendum propriâ subsistentiâ*, independenter à quocumque sustentante, quomodo reuera per se subsistere omni penitus substantiæ, & soli competit: nulla enim est substantia quæ eam aptitudinem non habeat ad subsistendũ per se, etiam si actu per se non subsistat propriâ subsistẽtia, sed alienâ tantũ, vt Christi Domini humanitas: neque vllum est accidens, siue existẽs in

ſubiecto, ſiue à ſubiecto ſeparatum, quod eam ſubſiſtendi per ſe aptitudinem participet, vt ex ſe notum eſt.

ARTICVLVS SECVNDVS.
De existentia Substantiæ.

SVbſtantiam exiſtere nemo negat, cum ipſa ſit omnium accidentium ſubiectum, quo ſublato ſaltem naturaliter permanere non poſſunt: quapropter totus hic articulus inſumetur in aſſignandis ſubſtantiæ diuiſionibus, quod hoc ordine præſtabimus.

MEMBRVM PRIMVM.
Varias Substantiæ diuisiones continens.

PRima Subſtantiæ diuiſio traditur in ſubſtantiam primam, & ſecundam, ſeu in ſingularem & vniuerſalem: cui quidem diuiſioni multùm authoritatis, & celebritatis conciliauit Ariſtoteles, ab ea ſubſtantiæ tractationem exordiens.

2. Eſt in completam, & incompletam.

Completa ſubſtantia dicitur, quæ non venit in compoſitionem alterius, tanquam pars eſſentialis eius, ſiue omnino, vt ſingularis, v. g. Petrus ſiue aliquo modo, vt genera ſubſtantiarum, animal, viuens & ſimilia quæ licet cum differentiis poſſint concurrere ad conſtitutionem eſſentialem ſpecierum, animal cum rationali ad conſtitutionem hominis, viuens, cum ſenſibili, ad compoſitionem animalis, nihilominus tamen ſecundùm ſe ſpectata, & in vniuerſum habent rationem totius completi, non verò partis alicuius componentis, vt ſuperius diximus.

Subſtantia verò ***incompleta*** è contrario dicitur,

quę habet rationem partis, & alterius compositionem ingreditur, vt caput, manus, corpus, anima, & similes partes.

Porrò substantia completa, alia est *infinita*, & increata, vt Deus, & ipse solus, alia *finita*, & à Deo creata; hęcque iterum duplex, vna immaterialis, scilicet angelica, alia materialis, quę variis modis subdiuiditur: sed hę diuisiones longè facilius apposita tabella intelligentur.

MEMBRVM SECVNDVM.

In quo accuratius expenditur substantiæ diuisio, in primam & secundam.

QVæritur hîc, quodnam sit diuisum huius diuisionis, seu quid in illa diuidatur.

Varię sunt hac de re sententiæ.

Prima ait, nullum propriè esse diuisum, quia nulla est propriè dicta diuisio, sed tantum enumeratio partium substantię: seu Aristot. distribuendo substantiam in 1. & 2. voluisse tantum ea enumerare, quę sub genere substantię continentur, vt si quis recensens partes orationis, alias diceret esse litteras, alias syllabas, alias vocabula, & sic de cęteris.

Verùm licet hęc opinio facilè sustineri possit, non tamen ita videtur ad mentem Aristotelis, cum ipse, tanquam veram diuisionem, hanc substantię distributionem in 1. & 2. expresse suprâ tradiderit.

2. Sententia habet prędictam substantię diuisionem in 1. & 2. esse naturę substantialis per 2. intentiones, scilicet singularitatem, & vniuersalitatem: hęcque sententia sine vllo negotio defenditur; vt patebit solutione obiectionum, quę contra eam communiter proponuntur.

Obiicies itaque substantia 2. seu vniuersalis, est in prima, v. g. homo in Petro: ergo non sunt membra inter se distincta, quod tamen ad legitimam diuisionem exigitur.

Resp. ad consequentiam, solum inferri posse substantias eiusmodi 1. scilicet & 2. non esse realiter distinctas, seu non habere naturas extra se mutuò existentes, non posse tamen deduci quòd ipsæ non distinguantur formaliter, quatenus sunt membra talis diuisionis, scilicet sunt substantia vniuersalis, & singularis, cum alia sit formalis ratio vniuersalitatis, alia singularitatis, quod in bona diuisione tantum desideratur.

2. Obiicies, in quacumque bona diuisione, membra diuidentia debent esse distincta à toto diuiso, ita vt vnum membrum diuidens non sit idem ac totum diuisum: atqui in hac diuisione, vnum membrum diuidens est idem cum ipso diuiso: ergo hæc diuisio non est bona. Minor probatur: vnum membrum diuidens, in hac diuisione, est substantia, 2. seu vniuersalis: atqui illa substãtia vniuersalis, est vnum & idem cum diuiso huius diuisionis, seu substantia quæ diuiditur in 1. & 2. est enim etiam vniuersalis: ergo vnum membrum diuidens, in hac diuisione, est idem cum ipso diuiso.

Resp. negatione minoris, ad maiorem probationis, dico, substantiam illam 2. in quam diuiditur substantia in communi, esse quidem vniuersalem, quadam determinata vniuersalitate, secundum quam extenditur ad substantiam, 1. seu singularem, & omnem 2. seu vniuersalem: substantia verò illa, quæ diuiditur in 1. & 2. est vniuersalis amplissimá, & si vultis transcendentali vniuersalitate, quæ se extendit ad omnem 1. & 2. substantiam.

3. Quę maximè ad mentem Aristotelis est, habet prædictam diuisionem substantiæ in 1. & 2. fieri ratione modorum subsistendi per se, & subsistendi accidentib. ita vt vna dicatur 1. substantia, quæ 1. per se, & in actu exercito subsistit, & substat accidentib. nimirum singularis, altera 2. quæ tantum secundario, per 1. & in actu signato subsistit, & substat accidentibus, scilicet vniuersalis.

Dixi autem hanc sententiam maximè esse ad mẽtem Aristotelis, propterea quod Aristoteles cap. de substantia, statim facta hac diuisione adiungit substantiam 1. esse magis substantiam quàm 2. quod non potest intelligi, nisi de modis subsistendi per se, & substandi accidentibus qui magis propriè, vt potè 1, per se, & in actu exercito, in 1. substantia reperiuntur, quàm in 2. quæ tantum per 1. secundariò, & in actu signato, subsistit, & substat acidentibus, vt iam diximus.

MEMBRVM SECVNDVM.

De diuisione substantiæ in completam & incompletam.

PAucis propositionibus quæcumque spectant ad hanc diuisionem breuiter perstringemus.

Prima propositio.

HÆc diuisio bona est & adæquata.

Probatur: illa est bona & adæquata diuisio in qua membra diuidentia non latius patent, nec magis restringuntur, quam diuisum ipsum: atqui hæc diuisio omnino est eiusmodi, neque enim substantia cummunis, latius diffunditur, quàm in substantiam completam, & incompletam, neque substantia completa, & incompleta, extra substantiam

diuagantur: ergo hæc diuisio bona est, & adæquata.

Secunda propositio.

HÆc diuisio non est generis in species.

Probatur: nulla potest assignari vera differentia, per quam substantia in communi diuidatur in completam & incõpletam, quia cum illa sit substantia, debet necessariò includere substantiæ gradũ, contra naturam differentiæ, quæ superiorem generis gradum in sua essentia non continet: ergo cum genus postulet differentias, quibus contrahatur ad species suas, hæc diuisio non erit generis in species.

Postrema propositio.

HÆc diuisio est alicuius synonymi in inferiora sua synonymata, seu substantia in communi conuenit vniuocè substantiæ completæ, & incompletæ.

Ratio est clara, quia vtráque substantia nomen & naturam substantiæ participat, quod tantum requiritur ad synonymiam: consule quæ suprà diximus de entis synonymiâ, ratio enim ibi allata vim quoque in hac propositione retinet.

ARTICVLVS TERTIVS.

De essentia substantiæ.

MEMBRVM PRIMVM.

De definitione substantiæ generatim.

SI de substantia generatim sermo sit, illa hoc modo definiri potest, *substantia est ens per se subsistens propria subsistentia, vel saltem aptum subsistere.*

Dicitur *ens*, in quo conuenit cum accidente.

Additur *per se subsistens, vel aptum per se subsistere, propria subsistentia*, vt distinguatur ab accidente, quod cum nullam habeat, nec habere possit propriam subsistentiam, nequit solum esse aptum propria subsistentia subsistere, multò minus actu subsistere; tum vt intelligamus, actualem subsistentiam non esse necessariam ad rationem substantiæ, quasi nulla possit esse substantia, quæ actu non subsistat, cum Christi Domini humanitas sit propriè dicta substantia, licet non subsistat, sed sustentetur à diuini Verbi supposito.

Si verò sermo sit de substantia categorica & prædicamentali, hoc modo definiri potest: *substantia est ens reale, simplex finitũ, cõpletum, per se aptũ subsistere.*

Dicitur 1. *ens* in quo conuenit, & cum accidentibus & cum aliis substantiis, quæ sedem non habent in categoria.

2. Ponitur *reale*, ad excludendas negationes priuationes, & entia rationis.

3. Additur *simplex*, ad differentiam entium complexorum, & per accidens, seu quæ ex multis perfectis naturis coalescunt, vt aceruus lapidum, domus, exercitus, &c.

4. *A*diicitur *finitum*, vt Deus remoueatur à categoria, qua de re statim.

5. Adiungitur *completum*, vt arceantur substantiæ incompletæ, putà partes, siue integrantes, vt caput, brachia, siue essentiales, vt materia, forma & differentia.

Denique ponitur *aptum per se subsistere*, vt substantia secernatur ab accidente, propriaque ratio substantiæ declaretur, quæ ex dictis in eo consistit, quod per se apta nata sit subsistere.

Circa hanc definitionem, duæ potissimum mo-

uentur difficultates, prior; an substantia prædicamentalis, seu Categorica, debeat necessario esse finita, Deumq; infinitum non admittat: posterior, quib. substantiis finitis, quæ vulgo inter entia completa numerantur, conueniat allata definitio: vtramque difficultatem ordine tractabimus.

MEMBRVM SECVNDVM.

An rectè substantia infinita, nempe Deus, excludatur à Categoria.

NOtãdum est trifariam aliqua propriè in Categoria cõstitui, 1. *directè*, 2. *indirectè*, 3. *reductiuè.*

In prædicamento directé constituuntur tantum, genera, species, & indiuidua.

Indirectè reponuntur ipsæ constitutiuæ specierum differentiæ, vt sensibile, & insensibile, rationale, & irrationale.

Denique ea reductiuè in prędicamento collocantur, quæ quamuis non sint genera, species, & indiuidua, nec constitutiuæ specierum differentiæ, sunt tamen vel substantię partes, vt materia & forma, caput & brachia, vel ad eum aliqua ratione pertinent: idem de accidentib. dicẽdum est: hoc posito certissimum est Deum non posse in categoria directé collocari, cum nullius speciei differentia constitutiua sit, vt omnes intelligũt: quare status difficultatis tãtum est, an vel directè, vel salté reductiuè Deus possit poni in catogoria, & sit substantia quædam prędicamentalis, & categorica: pro hac difficultate sit.

Prima propositio.

DEus reuera non ponitur in categoria.

Probatur. Deus non potest poni in categoria

nisi tanquam substantia categorica: atqui Deus subantia categorica esse nequit: ergo non reponitur in categoria. Maior certissima est, nam cum Deus non possit esse accidens, si reponatur in categoria, debebit necessariò esse substantia, eaque categorica.

Minor verò probatur, 1. authoritate Aristotelis qui recensens ea quæ sunt in vulgato & communi substantiæ prædicamento, duntaxat corpora, & dæmones numerat, Deum vero omnino prætermittit.

Probatur 2. eadem minor vnica ratione omni ex parte corroborata: si Deus sit substantia categorica, vel habebit rationem generis, vel speciei, vel indiuidui sub aliqua specie contenti: atqui nullius rationem sortiri potest: ergo non est substantia categorica. Maior est omnino certa, maximè ex fundamento initio huius membri posito, minor verò secundum omnes partes probatur.

Secundũ primam, quod scilicet Deus non habeat rationem generis, hoc modo: genus continet multas species sub se, in quas diuiditur, & quibus essentialiter communicatur: atqui Deus non potest multas species sub se continere in quas diuidatur & quibus essentialiter communicetur, quia sequeretur dari plures Deos specie differentes, sicut dantur plura animalia specie differentia, eò quòd animal plures species sub se cõplectatur, quibus essẽtialiter cõmunicatur: tum quia species semper est nobilior generè, cum præter perfectionem generis, aliam vendicet, ex propria sua differentia petitam, sicque Deo aliquid esset nobilius, quod est impium cogitare.

Probatur item 2. pars minoris, in qua præcipua difficultas consistit; quod scilicet Deus non habeat

rationem speciei: ea est natura speciei, vt debeat ex genere & differentia, tanquam ex partib. ex natura rei distinctis, & quarum vna non includatur in alia, constitui: atqui Deus nequit componi ex genere & differentia tanquam ex partibus ex natura rei distinctis: ergo non potest rationem habere speciei.

. Probatur minor huius syllogismi, si Deus componeretur ex genere & differentia, tanquam ex partibus ex natura rei distinctis, componeretur ex finitis, & finitæ perfectionis partibus; siquidem genus & differentia, seorsim sumpta, non dicunt infinitam perfectionem, sed solum finitam, quia infinita perfectio omnem penitus perfectionem includit, genus autem non includit perfectionem differentiæ, nec è contra differentia perfectionem generis, at verò absurdum est, Deum ex finitis, & finitæ perfectionis partibus coalescere cum infinitum non nisi ex infinitis consurgere possit, secundum omnes Philosophos: ergo Deus non potest componi ex genere & differentia, tanquam ex partibus ex natura rei distinctis.

3. Denique pars minoris prioris syllogismi, nempe Deum non posse habere rationem indiuidui sub aliqua specie contenti, demonstratur: si Deus esset indiuiduum alicuius speciei, cum species debeat posse continere multa indiuidua, quibus communicetur diuisim, hoc est cum sui diuisione, sequeretur posse dari multa indiuidua, quæ cum Deo eamdem naturam specificam participarent, illamque per numericas, & singulares differentias diuiderent, sicque plures posse esse deos, quod fidei aduersatur. Adde quod non potest assignari, quæ sit illa species sub qua Deus constitueretur, tanquam indiuiduum: itaque concludendum est ex hac tota ra-

tiocinatione Deum non esse substantiam prædicamentalem, nec in categoria directè reponi.

Obiic. 1. Deus ab Arist. 1. Eth. cap. 6. numeratur inter substantias categoricas: ergo ex eius mente reponitur in categoria, tanquam substantia prædicamentalis.

Resp. ad antecedens, Arist. non sumere hoc loco nomen substantiæ prædicamentalis strictè, pro ea, quæ directè ponitur in categoria, sed latè pro ea omni, quæ vel directè, vel reductiuè, in prædicaméto constituitur: quo sensu fatemur, Deum esse substantiam categoricam, quia ad categoriam reducitur, vt posteà dicemus.

2. Obiic. Si quid impediret, quominus Deus poneretur in categoria, maximè eius infinitas, quę non pateretur se certis categoriæ finibus comprehendi: atqui talis infinitas non obstat, nam etsi daretur linea infinita, secundùm Aristotelem, lib. de lineis insectilibus, non desineret in categoria sub genere quantitatis reponi: ergo Deus verè reponitur in categoria, sub genere substantiæ.

Resp. concessa maiori negatione minoris, licet enim linea infinita, si daretur in categoria sub genere quantitatis collocaretur, non eodem tamen modo Deus infinitus potest poni in categoria, sub genere substantiæ, quoniam infinitas eiusmodi lineæ esset tantum secundùm quid, nimirum secundùm longitudinem, non autem simpliciter, proindéque posset admittere compositionem ex genere & differentia, ex quantitate continua, tanquam genere, & ex speciali ratione lineæ, seu qua linea constituitur in esse lineæ, tanquam ex differétia: at verò cum infinitas Dei sit simpliciter, & per essentiam, illa nullã accipere potest compositi●nem ex genere,

& differentia, vt paulò antè probauimus, quod tamen necessarium esset, si in categoria, & sub genere substantiæ collocaretur.

Denique obiicies, reperitur in Deo compositio ex genere & differentia: ergo reponitur in categoria, & sub aliquo genere, putà substantiæ. Antecedens ostenditur: illud componitur ex genere & differentiâ quod habet aliquid in quo conueniat cum alijs, & aliquid per quod ab iisdem secernatur: atqui Deus est eiusmodi, quippe qui cum rebus omnibus conuenit in ente, & speciatim cum substantiis creatis, in communi gradu substantiæ, ab illisque omnibus separatur per suam infinitatem: ergo Deus componitur ex genere & differentia.

Resp. negando antecedens, & distinguendo maiorem probationis: illud componitur ex genere & differentia quod habet aliquid in quo conueniat cum aliis, & aliquid per quod ab iisdem distinguatur, *si realiter conueniat, & tanquā in aliquo à se ex natura rei distincto, vniuocoque vniuocatione reali & physica*, concedo, quia genus debet ex natura rei distingui à speciebus & earum respectu esse vniuocum vniuocatione reali, & physica, seu antecedenti operationem intellectus: *si verò tantum cōueniat ratione, & in aliquo ratione tantum à se distincto, soláque vniuocatione rationis, & logica, seu dependēti ab operatione intellectus, vniuoco*, nego: ad minorem verò, dico, eum quidem habere aliquid, in quo cum aliis conueniat, sed ratione tantum illud esse ab ipso Deo distinctum, ipsique & creaturis tantum vniuocum, vniuocatione rationis, & logicâ, in quo proinde sola ratione Deus conuenit: illud autem non realiter, aut ex natura rei esse à Deo distinctum, ipsique & creaturis vniuocum, vniuocatione reali, & physica,

in quo realiter, & citra mentis operam, cum alijs ipse Deus conueniat, quia reuera nulla est inter Deum & creaturas conuenientia à parte rei, sed tantum per operationem intellectus, communem entis gradum, à Deo, & creaturis, à quibus non distinguitur, ex natura rei abstrahentis, atque ita negari debet conclusio, Deum ex genere & differentia componi.

Secunda propositio.

DEus reductiuè ponitur in categoria.

Probatur. Mensura eorum quæ in categoriâ continentur pertinet ad ipsam categoriam ex 10. Metaph. c. 3. atqui Deus est mensura rerum omnium, siue substantiarum, siue accidentium, author item, & principium: ergo pertinet ad categoriam, sicque in illâ saltem reductiuè, collocari debet.

MEMBRVM TERTIVM.

An cæli, & intelligentiæ seu substantæ spirituales creatæ sint veræ substantiæ prædicamentales.

REspondeo affirmatiuè, hancque responsionem, quantum spectat ad cælos, sumo ex Aristot. 5. Met. c. 8. vbi differens de vulgatis categoriis, inter substantias categoricas, corpora cælestia enumerat, & 12. eiusdem operis cap. 1. vbi factâ diuisione substantiæ, in sensibilem & insensibilem, statim sensibilem subdiuidit in corruptibilem, seu elementarem, & incorruptibilem, seu cælestem, hoc modo, in eodem ordine, & sub eodem genere substantiæ, cælos & elementa constituit.

De intelligentiis vero, seu substantiis spiritualibus, idem docet 5. Metap. cap. 8. vbi expressè dæmones, qui sunt intelligentiæ spirituales, reponit sub

genere,& eâ,quæ sibi videtur,substantiæ categoriâ, & 2. de anima cap. 2. vbi Aristoteles animam rationalem,ea tantum de causa in categoria, non directè sed reductiuè tantùm reponit,quòd incompleta sit: ergo cum intelligentiæ spiritales nō sint incompletæ,secundùm Aristotelem,in categoria & sub genere substantiæ directè collocari debebunt.

Accedit breuis ratio,generatim de cœlis,& intelligentiis,seu Angelis:ea directè debent collocari in categoria sub genere substantiæ, quæ genere & differentia substantialibus constant: atqui cœli, & intelligentiæ, componuntur ex genere & differentia substantialibus,ex communi gradu substantiæ completæ,tanquam genere,& propriis suis differentiis, per quas ab aliis substantiis, separantur: ergo cœli, & intelligentiæ debent directè collocari in categoria sub genere substantiæ.

Obiicies primò de cœlis,cœli nullam habent potentiam,ex mente Aristotelis,sed sunt actus puri seu potentiæ cuiusuis expertes:ergo nec genus,quia genus potentia quędam est ad varias species, proindéque non sunt in categoria. Probatur antecedens, quod æternum est nullam habet potentiam, quia in æternis idem est esse, & posse,ex 3.Phys.cap.4.atqui cœli ęterni sunt, secundùm sententiam Aristotelis: ergo saltem ex opinione Aristotelis, cœli nullam habent potentiam.

Respondeo negando antecedens, & maiorem probationis, licet enim res aliqua æterna esset, vt homo verbi gratia,non tamen desineret agnoscere potentiam, tam physicam, nempe materiam quàm metaphysicam,nimirum genus, animal, verbi gratia,tantùmque careret potentia ad existendum,quia semper extitisset, quod intendit Aristoteles verbis

illis citatis *in æternis idem est esse, ac posse*: sicut etiam cæli, licet æterni essent (quod, pace Aristotelis, omnino falsum est, imò hæreticum) constarent tamen materiâ, tanquam potentiâ physicâ, genere, nimirum substantiâ completâ, tanquam potentiâ metaphysicâ: sicque non carerent omni potentiâ, sed tantum potentia ad existendum, quia, ex hypothesi, ab omni æternitate extitissent.

Secundò obiicies, de angelis tria requiruntur principia in substantiâ categorica, materia, forma, & priuatio, ex 12. Metaph. cap. 5. quæ tamen in Angelis vt pote immaterialibus non reperiuntur: ergo Angeli non sunt substantiæ prædicamentales, nec possunt in categoriâ collocari.

Respondeo ad antecedens, Aristotelem tantum loqui de substantia corporea, non verò de substantia categorica in communi, quæ spiritalem, creatam, & corpoream complectitur.

Alij respondent, licet in Angelis propriè materia, forma & priuatio non reperiantur, impropriè tamen reperiri, quia constant genere & differentiâ quæ materiæ, & formæ respondent ex dictis de genere, & cum interdum non operentur, cum operari possent, obtinet hoc modo priuationem talis operationis.

Denique generatim de cælis & Angelis obiicies, corruptibile, & incorruptibile genere differunt, secundum Arist. 10. Met. cap. 1. atqui cæli, & Angeli sunt incorruptibiles, aliæ verò substantiæ categoricæ corruptibiles: ergo genere differunt, & sic cæli & Angeli in categoria poni non possunt, vt pote in qua vnum tantum supremum genus est.

Distinguo, maiorem, corruptibile & incorrupti-

bile genere differunt, interiecto, vt animal & planta, concedo, quod non obstat quominus sub eodem supremo genere entis creati, completi, imò & sub genere substantiæ, constituantur, non minus quàm animal & planta: supremo verò genere differunt, nego, maximè nostra sententia, quæ vnum tantùm supremum genus agnoscit.

ARTICVLVS IV. ET POSTREMVS

De affectionibus substantiæ.

SEx recenset Aristoteles substantiæ affectiones, cap. de substantiâ. Prima est, quòd *in nullo sit subiecto*, supple *inhæsionis*, more accidentium, sic enim subiectum vsurpat, non autem pro *subiecto attributionis*, quia certum est substantiam 2. seu vniuersalé esse in primâ, tanquam in subiecto attributionis, verbi gratia hominem in Petro, cui attribuitur.

Secunda affectio, ad secundas tantùm substantias pertinet, quod scilicet omnes debeant *vniuocè prædicari*, intellige de primis, & singularibus substantiis.

Tertia est, quod *prima substantia significet hoc aliquid*, id est naturam aliquam per se subsistentem, & velut digito designabilem, vt est Petrus: secunda vero significet tantum quale quid, hoc est naturam, aliquâ velut qualitate, scilicet vniuersalitate affectam, vt homo in communi, naturam humanam, specialitate affectam.

Quarta est quod *substantiæ nihil sit contrarium*, quæ proprietas de propriè dictâ contrarietate debet intelligi, alioquin falsa est, cum differentiæ oppositæ, verbi gratia rationale, & irrationale, sint substantiæ

ſubſtantiæ ſaltem incompletæ, licet opponantur impropriâ contrarietate, quatenus ſcilicet poſitæ ſub eodem genere maximè diſtant.

Obiicies: ignis propriè eſt aquæ contrarius: ergo vna ſubſtantia propriè eſt alteri ſubſtantiæ contraria.

Diſtinguo antecedens, ignis eſt aquæ contrarius, per accidens, ratione caloris, & frigoris, concedo: per ſe verò, & ratione ſubſtantiæ, nego.

Quinta eſt, *ſubſtantiam non ſuſcipere magis & minus*, ſeu neque intendi, neque remitti, quoniam vna ſubſtantia non eſt magis ſubſtantia, quàm alia, verbi gratia gigas, quàm muſca, licet maior ſit ſubſtantia.

Obiicies ex Ariſt. cap. de ſubſtantia, ſubſtantias primas magis eſſe ſubſtantias quàm ſecundas: ergo ſubſtantiam recipere magis & minus.

Diſtinguo antecedens, apud Ariſtotelem primæ ſubſtantiæ ſunt magis ſubſtantię, quàm ſecundę, per accidens ratione modi ſubſtandi, qui in primâ ſubſtantiâ ad plura extenditur, quàm in ſecundâ, cum prima ſubſtantia omnibus ſecundis ſubiiciatur, non item ſecunda ſecundis, verum eſt, eſſentialiter verò, ratione ſuæ eſſentiæ, quaſi vna ſubſtantia plus habeat de eſſentia ſubſtantiæ, quàm alia, falſum.

Poſtrema affectio ſubſtantiæ, quam dicit Ariſtoteles, propriam eſſe ſubſtantiæ (multæ enim ex aliis ſunt reuera communes rebus à ſubſtantiâ diuerſis, vt progreſſus teſtabitur) eſt quod *ſubſtantia eadem manens, poſſit recipere contraria*, verbi gratia eadem ferri ſubſtantia, modo calorem, modo frigus.

Obiicies hoc etiam cōpetere orationi, quia non numquam vera eſt, nonnumquam falſa, quæ contraria ſunt, verbi gratia hæc oratio, Petrus ſtude-

vera est Petro studente, falsa verò eodem Petro ludente, ergo nō esse veram substantiæ proprietatem.

Nego antecedens, nam suscipere contraria proprium tantùm substantiæ dicitur, si ipsa contraria reipsa in eadem substantia recipiantur, illamque realiter mutent, quo modo mutatur ferrum realiter cum per aduentum caloris à frigido transit ad calidum: hoc autem modo oratio non dicitur suscipere contraria, nimirum veritatem, & falsitatem, quia veritas, & falsitas adueniunt orationi nulla facta in ipsa mutatione, sed in ipsa re, de quâ instituebatur oratio, vt patet exemplo huius orationis, Petrus studet, ipsa enim vera semper est, cum in Petro studente nulla interuenit mutatio, in eodem semper statu manet, tuncque solum incipit esse falsa, cum Petrus ex studente incipit fieri non studens, sed ludens. Hæc de substantia.

QVÆSTIO SECVNDA.

De prima accidentis specie, scilicet quantitate.

QVid sit accidens generatim in introductione Porphyriana diximus: id scilicet *quod adesse, & abesse potest à subiecto, sine eius interitu.* Quod egeat subiecto, cui saltem vt plurimum inhæreat, vt albedo parieti, quæst. superiori, in explicanda substantiæ definitione insinuauimus. Dixi, saltem vt plurimnm, quia, vt ex professo in Metaph. docebimus, non omne accidens inhæret subiecto, seu est in subiecto, vel substantia, sed quoddam datur, quod tantum est à substantia, vt actio, quatenus ab agente, verbi gratia, calefactio ab igne, non in igne: propterea ibi concludemus, accidenti generatim sumpto, aut actu inhærere, aut posse in-

hærere, non esse essentiale, quia deberet in omnibus inferioribus accidentibus reperiri, sicut quod est essentiale animali, vt esse sensibile, reperitur in omnibus eius inferioribus, hominibus scilicet, & brutis: sed tantum afficere substantiam, vel in ea existendo, vt albedo in pariete, vel ab ea manãdo, vt calefactio ab igne, & sic de cæteris, Sed hæc altioris sunt meditationis, & propterea ad altissimam Philosophiæ prrtem, scilicet Metaphysicam, meritò remittuntur sat ad nostrum insti tutum fore arbitramur, si singulas ipsius accidentis species clarè, & enucleatè exposuerimus, initio à quantitate ducto, vt tum Aristotelis, tum etiam naturæ ordinem sequamur, secundum quem quantitas, vt potè aliorum omnium accidentium basis, & subiectum, quo intermedio substantiæ inhærent, debet primo loco tractari.

ARTICVLVS PRIMVS.

De nomine & varia acceptione quantitatis.

QVantitatis nomen, vniuersim loquẽdo, significat formam aliquã, à qua res magna dicitur, siue ratione alicuius virtutis, & perfectionis, vt magnus Philosophus, summus Imperator, & dicitur *quantitas virtutis*, ac perfectionis: siue magna, ratione molis, & extensionis, vt magnus gigas, vel mons, & dicitur *quantitas molis.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

De existentia quantitatis.

SEnsus iudicio, & omnium mortalium consensu, constat dari quantitatem.

Tres eius diuisiones tradit Arist. ca. de quantitate,

Prima est, in quantitatem cõtinuam & discretam.

Continuam ait esse, cuius partes communi vinculo copulantur, vt partes lineæ puncto, partes superficiei, lineis, partes corporis superficiebus, & sic de aliis.

Quantitatem autem *discretam*, eam esse dicit, quæ non habet suas partes, communi aliquo vinculo copulatas vt numerus, verbi gratia senarius, qui ex vnitatibus discretis coalescit, & oratio, cuius partes sunt syllabæ inter se disiunctæ.

Secundam diuisionem assignat in duo membra: primò in eam quantitatem, quæ constat partibus, positionem & situm inter se habentibus; seu cuius partes ita extenduntur loco, vt vna pars, vnam loci partem debeat occupare, alia, aliam, vt corpus humanum, cuius caput in superiori loco est, pes verò in infimo: secundò in eam quæ constat partibus, situm & positionem inter se non habentibus, vt numerus, tempus, & oratio: numerus quidem & oratio, quia nullam habent partium continuitatem, ratione cuius vna pars potius vnum locum debeat occupare, quàm alia debeat esse ante, vel post, quæ cõtinuitas requiritur inter partes, quæ habent situm, & positionem intet se: tempus verò, quod careat permanentia, & habeat suam essentiam in fluxu, & agitatione positam, quæ tamen permanentia exigitur inter partes, situm & positionem inter se habentes, vt rectè notat Toletus in expositione huius capitis de quantitate.

Tertiam diuisionem tradit, in quantitatem per se, & quantitatem per accidens.

Quantitas per se dicitur; quæ ex se extensionem vendicat, vt linea, superficies, corpus, & aliæ (si quæ sint) legitimæ species quantitatis.

Quantitas verò per accidens, illa dicitur, *qua aliunde participat extensionem, scilicet à qualitate*, siue illam in se habeat, vt omnis substantia materialis, siue ex accidenti extendatur ad extensionem subiecti, vt albedo, dulcedo, & cæteræ eiusmodi qualitates, quæ ideò dicuntur extensæ, quòd sint in subiectis per quantitatem extensis.

ARTICVLVS TERTIVS.

De essentia quantitatis.

MEMBRVM PRIMVM.

In quo consistat essentia continua quantitatis.

PLacuit nonnullis, essentiam continuæ quantitatis in eo consistere, quod reddat substantiam diuisibilem, quæ alioquin esset indiuisibilis. Alij voluerunt in eo sitam esse, quòd sit mensura substantiæ. Alij in eo quòd extendat substantiam localiter. Alij solum requirunt, vt extendat sustantiam in se, ita vt habeat partes, extra partes, eásque impermixtas, cum antè essent confusæ. Alij denique (vt leuiores mittamus sententias) arbitrantur essentiam continuæ quantitatis, non in eo tantum collocari, quòd reddat substantiæ partes simpliciter impermixtas, & extra se positas, in ordine ad se, sed tales, quæ sint aptæ ad sese constituendum in loco, ita vt ipsius loci partibus respondeant. Vt autem in tanta opinionum varietate veritatem aperiamus, sit

Prima propositio.

ESsentia continuæ quantitatis, non consistit in eo quòd reddat substantiam diuisibilem in partes & partes.

Probatur, in eo non est constituenda quantitatis essentia, quod iam præsupponit quantitatem, nec in ea primum intelligitur: atqui reddere substantiã diuisibilem, non est id, quod primum intelligitur in quantitate, sed ipsam quantitatem præsupponit: ideò enim aliqua substantia est in partes diuisibilis, quia est extensa, & habet quantitatem: ergo essentia continuæ quantitatis non consistit in eo, quod reddat substantiam in partes diuisibilem.

Obiicies, quantitas essentialiter constituitur per id quod reddat substantiam in partes diuisibilem: ergo in eo ipsius quantitatis essentia consistit.

Probatur antecedens: quantitas distinguitur per eiusmodi diuisibilitatem, quam in substantia efficit, & sic alia dicitur species quantitatis, linea, quæ efficit substantiam in partes diuisibilem, secundum solam longitudinem, alia superficies, quæ reddit substantiam in partes diuisibilem, tam secundum longitudinem, quàm latitudinem, & sic de cæteris, ergo cum idem sit principium constitutionis, & distinctionis, constituitur essentialiter quantitas per id quod reddat substantiam in suas partes diuisibilem.

Respondeo negando antecedens, ad probationem adhuc distinguendum est antecedens, species quantitatis distinguitur per diuisibilitatem, accidentariò, sicut homo per risibilitatem, concedo, essentialiter verò, sicut homo per rationalitatem, nego; sed distinctio illa essentialis, inter species quantitatis, desumitur ex diuersa extensione, quam in substantia efficiunt, linea, secundum longitudinem solam, superficies, secundum longitudinem, & latitudinem, corpus denique, secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem.

Secunda propositio.

ESsentialis ratio quantitatis non consistit in eo, quòd sit mensura substantiæ. Vt hæc propositio melius intelligatur, faciliusque probetur.

Notandum est, mensuram duobus modis posse vsurpari, primò actiuè, pro eo quod potest aliud mensurare, secundò passiuè, pro eo quod potest ab alio mensurari, & vtroque modo propositionem nostram intelligimus, dicimusque quantitatis essentiam, non consistere in eo, quòd reddat substantiam aptam aliud mensurare, vel ab alio mensurari, sicut constat vlnam mensurare pannum, & è contra pannum ab vlna mensurari.

Probatur eadem ratione qua superior propositio confirmata fuit : in eo non consistit essentia quantitatis, quod primum in quantitate non intelligitur, sed ipsam præsupponit quantitatem : atqui ratio illa mensuræ, siue actiuæ, siue passiuæ, seu reddere substantiam aptam aliam mẽsurare, vel ab alia mensurari, non est quod primum intelligitur in quãtitate, sed ipsam quantitatem præsupponit, prius enim est, reddere substantiam extensam quàm illam efficere aptam mensurare, vel ab ea mensurari, in quantum habet extensionem : ergo essentia quantitatis non consistit in eo, quòd sit mensura substantiæ vel actiua, vel passiua, siue illam reddat aptam aliud mensurare, vel ab alio mensurari.

Tertia propositio.

ESsentia quantitatis continuæ non consistit in eo quòd extendat substantiæ partes, localiter, seu secundum partes loci, sicut corpus dicitur extendi cum vna pars occupat vnam loci partem

alia aliam, & sic de cæteris.

Probatur primò, exemplo corporis Christi, sub Eucharisticis speciebus existẽtis, quod reuera manet in minimâ parte, imo & in quouis indiuisibili hostiæ, cum tota sua quantitate, sicque nullam ab ea quantitate accipit localem extensionem.

Probatur secundò: extensio illa localis partium substantiæ, præsupponit aliam extensionem earundem partium in se, prius enim est, in se extensum esse quàm ad aliud: ergo totalis extensio localis, perinde ac diuisibilitas, vel ratio mensuræ, non potest esse id in quo sita est ipsius quantitatis essentia.

Postrema propositio.

Essentialis ratio quantitatis cõsistit in eo, quod extendat substantiam in ordine ad se, vi cuius extensionis apta est locum occupare, & aliud quoduis corpus ab eo spatio, in quo manet, expellere.

Probatur; in eo collocãda est essentialis ratio quãtitatis, à quo primum accipit substantia, vt dicatur quanta, atqui ab illâ extensione suarum partium, in ordine ad se, vi cuivs locum occupare, & ab eo quodlibet corpus expellere potest, primum habet substantia, vt dicatur quanta: ergo in illâ extensione partium substantiæ, in ordine ad se, vi cuius locum occupare, & quodlibet corpus ab eo eiicere potest, consistit essentialis ratio quantitatis.

Minor probatur, ab eo primum accipit substantia, vt dicatur quanta, à quo omnes profluunt quãtitatis proprietates, nam proprietates, ab essentiâ, tanquam à fonte dimanant: atqui ab illâ extensione partium substantiæ in ordine ad se, manant omnes proprietates quantitatis, vt quod actu extendat substantiam ad locum, eam reddat aptam men-

ſurare, vel menſurari, corpuſque expellere, vt patet ex dictis: ergo ipſa extenſio partium ſubſtantiæ in ordine ad ſe, per quam habet ipſa ſubſtantia, vt locum occupare, & corpus aliud expellere poſſit, eſt id, à quo primum habet, vt dicatur quanta, ac proinde eſt eſſentialis ratio quantitatis.

Obiicies primò. Eſſentia quantitatis eſt aliquid abſolutum: ergo non benè explicatur per extenſionem, vt dicit relationem ad exiſtendum in loco, vel expellendum aliquod corpus, nam hoc modo, ſimul quantitatis eſſentia eſſet relatiua.

Reſpondeo conceſſo antecedenti, ad conſequentiam, nos explicare eſſentiam quātitatis per extenſionəm partium ſubſtantiæ in ordine ad ſe, adiungere tamen quatenus per eam extenſionem partium, ſubſtantia habet, vt ex ſe ſit occupatura locū, & expulſura aliud corpus, vt quid ſit talis extenſio clarius percipiatur, ex ipsâ relatione ad ſuas proprietates, quæ nobis notiores ſunt, & facilius incurrunt in ſenſus, ratione ſuorum actuum.

Secūdò obiicies. Subſtantia ſine quantitate habet illā extenſionem, in ordine ad ſe, ratione cuius poſſit occupare locum, & aliud corpus expellere: ergo in tali extenſione non conſiſtit eſſentia quantitatis.

Antecedens probatur, ſi Deus ſepararet quantitatem Petri, ab eius ſubſtantiâ, ipſa non maneret indiuiſibilis in ſe, nec inepta quæ ad locum extenderetur, & aliud corpus expelleret, non enim intelligi poteſt, quomodo ad punctum poſſet confluere, nec etiam apparet, cur ei repugnaret ad locum extendi, cum expulſione alterius corporis, ergo ſubſtātia ſine quantitate, habet extenſionem in ordine ad ſe, ratione cuius apta ſit ſeſe extendere ad locum, & aliud corpus quoduis expellere.

Respondeo negatione antecedentis, & ad eius probationem, dico illam duo inuoluere, primum an ablatâ quantitate à substantiâ, ipsa substântia sit remansura indiuisibilis, alterum an habitura sit adhuc aptitudinem existendi in loco.

Quod ad primum spectat, breuiter dico, substantiam quantitate denudatam, non ita remansuram indiuisibilem, quasi nullam planè extensionem participet, sed semper habituram extensionem entitatiuam, ratione cuius dicetut habere suas partes inter se distinctas, verbi gratia Petrus, habere caput distinctum à manibus, & manus distinctas à pedibus, sicque de cæteris.

Quod si vrgeas, ergo sine quantitate substantia est extensa in ordine ad se, ergo in tali extensione in se, non est sita quantitatis essentia, contrà postremam propositionem.

Respondeo distinctione prioris consequentiæ, sine quantitate substãtia remanebit in se extensa, extensione entitatiuâ, concedo, quantitatiuâ, nego.

Quod si quæras iterum, maioris explicationis gratia, distinctionem illius duplicis extensionis, entitatiuæ scilicet, & quantitatiuæ.

Respondeo hanc esse, quod per entitatiuam extensionem, substantia non possit dici proximè apta locum occupare, cum expulsione alterius corporis ab eo spatio in quo est, sed tãtum remotè, quatenus potest extensionem quantitatiuam suscipere, & postèa, eius interuentu localiter extendi, cum expulsione cuiuscumque corporis, ab eo loco in quo erit, at verò per quantitatiuam, proximè reddatur apta quæ extendatur ad locum, cum expulsione cuiuslibet corporis, in ipso suo loco existentis.

Hinc sine vllo negotio, secundum dubium, in ob-

iectione propositum, exponitur an scilicet substantia quantitate denudata, retineat semper aptitudinem, vt secundum locum extendatur, id nimirum, non de proximâ aptitudine, in quâ consistit essentia qnantitatis, sed tantum de remota, intelligendum esse, & sic tota dissoluetur obiectio contraria, quæ in eo fundabatur, quod sine quantitate, substantia adhuc extensa in ordine ad se remaneat: quod quomodo verum sit, sine detrimento nostræ propositionis expositum fuit.

Prætereà quærunt, an si substantia quantitate denudaretur, adhuc posset remanere localiter extensa?

Nonnulli negant, asseruntque sublata quantitate, ipsius substantię partes ad punctum necessariò confluere.

Alii è contrario dicunt, non repugnare, quominus illæ substantiæ partes, ablata quantitate, localiter extenderentur, sed hi non sine dissidio; quidam enim illorum (in quorum numero est Fonseca, in 5. Met. c.13. quæst.2. sect.3. (volunt substantiam quantitate denudatam, secundum locum extendi ad modum rei spiritalis, itaut sit tota in toto loco, & tota in qualibet parte: sicut docent Physici animam nostram rationalem, totam esse in toto corpore, & totam in singulis eius partibus, etiam minimis: alij verò, vt Ioannes à Soto, in prædicam. quantitatis, & Suarez in Metaph. disp.40. sect.4. num.13. è contrario dicunt, post ablationem quantitatis à substantia, ipsam substantiam adhuc posse remanere extensam, secundum partes loci, ad modum rei corporeæ, adeo vt haberet vnam partem in vna parte loci, aliam, in alia, & sic de cęteris: quam postremam sententiam, vt probabiliorem, amplectimur.

Probamus hac ratione: auferat Deus quantita-

tem omnium partium corporis,v.g.non est necessarium vt caput confluat ad locum pedis, & vtraque pars ad locum cordis,sícque de cæteris : ergo possunt remanere extēsæ,in eo loco,in quo prius erant.

Antecedens ostenditur, si daretur aliquod corpus in duobus simul locis existens, Romæ v. g. & Lutetiæ,& Deus auferret ab eo in vtroque loco quantitatem,non esset necesse,in instanti separationis,corpus existens Romæ,statim conuolare ad locum corporis Lutetiæ existentis , longior enim est inter vtrumque intercapedo,quæ tam citò,nimirum in instanti,pertransiri possit:ergo à pari sublata quantitate à partibus corporis Petri , cum illa secundùm locum distent, possunt optimè manere cum eadem extensione locali,quam prius habebant.

Resp.distinctione antecedentis, localis extensio est proprietas quantitatis , quatenus est coniuncta cum virtute proxima expellendi aliud corpus ab eo loco in quo est,qualis non competit substantiæ omni quantitate denudatæ,concedo; extensio verò illa localis , vi cuius proximè non expellitur quodlibet aliud corpus,sed tātum remotè, postquā scilicet extēsio localis quātitatiua accesserit,nego, & hæc sola à nobis admittitur in substātia quātitate denudata.

MEMBRVM SECVNDVM.

Quibus conueniat essentia quantitatis continuæ prædicamentalis.

DIfficultas est, an linea, superficies, corpus,locus,tempus,&motus,constitui debeant legitimæ species quantitatis : priusquam verò hac in re aliquid certi statuamus, aperiendum est, quid horum omnium nomine significetur.

Linea à Philoſophis, & Mathematicis, definitur, longitudo latitudinis expers.

Superficies, longitudo, & latitudo carens profunditate.

Corpus, *longitudo, latitudo, & profunditas ſimul.*

Locus definitur, ſuperficies concaua, prima, corporis ambientis, qualis eſt illa concaua lunaris globi ſuperficies, quæ ignem elementarem ambit.

Motus accipitur variis, ſed potiſſimum quatuor modis.

1. *Quatenus eſt ab agente*, vt calefactio ab igne, & vocatur actio, ſicque non eſt ſpecies *quantitatis*, ſed actionis. 2. *provt in patiente recipitur*, vt eadem calefactio in ligno, & paſſio vocatur, ſicque non eſt quantitatis, ſed paſſionis ſpecies, 3. *pro ipſa forma imperfecta*, quæ partim eſt acquiſita, partim verò acquirenda eſt, vt calefactio pro ipſo calore, qui iam aliqua ex parte eſt acquiſitus, & aliqua ex parte manet acquirendus, & hoc pacto, cum ſit ens aliquod incompletum, & imperfectum, non poteſt habere locum in categoria, nec conſequenter eſſe vera ſpecies quantitatis. 4. denique accipitur motus, *pro ipſo fluxo continuo*, quo calor acquiritur, & in hoc ſenſu ſumi debet, cum quæritur, an inter legitimas ſpecies continuæ quantitatis recenſeatur.

Tempus denique nihil aliud *eſt*, quàm *ipſa ſucceſſiua motus duratio*, vt illius, v.g. motus, quo ab vna extremitate huius aulæ, ad aliam extremitatem proceditur.

Nonnulli præterea in dubium reuocant, num pondus, quod eſt grauitas aliqua, corpus deorſum impellens, debeat numerari inter legitimas ſpecies quantitatis.

Sed immeritò, tum quia grauitas eſt de genere

qualitatis, suum subiectum quale denominans, vt quale est corpus? est graue: tum quia eadem manente quantitate, sine vlla mutatione, potest grauitas mutari, & intensionem, ac remissionem suscipere. Pro reliquorum igitur expositione, sit.

Prima propositio.

Linea, superficies, & corpus sunt legitimæ species continuæ quantitatis.

Probatur: ad rationem continuæ quantitatis, tantum requiritur, vt sit magnitudo habens actu partes extra partes communi vinculo copulatas, vt suprà tradidimus: atqui linea, superficies, & corpus, sunt magnitudines, habentes partes extra partes, communi quodam nexu coniunctas, omnium consensu: ergo sunt legitimæ species continuæ quantitatis.

Obiic. Entia incompleta in categoria collocari non possunt, atqui linea, & superficies, sunt entia incompleta: ergo in categ. non possunt constitui, & sic non sunt legitimæ species quantitatis. Maior ostenditur, illud est incompletum quod per se ingreditur compositionem alicuius entis per se, vt patet ex dictis suprà, de categ. in communi: atqui linea & superficies, per se concurrunt ad constitutionem vnius entis per se, nimirum corporis, quia illud cõponi debet ex lineis & superficiebus, earumque dimensiones, scilicet longitudinem, & latitudinem obtinere: nullum enim corpus, quod non sit longum, & latum: ergo linea, & superficies, sunt entia incompleta.

Vt huic obiectioni satisfiat non parum iuuat, in linea & superficie duo distinguere, primum quod linea sit aliqua longitudo; & superficies longitudo simul ac latitudo, secundum quod linea sit versus latitudinem indiuisibilis, & superficies, secundum

profunditatem: hoc enim posito facilis patet respõsio ad obiectionem propositam, distinctione minoris, linea & superficies, sunt entia imperfecta, quatenus, spectantur ratione suæ indiuisibilitatis, verum est, quo sensu, linea in superficie, tanquam terminus reperitur, & superficies in corpore, imò & punctum in lineâ: quatenus verò spectantur ratione suarum dimensionum, linea ratione suæ longitudinis, & latitudinis simul, falsum est, quo sensu linea non componit superficiem, nec superficies corpus, siquidem ex lineis, vt potè secundũ latitudinem omnino indiuisibilibus, nunquam exurget superficies, quæ necessariò aliquam includit latitudinem: nec pariter corpus, quod sua natura profunditatẽ postulat, vmqvam poterit coalescere ex puris superficiebus, vtpotè secũdum profunditatẽ penitus indiuisibilibus, sed superficies ex particularib. superficiebus, & corpus ex particularibus corporibus, non secus ac linea ex partialibus lineis, debebit necessariò componi.

Secunda propositio.

Istæ tres continuæ quantitates, linea, superficies, & corpus, essentialiter inter se distinguuntur.

Ratio clara est, quia aliud est essentialiter solam longitudinem obtinere, quod lineæ competit, aliud cum longitudine habere latitudinem, sine profunditate, quod superficiei conuenit, aliud denique triplici dimensione constare, longitudine, latitudine & profunditate, quod corpori proprium est.

Tertia propositio.

Locus non est species quantitatis, à superficie distincta: hæc propositio esse videtur contra Aristotelem, qui in suis categoriis, cap. de quantitate

inter species continuæ quantitatis locum numerat, quanquam Auerroës 5. Met. commẽtario 18. Albertus tract. de quant. cap. 5. & alij Aristotelem ab hoc errore vindicent, aientes ipsum non ex sua mẽte id statuisse, sed ex veterum sententia, quæ suo tempore maximo in vsu erat. Quidquid sit, an hęc propositio sit contra Aristotelem, nec ne, saltem vera est, hacque ratione.

Probatur, locus quatenus, statuitur species quantitatis nihil habet spectans ad rationẽ alicuius quãtitatis, per quod essentialiter distinguatur à superficie: ergo non debet cõstitui species à superficie distincta. Antecedens probatur, locus nihil habet quod spectet ad rationem alicuius quantitatis præter longitudinem, & latitudinem: ergo locus nihil habet pertinens ad rationem alicuius quantitatis, per quod essentialiter à superficie distinguatur.

Dices multa alia habere, quòd scilicet ambiat rem locatam, & sit mensura eius extrinseca, id est ipsi minimè affixa & inhærens, quæ tamen duo non sunt de ratione superficiei.

Sed contra, vtrumque illud discrimen loci, à superficie, est tantum accidentale ad rationem alicuius quantitatis: ergo non distinguit essentialiter à superficie, tanquam à specie.

Probatur antecedens, quòd aliqua quãtitas aliam ambiat, ipsi nullatenus essentiale est, sed tantum proprietas ipsam præsupponens quantitatem, quæ habet illã aptitudinem corpus ambiendi: ergo primum illud discrimen, loci, & superficiei, quod nimirum locus ambiat locatũ, superficies, verò, vt superficies, non item, est tantũ accidentale, ad rationẽ alicui⁹ quãtitatis. 2. verò discrimẽ. quòd scilicet locus sit mensura extrinseca, superficies verò intrinseca) esse

ca) esse quoque accidentale patet, tum quia ex dictis superiori membro, ratio mensuræ est omnino accidentalis quantitati, & præter naturam eius, ac consequenter quidquid ex illa sequitur, vt quod externa sit, vel interna: tum quia non constituuntur duæ essentialiter lineæ, ex eo quod vna sit mensura extrinseca, altera intrinseca, vt linea quæ in ipso corpore Petri existit, & propterea dicitur mensura eius intrinseca, & linea in eo loco existens in quo ipse Petrus circumscribitur, proindéque ipsius est mensura extrinseca: ergo nec locus & superficies, essentialiter distinguuntur, ex eo quod illa sit mensura extrinseca, hæc verò intrinseca; nec consequenter duæ constituentur species quantitatis essentialiter distinctæ.

Quarta propositio.

MOtus non est species quantitatis propriè dicta, quatenus sumitur pro ipso fluxu continuo formæ, quæ est partim acquisita, & partim acquirenda, v. g. motus calefactionis, pro ipso fluxu continuo caloris, qui iam partim est acquisitus, partim verò manet acquirendus.

Probatur: nullum eius incompletum, per se ponitur in categoria, tanquam species alicuius generis, sed motus sumptus pro eiusmodi fluxu continuo formæ, quæ partim est acquisita, & partim remanet acquirenda, est aliquid incompletum: ergo per se in categoria; tanquam species alicuius generis putà quantitatis, reponi non potest.

Minor probatur: fluxus ille est acquisitio formæ imperfectæ, seu quæ nondum est in facto esse, vt loquuntur, sed tantum in fieri: ergo non potest non esse aliquid completum.

Confirmatur: acquisitio illa continua, & succes-

ſiua, nunquam habet totum ſuum eſſe, ſed vna parte acquiſita, altera acquiritur, quovſque perficiatur motus, & terminus totus acquiratur: ergo ſemper eſt aliquid incompletum.

Confirmatur, 2. Angeli continuè & ſucceſſiuè, ab vno loco, ad alium mouentur, & tamen quantitate carent, ſaltem categorica: ergo motus, pro illo fluxu continuo, & ſucceſſiuo ſumptus non poteſt habere rationem veræ, & categoricæ quantitatis, ſicque illius ſpecies eſſe nequit.

Quinta propoſitio.

NEque etiam tempus ſumptum pro duratione alicuius motus, poteſt collocari in categoria, tanquam ſpecies propriè dicta quantitatis.

Probatur, duratio motus eſt aliquid incompletum, ſicut motus cuius eſt duratio, nec habet omnes ſuas partes ſimul, ſed vna poſt aliam, & alia iam deſtructa: ergo non poteſt in categoria conſtitui, tanquam ſpecies quantitatis.

Obiic. contra hanc & præcedentem propoſitionem, Ariſtotelem loco ſuprà citato, motum, & tempus recenſere inter ſpecies quantitatis.

Reſp. vt ſuprà Ariſtotelem, vt vulgi opinione, non ex ſua ſententia, hoc loco ſpecies quantitatis numerare.

MEMBRVM TERTIVM.

De quantitate diſcreta: an ſit vera ſpecies quantitatis.

QVantitatis diſcretæ natura eſt, vt partes ſuas, nullo communi vinculo coniunctas habeat, vt ſuprà diximus. Duas illius ſpecies aſſignat Ari-

stoteles, numerum scilicet, & orationem.

Quod spectat ad numerum, obseruandum est, ipsum communiter trifariam vsurpari, 1. pro numerante, 2. pro numerato, 3. pro formali.

Numerus numerans nihil est aliud, quàm ipsa intellectus operatio, & numeratio.

Numeratus, sunt res ipsæ numeratæ, ex quibus numerus coalescit, vt quatuor homines, ex quibus componitur quaternarius.

Numerus denique formalis est collectio, & aggregatio multarum vnitatum, ratione cuius, res formaliter dicuntur aliquot, vt denarius hominum.

Rursus alii diuidunt numerum formalem, in transcendentalem, & prædicamentalem.

Transcendentalis ille est, qui rebus omnibus, etiam quantitatis expertibus, vt Angelis & animabus rationalibus, cæterisque rebus competit.

Prædicamentalis verò is est, qui in solis rebus corporeis, & quantitatiuis admittitur, vt binarius hominum, vel lapidum. His positis.

Primò certum est, numerum numerantem, putà actionem intellectus numerantis, non esse speciem quantitatis, cum sub actione, tanquam sub genere, collocetur.

2. Certum est, numerum numeratum, secundùm totam suam latitudinem, non esse speciem quantitatis, complectitur enim res omnes quæ possunt numerari, quas nemo dixerit esse species quantitatis.

Addidi, secũdum totam suam latitudinẽ, cũ enim veræ species quãtitatis, vt potè lineę, superficies, & corpora, de facto possint numerari; tunc numerus numeratus poterit esse vera species quantitatis.

Denique certum est numerũ formalem transcendentalem non esse legitimam speciem quantitatis:

enim in omnibus rebus etiam ſpiritualibus reperiatur, in quibus nemo veræ cuiuſdam quantitatis rationem deprehendet.

Tota igitur difficultas remanet, de numero formali prædicamentali, num legitimã ſpeciem quantitatis conſtituat: affirmant, Diuus Thomas 1. parte quæſt. 11. art. 1. & 2. Capreolus in primum diſt. 24. quæſt. 1. concluſione 5. & alij.

E contrario verò, & certè probabilius, negant, Albertus Magnus lib. 8. met. tract. cap. 1. Aureolus apud Capreolum, ſupra, Marcilius in primum, diſt. 27. art. 1. & cæteri communiter.

Probatur hæc ſententia primò, ſi numerus formalis prædicamentalis ſit vera ſpecies quantitatis, erit etiam & tranſcendentalis: atqui hoc poſterius negant aduerſarii: ergo & prius negare debent.

Probatur conſecutio maioris, non eſt alia ratio quantitatis, in numero formali prædicamentali, quàm trãſcendentale, quoniam res quælibet, etiam quantitatis expers, æque bene conflat numerum, v. g. quaternarium, ac res aliqua continua, & extenſa, eſtque omnino præter rationem eſſentialem quaternarii, quod res numeratæ ſint vel quantitatis expertes, vel compotes: ergo non minus debet eſſe numerus formalis trãſcendentalis legitima ſpecies quantitatis, quàm prædicamentalis,

2. Omnis ſpecies quantitatis debet eſſe aliquid per ſe vnum; atqui numerus formalis non eſt vnum ens per ſe; ergo non poteſt eſſe vera ſpecies quantitatis. Maior eſt certa. Minor probatur, quod conſtat partibus nullo genere vnionis inter ſe coniunctis, non eſt vnum ens per ſe, aut enim ens per ſe, eſt omnino ſimplex, vt Deus, aut ſi fuerit compoſitum, partes eius debent eſſe inter ſe coniunctæ, ve

vnione methaphyſica, generis nimirũ & differentiæ vt in Angelis, vel vnione phyſica, mateтiæ videlicet & formæ, vt in hominibus, atqui in neutra harum vnionum, partes quibus numerus cõponitur, inter ſe vniũtur, cum diſcretæ ſemper & diſiunctæ à parte rei maneant, ſolaque operatione intellectus coniungatur: ergo numerus non eſt vnum ens per ſe.

Denique probatur noſtra ſententia, nullum ens dependens ab operatione intellectus, poteſt eſſe vera ſpecies quantitatis: atqui numerus ille formalis pendet ab operatione intellectus: ergo non poteſt eſſe vera ſpecies quantitatis Maior probatur, eatenus numerus formalis, verbi gratia quaternarius, eſt talis numerus, quatenus intellectus eius vnitates concipit, tanquam coniunctas, cum tamen reipſa ſint diſcretæ, & ſeparatæ: ergo dependet ab operatione intellectus,

Confirmatur hæc poſtrema ratio, non eſt alia cauſa, cur quaternarius, ſit potius quaternarius, quã duo binarij, niſi quia per intellectum, quatuor eius vnitates aggregantur: cum tamen vi eiuſdem intellectus poſſent ſeiungi, & duos binarios efficere: igitur quaternarius (& idem debet eſſe iudiciũ de alio quouis numero) pendet ab operatione intellectus, ſicque non poteſt eſſe vera ſpecies quantitatis.

Obiic. 1. Ariſt. loco ſæpius citato inter ſpecies quantitatis numerum reponere.

Sed ſufficit ſolutio communis, quæ eſt Alberti magni, Scoti, & aliorum, Ariſtot. hoc loco aliena tantum mente, non propria fuiſſe loquutum.

Aduerſus rationes illas, quibus probauimus numerum eſſe ens per accidens, & dependens ab operatione intellectus, obiicies nullum ens per accidens, vel rationis, eſt obiectum alicuius veræ, &

realis scientiæ: atqui numerus formalis est obiectū alicuius veræ,& realis scientiæ, nimirum Arithmeticæ:ergo non potest dici ens per accidens,& rationis,sed potius erit ens per se,& reale.

Neganda est maior, secundùm vtrámq; partem: ratio prioris partis clara est,quia entia per accidens, possunt per intellectum sortiri modum vnius,& sic esse obiectū alicuius speciei,propriè dictę, ita enim respublica,quæ est aggregatum per accidens, quoniam sortitur vnitatem ordinis,per intellectum,statuitur obiectū politicæ, & familia œconomicæ, eadémque ratione,quia numerus per intellectum accipit aliquam vnitatem, vocamus enim ternarium, vel quaternarium,vnum numerum,potest esse obiectum alicuius scientiæ,verè,& propriè dictę,tametsi in se sit aliquod aggregatum per accidens.

Ratio verò posterioris partis est manifesta, non est incommodum actionem intellectus versari circa entia rationis:ergo non erit etiam absurdum,scientiam,quæ,si fuerit actualis,est actio intellectus, circa eadem entia rationis occupati.

Instabis,sciētiæ specificātur ab obiectis: ergo non possunt esse reales,nisi obiecta quoque sint realia.

Resp.neg.consequentiam, scientias enim specificari ab obiectis,non est sortiri eandem cum illis naturam,aliàs cum obiectum physicæ sit corpus naturale,& Theologiæ Deus,Physica esset corpus naturale,& Theologia Deus, quod est omnino falsum, sed est ab illis obiectis distinctionem accipere; quare fieri poterit,vt Arithmetica sit scientia realis, licet habeat pro obiecto numerum, qui quidem est ens rationis.

Postremò obiicies,nullum sensibile, seu quod sensu percipitur,est ens rationis: atqui numerus est

aliquid ſenſibile ſecundùm Ariſtotelem, multis in locis, lib. 2. de anima: ergo non eſt ens rationis, contra poſtremam noſtræ ſententiæ probationem.

Diſtinguo maiorem, nullum ſenſibile eſt ens rationis, ſi ſit ſenſibile per ſe, concedo, ſi per accidens tantùm, nego: Tenebræ enim, ſaltem latè ſumpto nomine entis rationis pro priuatione, ſunt entia rationis, quamuis per accidens, ſint ſenſibiles, quatenus percipiuntur per abſentiam luminis, itaque cum numerus ſit tantùm ſenſibilis per accidens, ratione ſcilicet negationis cuiuſdam continuitatis inter partes, poterit eſſe ens rationis.

Quod ſpectat ad orationem, quæritur an ſit vera ſpecies quantitatis, necné.

Reſp. non eſſe, quod vt facilius ratione confirmetur.

Notandum eſt, multa in oratione reperiri. 1. *ſyllabas* quibus componitur, 2. *longitudinem*, & *breuitatem* eiuſmodi ſyllabarum, vnde fit vt longę, vel breues dicantur, 3. *tempus*, quod in ipſius orationis prolatione inſumitur, 4. *motum*, 5. *ſonum*, qui in prolatione percipitur, denique *ſignificationem* ipſius orationis, ex quibus tota conficitur noſtræ propoſitionis ratio: nihil eſt in omnibus iſtis enumeratis, ratione cuius oratio ſibi poſſit vendicare propriam rationem quantitatis: ergo abſolutè non eſt vera ſpecies quantitatis.

Probatur antecedens inductione ſingularum, non enim imprimis, orâtio eſt verè quanta, quia ex multis ſyllabis longis, vel breuibus componitur: quoniã ipſæ ſyllabæ non ſunt per ſe quantæ, ſcilicet longæ, vel breues, ſed tantum per accidens, ratione temporis longioris, vel breuioris, quod in earum prolationem inſumitur, nec etiam ratione temporis, &

motus, quia ex dictis, tempus, & motus non sunt veræ species quantitatis, nec 3. ratione soni, quia omnium Philosophorum consensu, ipse est de genere qualitatis, non verò quantitatis, nec denique ratione significationis, quam habet ipsa oratio, quoniam talis significatio est omnino aliud extra rationem quantitatis, pendens à libero hominum arbitrio, qui statuerunt talem vocem hoc significare, & non aliud, verbi gratia, vocem illam homo, significare naturam hominis, & non lapidis, vel equi: ergo simpliciter, & absolutè loquendo, concludendum est, orationem non esse legitimam speciem quantitatis.

Non vrget, quod cap. de quantitate Aristoteles numerauerit orationem inter species quantitatis, semper enim recurrit eadem solutio, Aristotelem non ea tantum species recensuisse, quas veras esse arbitrabatur, sed illas quoque, quæ à Mathematicis, suæ tempestatis, pro veris habebantur.

ARTICVLVS POSTREMVS.

De affectionibus quantitatis.

TRes recenset Aristoteles quantitatis proprietates.

1. Est, *quod nullum habeat contrarium*, quod quidem debet intelligi de propriè dicta contrarietate, alioqui falsum esset, cum duæ differentiæ quantitatis, non secus ac substantiæ, sibi contrariè opponantur, saltem impropria contrarietate, vt constat ex dictis de differentia.

Verùm obiicit Aristoteles, paruum & magnum, multa & pauca, sunt contraria: atqui pertinent ad genus quantitatis: ergo quæ spectant ad genus quantitatis, possunt esse contraria.

Respondet autem idem Aristoteles negatione minoris, atque paruum & magnum, multa & pauca, pertinere ad genus relationis, quia paruum dicitur respectu magni, & multa, respectu paucorum; vt hinc constat, quod eadem res, secundùm diuersam relationem, magna simul, & parua dici queat, v. g. homo comparatione elephantis, paruus, magnus verò respectu formicæ, eadem ratione aliqua pauca dici possunt, & simul multa, diuerso respectu, vt decem aurei nummi, pauci, comparatione mille aureorum, multi verò, respectu duorum tantum.

Rursus obiic. linea recta, & curua, superficies candida, & nigra, opponuntur contrariè: ergo in quantitate admittuntur contraria.

Distinguo antecedens, linea recta, & curua, superficies candida, & nigra, opponuntur contrariè, per accidens, ratione qualitatum, rectitudinis scilicet, & curuitatis, candoris, & nigredinis, concedo, per se verò, & prout sunt quantitates, nego.

2. Quantitatis proprietas est, *quod non suscipiat magis & minus*, seu nec intendatur, nec remittatur, & certè conuenienter, cum nulla quantitas, quantumcunque fuerit extensa, sit magis quantitas, quàm alia perexiguæ magnitudinis, *intensio* enim *fit cum nouus gradus accedit qui prius non erat*, sicut è contra *remissio, cum gradus aliquis qui prius inerat, deperditur*: extendatur autem, vel contrahatur quantitas, quantumcumque placuerit, nullus nouus quantitatis gradus accedet, vel deperdetur, sed tot gradus in minori quantitate manebunt, quot erant in maiori, solúmque dicetur quantitas maior, vel minor, non magis vel minus.

Postrema proprietas, vtrique, scilicet continuæ, & discretæ, conueniens est, *quod sint æquales*, vel

inæquales: sic dicimus duas lineas esse æquales, quarum pars sunt magnitudines, & duos numeros pariter æquales, in quibus eadem est vnitatum multitudo, vt sunt duo ternarij, vel quaternarij.

Vt autem hæc proprietas quantitati semper conueniat, explicanda est de aptitudinali æqualitate: nā si omnes auferrentur quantitates, præter vnam, hæc quæ remaneret, nō esset actu alteri quātitati æqualis, vel inæqualis, sed sola potestate, & aptitudine.

Rursus vt prædicta proprietas soli quātitati competat, explicari debet de propriè dicta æqualitate; quoniā impropriè loquendo, æqualitas, & inæqualitas, solent rebus aliis, propriè quantitatiuis competere, his scilicet quæ aliqua perfectione, seu quantitate virtutis, sunt insignes, vt duo homines æquales in prudentia, vel in eadem inæquales.

Denique eadem quantitatis æqualitas, vt soli adhuc quantitati conueniat, debet esse per se, nam per accidens, scilicet per quantitatem, duæ substantiæ æquales dici possunt, vt duæ columnæ, quæ æquali magnitudine præditæ sunt.

Alij addunt, aliā quantitatis proprietatem, quod nimirum finita sit, vel infinita: sed de ea in Physica, vbi infinitum in quantitate, tanquam impossibile reiicitur. Hæc de quantitate.

QVÆSTIO TERTIA.

De relatione.

ARTICVLVS PRIMVS.

De nomine relationis.

RElatio iuxta nominis significationem dicit ordinem & respectum vnius ad alterum, vt pa-

ternitas,respectum patris ad filium, & è contra filiatio ordinem eiusdem filij ad patrem.

Pater & filius,qui referuntur,relata nuncupantur,provt autem ad se mutuò referuntur, correlata vocantur:idem in aliis simili ratione est videre.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De existentia relationis.

QVatuor in hoc præsenti articulo præstanda sunt,primò assignandę sunt varię relationum diuisiones, vt intelligatur, & facilius confirmetur realis relationis existentia,quod secundò loco nobis agendum est,tertiò quærendum est relationis subiectum,quartò & postremò eiusdem relationis inuestiganda sunt fundamenta.

MEMBRVM PRIMVM.

De varijs relationum diuisionibus.

PRima relationis diuisio traditur, in relationem realem,& relationem rationis.

Relatio realis ea est, quæ antecedit omnem operationem intellectus,ab eaque minimè dependet,vt relatio paternitatis in patre, & filiationis in filio, quia nemine cogitante,pater est pater,& filius pariter filius,hæcq; relatio ab aliis dicitur secundū esse.

Relatio vero *rationis* ea dicitur,quæ suum esse habet dependenter à cogitatione intellectus,vt relatio attributi ad subiectum,& similes:vel saltem est tantum externa denominatio in subiecto, vt relatio creatoris in Deo, quæ quidem relatio est mera externa denominatio, nihilque reale in ipso Deo,

quia ipse Deus talem relationem in tempore, post mundi creationem habere cœpit, cum tamen nihil reale post mundum conditum acquisierit, nec productis creaturis aliquid obtinuerit, quod ab omni æternitate non habuisset: quia autem talis relatio, à nostro dicendi & concipiendi modo manat, ideò ab aliis *secundum dici* appellatur. Huiusmodi etiam est relatio scibilis ad scientiam, quia ad eam nullâ reali relatione refertur, sed eatenus tantum referri creditur quatenus ab intellectu concipitur tanquam terminus, quem scientia necessariò respicit.

Secunda diuisio est relationum, in relationes mutuas & non mutuas.

Mutuæ sunt, quarum termini à se inuicem dependent, & ad se mutuò, æquali necessitate referuntur, vt paternitas, & filiatio, in patre, & filio, quia non magis potest esse pater sine filio, quàm è contra filius sine patre.

Relationes verò non mutuæ sunt, quarum terminus vnus dependet quidem ab alio, sed non vice versâ, vt relatio scientiæ ad scibile, & è contra scibilis ad scientiam, nam scientia ita dependet à scibili, vt absque eo consistere nequeat, cum tamen scibile absque scientia esse possit: si quidem quadratura circuli ab omni sæculo fuit scibilis, & hoc etiã tempore est, licèt porrò nulla eius scientia extiterit, nec pariter hac tempestate habeatur.

Tertia diuisio, vel potius subdiuisio est, relationis realis in subsistentem seu infinitam & non subsistentem, seu finitam.

Subsistens, & infinita relatio ea est quæ reperitur inter personas sacro sanctæ Trinitatis: è cõtra finita dicitur, quæ solis rebus creatis conuenit, eaque duplex altera trãscendentalis, altera prædicamentalis,

ſeu categorica.

Tranſcendentalis eſt illa, quæ vel reperitur in pluribus entium generibus, vt relatio accidentis ad ſubſtantiam: vel cuius extremum vnum non refertur ad aliud, tanquam ad purum terminum, ſed ratione alicuius muneris circa ipſum obeundi, vt relatio potentiæ ad actum, & obiectum, verbi gratia viſus ad viſionem, & viſibile, potentia enim reſpicit actum, vt illum exerceat, & obiectum, vt circa ipſum operetur: vel denique cum relatio ipſa eſt de eſſentia relatorum, vt relationes materiæ & formæ ad ſe mutuò, quia ſpectat ad eſſentiam formæ, quod ad materiam referatur, ex conmuni doctrina Phyſicorum.

Relatio vero prædicamentalis ea eſt, quæ vni certo generi eſt addicta, conſiſtitque in puro reſpectu vnius termini ad alterum, vt paternitas patris, & filiatio filij.

Quarta diuiſio eſt, in relationem æquiparantiæ, & diſquiparantiæ.

Prior eſt cum vtrique extremo idem nomen imponitur, vt æquale, æquali æquale, ſimile, ſimili ſimile.

Poſterior eſt cum vtriuſque extremi diuerſa eſt appellatio, vt pater & filius, dominus & ſeruus.

Quinta eſt in relationem ſuperpoſitionis, ſeu maioris comparationis, cuius nimirum ſubiectum alteri antiſtat, vt relatio domini ad ſeruum, & patris ad filium, & in relationem ſuppoſitionis, ſeu minoris comparationis, cuius ſubiectum dignitate ab alio ſuperatur, vt relatio ſerui ad dominum, & filij ad patrem.

Poſtrema eſt in relationem per ſe, & relationem per accidens.

Relatio per se dicitur, eorum quæ per se, ad se inuicem referuntur, vt sunt pater & filius.

Relatio per accidens inter ea, quæ se tantum per accidens, mutuò respiciunt, vt est homo qui ad filium refertur, non per se, vt homo est, sed tantùm per accidens, quatenus pater est.

MEMBRVM SECVNDVM.

An de facto dentur relationes reales prædicamentales.

NEgatiuam partem sequuti sunt antiqui Philosophi, qui Aristotelem, & Platonem præcesserunt, teste Alberto magno cap. 2. prædicamentorum.

Affirmans verò longè probabilior est, hácque ratione

Probatur: illud est ens reale, quod neque dependet ab intellectu, neque est tantum externa denominatio: atqui dantur multæ relationes creatæ, & prædicamentales, quæ nec pendent ab intellectu, nec sunt meræ denominationes externæ, vt relationes creaturæ ad creaturam, patris ad filium, domini ad seruum, & similes: ergo dantur reales aliquæ relationes creatæ, prædicamentales.

Probatur minor, quoad priorem partem: licet nemo cogitet, creatura ad creatorem refertur, pater ad filium, & dominus ad seruum: ergo eiusmodi relationes non pendent ab intellectu.

Probatur quoque quantum ad posteriorem partem, quod scilicet istæ relationes, non sunt tantum externæ denominationes: externæ denominationes à nullâ reali formâ, in subiecto realiter existente desumūtur, vt esse visum in pariete, desumitur ab ipsa actione videndi, quæ extra parieté est, in ipso scili-

cet oculo: atqui relationes illæ supradictę desumuntur à quibusdã formis realibus, realiter in subiectis existentibus, vt potè paternitas, ab ipsa patris generatiuâ potentiâ, remotè, & proximè ab ipsa actione, qua filium genuit, idémque dicendum de aliis: ergo relationes creatæ non sunt meræ denominationes externæ, sed veræ, & reales.

Obiicies omne ens reale, subiecto realiter aduenìens, illi confert aliquam perfectionem realem, ipsúmque proinde realiter mutat, quia mutari realiter est aliquid reale in se de nouo realiter suscipere, atqui relatio subiecto aduenìens illi nullam adiungit perfectionem, nec ipsum realiter mutat, alioquin productâ albedine in aliquo corpore Lutetiæ existente, omnia ferè corpora, omnésque ferè vniuersi partes realiter mutarentur, quia ad illud corpus nouas reciperent relationes, vel similitudinis, vel dissimilitudinis: ergo nulla datur relatio realis creata.

Respondeo concessa maiori, negando minorem, ad incõmodum quod deducebatur, dico illud nullũ esse, nec absurdum videri, quod productâ albedine in aliquo corpore, reliqua corpora realiter mutentur, mutatione factâ per formas eiusmodi relatiuas, cum talis mutatio, & aduentus formarum relatiuarum fiat sine motu qui ad ipsas formas relatiuas terminetur (non enim datur ad relationem motus ex 3. Physicorum cap. 2.) sed consequatur ex productione fundamentorum, albedinis scilicet, & nigredinis, in ipsis residentium corporibus.

Instabis ex citata authoritate, non datur ad relationem motus: ergo non producitur, & consequenter non existit.

Distinguo antecedens, non datur ad relationem motus per se, concedo, per aliud nego, verbi gratia

ad similitudinem inter duos parietes albos, non datur per se motus, sed tantum per aliud, scilicet per albedinem, ad quam per se terminatus est motus: eodem modo dicendum ad consequentiam, relatio non producitur, per se, concedo, per aliud, & resultando ex productione fundamenti, nego, quod posterius sufficit, vt dicatur existere.

Rursus obiicies, illud non est ens reale, quod omnino pendet ab operatione intellectus: atqui relationes omnes dependent ab operatione intellectus: ergo nulla est relatio realis. Minor probatur, quæuis comparatio pendet ab intellectu, sed omnis relatio est comparatio vnius cum alio: ergo quæuis relatio pendet ab intellectu.

Quidquid sit de maiori, quæ reuerâ non videtur omnino certa, cum actio intellectus quæ est realis, ab ipso intellectu dependeat, neganda est minor: ad probationem dicendum est, relationem (vt vsurpatur à Philosophis) aliud significare, quàm significet comparatio, hæc enim significat actionem intellectus conferentis vnum cum alio, illa verò significat ordinem, & respectum duorum, antequam per intellectum inter se conferantur.

Ex his igitur omnibus liquidò constat, dari aliquas relationes creatas, & consequenter ex illis posse constitui vnum genus relatorum, ab aliis distinctum, cum nullum aliorum accidentium genus, sortiatur naturam relationis.

Quæres an istarum omnium relationum vnicum genus constituatur, an verò duplex. Ratio difficultatis est, quia cum quæuis relatio aliam habeat sibi correspondentem, nunquam potest dari vnica in genere relatio, quæ alias omnes sub se complectatur, tanquam species vel indiuidua.

Illa

Illa tamen difficultas non obstat, quominus concludamus de facto dari vnicum genus omnium relationum, seu vnam in genere relationem, quæ alias omnes sub se complectatur, tanquam species, vel specierum indiuidua: licet enim (quod tantùm probat ratio proposita difficultatis) quæuis relatio in particulari, aliã sibi ex aduerso correspondentem habeat, vt paternitas filiationem, & è contra, in genere tamen, & in vniuersum, non requiritur, vt vna relatio aliam habeat sibi ex aduerso correspondentem, cum relatum in genere, non referatur ad aliud per se, sed tãtùm per aliud, scilicet per particularia: sicut substantia in communi, non subsistit per se in actu exercito, sed tantùm interuentu particularium substantiarium, vt superius demonstratum est: sed dari potest aliqua communis natura relationis, quę vniuocè participetur ab omnibus relationibus categoricis, & prædicamentalibus, quod nimirum sit aliquod accidens, in eo essentialiter cõsistens, quod referat suum subiectum ad aliud, tanquam ad terminum, quam rationem omnes relationes categoricæ participant, sicut species, & specierum indiuidua rationem essentialem sui generis.

MEMBRVM TERTIVM.

De subiecto relationis.

RElationis subiectum, est id quod relationem suscipit, & per eam denominatur, vt Dauid qui denominatur pater Salomonis, dicitur subiectum ipsius paternitatis.

Hinc cùm relatio aliquid denominet duobus modis, vel proximè, vt æqualitas quantitatem, vel remotè, vt eadem æqualitas substantiam, quia saltem

remotè, & per quantitatem, ſubſtantiæ dicuntur æquales: duplex conſtituitur ſubiectum relationis, vnum proximum, cui propriè conuenit relatio, & quod per eam denominatur, vt quantitas reſpectu æqualitatis: alterum remotum, cui remotè tantùm & per aliud conuenit relatio, per eámque prædicta relatio æqualitatis.

MEMBRVM QVARTVM.

De fundamentis relationis.

Relationes, quoniam ſunt exiguæ admodùm naturæ, & tenuiſſimæ entitatis, vt poſſint in rerum natura exiſtere, certa quædam poſtulant fundamenta, quibus fulciantur: de quibus hîc breuiter agendum eſt.

Notandum igitur primò, dari duplex relationis fundamentum, alterum remotum, alio nomine materiale, &, *quod*: alterum proximum, alio nomine formale, ſeu *quo*, vel ratio fundandi.

Fundamentum remotum, ſeu materiale, eſt illud, in quo fundatur relatio, & quod in cauſa eſt, cur relatio conueniat ſubiecto, vt albedo, quæ ineſt cygnis, in qua quidem fundatur relatio illa ſimilitudinis, quæ intercedit inter cygnos ipſos, & eſt cauſa eiuſdem ſimilitudinis.

Proximum verò, ſeu formale, eſt ratio ipſa, ſine qua prius fundamentum non conſtitueret relationem, vt vnitas illa candoris in duobus cygnis exiſtentis, in tantùm enim illæ dicuntur ſimiles, in quantum habent non candorem ſimpliciter, ſed eumdem in ſpecie.

Notandum ſecundò fundamenta proxima re-

lationis, ad quatuor genera reuocari ab Aristot. 5. Met. cap. 15. ad quantitatem, actionem, passionem, & mensuram.

Per quantitatem intelligit vnitatem quæ est principium quantitatis discretę, vel multitudinem, quę est quantitas discreta.

Per actionem & passionem, omnem illam intelligit; rationē cuius fit, vt agens & patiens sese mutuò respiciant, & ad se inuicem referantur.

Per mensuram denique, non eam tantùm intelligit, quæ propria est quantitati, & secundùm quam res quantitatiuæ mēsurantur, sed quamcūq; intelligit, etiam perfectionis, & entitatis, quo pacto res dicuntur sibi commensurari, cum sibi ipsi mutuò correspondent: exempla omnium proferenda sunt.

Itaque in quantitate, seu vnitate & multitudine, omnes relationes fundantur, quæ quandam conuenientiam, seu vt alij dicunt, adæquationem, vel disconuenientiam, seu vt cum aliis loquar, inadæquationem vnius cum alio, significant; in vnitate priores, in multitudine posteriores.

Priores sunt relationes identitatis inter duas substantias, quæ habēt vnitatem specificam naturæ, vt inter duos homines conuenientes in vnica specie, scilicet humanitate, relationes item æqualitatis, inter duas quantitates, quæ eamdem habent specie magnitudinem, similitudinis inter duo alba conuenientia in eadem albedine specie, & sic de cæteris.

Posteriores verò relationes, seu quæ fundantur in multitudine, sunt è contrario relationes diuersitatis, inter duas substantias, vt inter Petrum & Bucephalum; inæqualitatis, inter duas quantitates diuersæ magnitudinis, vt inter lineam pedalem, & bipedalem; dissimilitudinis, inter ea quæ variis specie

qualitatibus afficiuntur vt inter coruum nigrum, & cygnum album.

Relationes autem illæ, quæ in actione & passione proximè fundantur, sunt relationes causæ ad effectum, & effectus ad causam, vt patris ad filium, & filij ad patrem: relatio causę ad effectum, in actione, effectus ad causam, in passione fundatur.

Denique ratio mensuræ dicitur esse proximum fundamentum relations inter scientiam & scibile, quia in tantum scientia est vera, in quantum mensuratur iuxta veritatem obiecti sui, seu scibilis, & in tantum, cæteris paribus scientia digna est, in quantum obiectum est dignum, vt communiter docent Philosophi: in eadem mensuræ ratione fundantur etiam relationes imaginis, ad sua exemplaria, quia ipsæ quoque imagines in tantum sunt exemplariũ imagines, & ad illa referuntur, in quantum eorum veritati commensurantur, ipsique correspondent.

Cæterùm circa fundamentum relationis difficultas quædam exurgit, ad quænam entium genera reuocari debeat, an verò in singulis reperiatur, seu clarius, an quodlibet genus entis possit esse fundamentum remotum relationis.

Respondeo affirmatiuè, probaríque potest inductione facta per omnia entium genera, relatio enim identitatis inter duas substantias eiusdem speciei, v.g. inter duos homines, fundatur remotè in substantia, & proximè in eius vnitate specifica: ergo habemus primò, substantiam posse esse fundamentum remotum alicuius relationis.

Quod spectat ad quantitatem, & qualitatem, non est dubium, quin sint fundamenta remota relationum, nam ex dictis, in quantitate remotè fundatur æqualitas, & in qualitate perfecta similitudo.

De aliis generibus, & ipsa quoque relatione res est paulò difficilior, facile tamen demonstratur: paternitas est fundamentum remotum alicuius similitudinis, quæ inter duos patres cernitur, eo quòd sint patres: ergo relatio erit fundamentum remotum alterius relationis.

Confirmatur antecedens, cum enim duo homines sint magis similes, cùm vterque habet paternitatem, quàm anteà, signum est illam paternitatem esse fundamentum remotum talis similitudinis, quę inter eos repetitur: pari iure cum duo agentia, & duo alicubi existentia, aut aliter se habentia aliquā sortiantur similitudinem, nullum erit absurdum, actionem, & passionē, aliáque entium genera, eiusmodi similitudinum fundamenta remota statuere.

Obiicies: si vna relatio possit esse fundamentum remotum alterius relationis, dabitur progressus infinitus in relationibus, at ille omninò reiiciendus est: ergo relatio non potest esse remotum fundamentum alterius relationis. Maior probatur, si paternitas possit esse remotum fundamentum similitudinis, quæ intercedit inter duos patres, eo quòd sint patres, ista duorum patrum similitudo, poterit esse fundamentum alterius similitudinis, hæcque alterius, & sic in infinitum: ergo si vna relatio possit esse fundamentum remotum alterius relationis, dabitur progressus infinitus in relationibus.

Resp. negando consequutionem maioris; ad eius probationem dico vnam relationem posse esse fundamentum alterius, quæ sit diuersæ speciei, v.g. paternitatem similitudinis, quia istæ duæ relationes sunt specie distinctę: non verò vnam posse esse fundamentum alterius eiusdem speciei, ideóque similitudinem in paternitate fundatā, non posse rursus

esse fundamentum alterius similitudinis; quia omnes similitudines sunt eiusdem speciei relationes, atque adeò non sequi progressum infinitum in relationibus, licet vna possit esse remotum fundamentum alterius.

ARTICVLVS TERTIVS.

De essentia relationis, tam secundùm Aristotelem, quàm rei veritatem.

DVplex legitur apud Aristotelem relationis definitio, vna ex veterum mẽte, *relata sunt quorũ totum esse est ad aliud dici*, seu, *quæ id quod sunt, aliorum esse dicuntur*: posterior ex propria Aristotelis sententia assignatur, *relata sunt, quorum totum esse est simpliciter ad aliud se habere*: quæ definitiones in eo distinguuntur, quòd prior non omninò constituat essentiam relatorum, in respectu ad aliud, sed requirat solùm vt illum respectum dicat, quamuis interim habeat naturam quamdam absolutam, & quæ possit secundùm se considerari sine respectu: posterior verò exigat ad perfectam rationem relatorum, vt simpliciter habeant suam essentiam in respectu & habitudine ad aliud positam.

Commoda hæc est relationis definitio, *relatio est accidens prædicamentale, reale, cuius totum esse est subiectum referre ad aliud, tanquam ad terminum.*

Dicitur primò, *accidens reale*, in quo cum reliquis accidentibus conuenit.

Dicitur secundò, *cuius totum esse est subiectum referre ad aliud*, vt paternitas patrem refert ad filium, ad distinctionem aliorum accidentium, quæ non referunt subiectam ad aliud, sed ipsa potius ad subiecta referuntur, vt quantitas ad materiam, color ad parietem, & sic de cæteris.

Additur tertiò, *tanquam ad terminum*, quia, vt infrà dicemus, vnum relatum non refertur ad aliud, tanquam ad correlatum, sed tãquam ad terminum, verbi gratia pater non refertur ad filium, vt eſt eius correlatum, ſed tantùm vt eſt terminus paternitatis, & in hoc etiam à cæteris accidentibus diſtinguitur, quæ ad ſubiectum quidem referuntur, ſed non ad terminum: diſtinguitur etiam vtráque hac poſteriori particulâ, ab iis ſpeciatim accidẽtibus, quæ vbi 1. & abſolutè ſubiectum affecerunt, illud ſecundariò ad aliud, tanquam ad terminum, referunt, vt ſcientia, quæ primò, per ſe, & abſolutè intellectum afficit: ſecundariò autem refert ad aliud, ſcilicet ad ſcibile, & ita non habet tantùm eſſe in ordine ad aliud, tanquam ad terminum.

Obiicies, in relatione duplex eſſe conſiderari poteſt, alterum, *in*, quod habet commune cum pluribus accidentibus, quatenus eſt accidens, alterũ *ad*, quod habet ſibi peculiare, quatenus eſt relatio: ergo malè diximus, totum eſſe relationis in eo conſiſtere, quòd ſubiectum ſuum refert ad aliud.

Breuiter ad antecedens reſpondeo, relationem ſecundùm gradum aliquem communem accidentis, dicere eſſe *in*, non tamen ſecundùm gradum ſuum proprium, & ſpecificum rationis, ſed ſolum dicere eſſe ad terminum, hócque modo definiri, allatâ definitione, & ita debere definitionem intelligi.

ARTICVLVS IV. ET POSTREMVS.

De affectionibus relationis.

MEMBRVM PRIMVM.

De diſtinctione relationis à ſuo fundamento.

Hic tantùm agimus de relationibus prædicamentalibus, collatis cum ſuis remotis funda-

mentis, verbi gratia de similitudine inter duos corvos, collata cum nigredine, & de paternitate comparata cum actiua generandi potentia, quo genere distinctionis relationes illæ ab eiusmodi remotis fundamentis distinguantur, an realiter, an ratione tantùm, an verò ex natura rei, seu formaliter.

Caietanus prima parte qu. 28. art. secundo, Ferrariensis 4. contra Gentes cap 14. & alij, arbitrati sunt relationes à suis fundamentis remotis realiter distingui.

E contra verò, Aureolus apud Capreolum, in primum sententiarum dist. 13. quæst. 1. Ochamus in 1. dist. 3. quæst. 1. cæterique Nominales, quos sequitur Suarez 2. tomo Metaph. disp. 47. sect 2. num. 22 putauerunt solam distinctionem rationis ratiocinatę intercedere inter relationem, & remotum eius fundamentum.

Alij reiicientes distinctionem realem, & solius rationis, mediam requirunt, nimirum formalem, & ex natura rei, inter relationem, & ipsum remotum eius fundamentum. Nos nostram sententiam duplici propositione aperimus.

Prima propositio.

POtest quædam relatio esse distincta realiter à suo fundamento remoto: possunt etiam aliæ non esse distinctæ.

Probatur prior pars propositionis, exemplo, paternitas distinguitur realiter à potentia actiua generandi, quæ est remotum eius fundamentum: ergo potest relatio realiter distingui à suo fundamento remoto.

Probatur antecedens; ea distinguuntur realiter, quæ possunt vicissim separari, & separata cōserua-

ritatqui paternitas,& potentia generandi ita se habent,nam imprimis extinctis omnibus filiis à patre productis,ipsius patris amittitur paternitas, salua remanente actiua generandi potentiâ: rursus verò è contra sublata potestate actiua generandi,à patre, (quod multoties factum experientia testatur) potest remanere paternitas comparatione filiorum ab ipso patre productorum: ergo paternitas realiter distinguitur ab actiua generandi potentia.

Posterior verò pars propositionis probatur etiã exemplo,similitudo quæ intercedit inter duos parietes albos,non potest realiter separari à suo fundamento remoto,scilicet albedine,quia non alia de causa datur similitudo inter duos parietes albos, quàm quia in illis est communis albedo:ergo quædam relationes non sunt realiter à suis fundamentis distinctæ.

Obiicies,remisso relationis fundamento, potest intendi relatio,verbi gratia, remissa albedine vnius corporis albi,vt sex,& posita in quarto gradu, potest intendi, imò de facto intẽditur similitudo inter hoc corpus quod erat album,vt quatuor, & aliud corpus pariter album vt quatuor: ergo relatio à suo fundamento remoto, realiter distinguitur.

Neganda est consequentia,nam licet remisso relationis fundamento,augeatur ipsa relatio,quia tamen relatio illa non potest esse sine fundamento, verbi gratia similitudo sine albedine,in qua remotè fundatur,numquam dicetur ab ipso suo fundamẽto realiter distingui.

Secunda propositio.

Relationes omnes, à remotis suis fundamentis,saltem formaliter,& ex natura rei,non autem sola ratione ratiocinata distinguuntur.

Ratio clara est, ea distinguuntur formaliter, & ex natura rei, non tantùm ratione, quæ diuersas habēt definitiones essentiales: atqui relatio, & eius fundamentum, verbi gratia similitudo, & albedo sortiuntur essentiales definitiones diuersas, vt omnes vident: ergo distinguuntur formaliter, & ex naturâ rei, non autem sola ratione.

Confirmatur, si relatio distingueretur tantùm ratione, & non formaliter à suo fundamēto remoto, eadem esset natura relationis, & fundamenti, & sic, cùm fundamentum relationis sit substantia, quantitas, qualitas, & aliud quoduis genus entis, natura relationis simul esset substantia, quantitas, qualitas, &c. quod tamen apertè falsum est.

MEMBRVM SECVNDVM.

Vtrum ratio formalis terminandi relationem, sit absoluta, an verò relatina.

Notandum est ad explicationē huius difficultatis, aliud esse quærere, quid sit actu terminare relationem, aliud quæ sit ratio formalis eam relationem terminādi; nam actu terminare relationem in re ipsa quæ terminat, est tantùm aliqua externa denominatio, ex eo desumpta, quòd ad eam aliquid de facto referatur, verbi gratia filium actu terminare paternitatem, est tantùm in ipso externa quædam denominatio ex eo petita quod pater de facto ad ipsum referatur: at verò ratio formalis terminādi relationem, id est ratione cuius aliquid habet quod potuit ipsam relationem terminare, verbi gratia in filio ratio formalis terminandi relationem paternitatis, id est, cuius vi habet ipse filius, quod possit talem paternitatem terminare: si-

cut cùm oculus parietem album intuetur, ipse paries albus, est id quod videndi actum terminat, albedo verò in ipso pariete existens est formalis ratio cur paries ipse visionem terminare possit, & de hac ratione formali terminandi relationem, præsens quæstio instituitur, an sit aliquid absolutum, an verò ipsamet relatio: v.g. an in filio ratio formalis terminandi paternitatem sit ipsa eius natura, vel passiua generatio, an verò filiatio.

Prima sententia est Caietani, prima parte quæst. 13. art. 7. rationem formalem terminandi omnes relationes, tam mutuas, quàm non mutuas, esse aliquid respectiuum, v. g. rationem formalem terminandæ paternitatis, esse in ipso filio propriam filiationem, non autem aliquid absolutum, quod in ipso sit filio.

2. Sententia distinctione vtitur, fatetur enim terminum formalem relationum non mutuarum, quarum scilicet vna est tantùm realis, & secundùm esse, altera rationis & secundùm dici, vt creatoris & creaturæ, scibilis & scientiæ, esse absolutum, mutuarum verò respectiuum.

Tertia & postrema sententia, est Scoti in tertium sententiarum dist. 30. quæst. 1. & commentatoris eiusdem Licheti eodem loco, relationes omnes, siue mutuas, siue non mutuas, habere terminos formales absolutos, non autem respectiuos. Hanc sententiam vt probabiliorem amplectimur, duplicíq; propositione explicamus.

Prima propositio.

IN relationibus non mutuis, terminus formalis vnius relationis est aliquid absolutum, non verò respectiuum.

Probatur, vnius relationis terminus, in eiusmodi

relationibus non mutuis, non est reipsa relatiuus, sed ratione tantùm, & secundùm nostrum dicendi, concipiendíq; modum: v. g. cum creatura refertur ad creatorem tanquam ad terminum, creator non est reipsa relatiuus, sed solo nostro dicendi & cōcipiendi modo: ergo cum relationis realis, qualis est ex parte vnius termini in relationibus non mutuis, terminus debeat esse realis, sequitur planè ipsam realem relationem vnius termini in relationibus nō mutuis terminari ad aliquem terminum formalem absolutum, non autem respectiuum.

Secunda propositio.

ETiam in relationibus mutuis, terminus formalis relationis est aliquid absolutum, non autem aliquid respectiuum, nisi per accidens.

Probatur: ratio formalis terminandi relationem eadem est cum ratione formali fundandi correlationem v. g. ratio formalis terminandi paternitatem, eadem est cum ratione formali fundandi filiationem: nimirum passiua filij generatione: sicut enim causam reddimus cur filius referatur ad patrē, quòd fuerit ab ipso genitus: sic etiam eandem causam possumus assignare, cur sit aptus paternitatem terminare: atqui ratio formalis fundandi correlationem est aliquid absolutum, vt in filiatione, passiua generatio: ergo ratio formalis terminandi relationem in relationibus mutuis est aliquid absolutum, non autem respectiuum.

Dixi terminum formalem relationis esse aliquid absolutum, nisi per accidens contrarium eueniat: quando enim contingit relationem esse fundamētum alterius relationis, tunc fit, vt terminus formalis relationis possit dici respectiuus, scilicet propter ipsam relationem, in qua alia fundatur.

Obiic. 1. vnum relatum refertur ad alterum correlatum v. g. pater ad filium: ergo ratio formalis terminandi relationem eſt aliquid relatiuum.

Neganda eſt conſequentia: ſequitur enim tantùm vnum relatum aliud terminare, ſed non, vnam relationem eſſe rationem formalem aliam terminandi, quę duo longè diſtinguuntur, vt initio huius membri tradidimus.

Obiic. 2. Si relatio terminetur ad aliquid abſolutum nempe ad fundamentum correlationis, cum tale fundamentum præcedat ipſam correlationem ordine naturæ, v. g. paſſiua generatio filij ipſam filiationem, nam in priori inſtanti naturæ concepimus filium fuiſſe genitum, deinde in alio ſequenti, filiationem reſultare: ſequitur vnum relatum ordine naturæ aliud præcedere, verbi gratia, patrem, ſuum filium, quod tamen eſt contra Ariſtotelem, & omnes Philoſophos, qui communiter docent relata omnia eſſe ſimul naturâ.

Reſpondeo admittendo conſequentiam, ſcilicet propriè loquendo, relata nõ dici ſimul naturà, quaſi in aliquo priore inſtanti naturæ non detur vna relatio, v. g. paternitas per ſuum terminum formalem terminata, ſcilicet, per filium, vt eſt homo à patre genitus, antequam detur alterum correlatum, putà filius, per ſuam filiationem conſtitutus, quoniam vt benè probat argumentum, filiatio exurgit in filio, ex eo quòd fuerit à patre productus, relata autem à Phyſicis ſimul naturâ dici conſueuerunt, duntaxat quatenus ſunt correlata. i. ad ſe mutuò relata, non autem quatenus ſunt purè relata, & vnum duntaxat ad illud referri intelligitur.

Poſtremò obiicies vnum relatum per aliud cognoſci, verbi gratia, patrem per filium: ergo vna re-

latio est omninò simul naturâ, cum alia opposita, ad eámque terminatur.

Distinguo antecedens, vnum relatum cognoscitur per aliud, ratione fundamenti concedo, ratione correlationis nego: v.g. pater cognoscitur per filiũ ratione sui fundamenti, scilicet passiuæ generationis: vt enim patrem intelligamus, sufficit quòd eum aliquem genuisse filium cognoscamus.

MEMBRVM TERTIVM.

Vtrum sit vnica relatio ad plures terminos æquè immediatos.

EXpressè posui, ad plures terminos æquè immediatos, quia certum est eandem esse relationem ad plures terminos, quorum alter sit proximus; & immediatus, alter remotus, atque mediatus, vt est relatio visiuæ facultatis ad visionem, tanquam ad terminum immediatum, & ad visibile, tanquam ad mediatũ, relatio item generis ad species & indiuidua, ad illas proximè, ad hæc verò remotè: præsens itaq; difficultas est de eo relato quod ad plures terminos, eósque propinquos refertur, vt de patre, qui ad multos filios à se genitos immediatè refertur, vtrũ vnâ & eadẽ relatione ad illos omnes referatur.

Affirmant D. Thomas 3. parte quæst. 35. art. 5. in corpore, Caietanus ibidem, & reliqui Thomistæ.

E contrario verò, & longè probabilius, subtiliúsque negat subtilis Scotus in tertium sententiarum dist. 8. qu. vnica & omnes eius discipuli, asserúntque reuera multas esse in eodem patre paternitates respectu multorum filiorum.

Probatur primò hæc sententia: rectè multiplicã-

tur relationes propter varias rationes eas fundandi: atqui plures sunt atque distinctæ rationes fundandi in eodem patre, qui multos genuit filios, nimirũ plures actiuę filiorũ generationes: ergo in patre qui multos genuit filios, debent dari plures relationes paternitatis, tot scilicet, quot sũt illi filij producti.

2. Cuilibet relationi alia correspondet: ergo cùm multi filij producti habeant plures & adæquatas relationes ad eumdem patrem à quo geniti sunt, debent in patre multæ relationes admitti, quæ ipsorum filiorum relationibus correspondeant.

Denique sublato vno filio, v. g. primogenito, aliis remanẽtibus pater amittit relationem ad illũ suum filium primogenitum, aliis ad alios filios relationibus conseruatis: ergo signum est diuersam esse relationem patris ad filium primogenitum, & ad alios: ac consequenter tot esse in patre relationes paternitatis, quot sunt filij ab ipso geniti.

Obiic. 1. genus vnica relatione refertur ad species æquè immediatas, v. g. animal ad hominem & brutum: ergo similiter pater vnicà relatione refertur ad multos filios.

Neganda est consequentia ob insignem disparitatem, plures enim species eiusdẽ generis, non sunt nisi vnus totalis terminus relationis ipsius generis: vnâque sublata non remanet amplius totalis, & adæquata generis relatio: at verò vnicus filius à patre genitus, est terminus totalis relationis paternitatis, eóque vnico existente totalis manet & adæquata paternitas.

Instabis, quàre potius vnicus filius habeat rationẽ adæquatam terminandi paternitatem, quàm vnica species terminandi relationem generis?

Resp. rationem esse, quia ad perfectam, & cóple-

tam paternitatẽ tãtùm sufficit vnicus filius, at verò ad relationẽ generis necessariò multæ species exiguntur, quib⁹ genus ipsũ dicitur aptũ cõmunicari.

2. Obiicies si in eodẽ patre essent multæ paternitates, vnus & idẽ pater esset plures patres, quod repugnat: consequentia probatur: vna paternitas facit vnum patrem: ergo si sint plures paternitates in eodem patre, vnus & idem pater erit plures patres.

Resp. negando consecutionem, ad eius probationem dico vnicam paternitatem, iunctam vni subiecto facere vnum patrem, & multas paternitates iunctas pluribus subiectis plures patres constituere, secus tamen si vni eidémque subiecto vniantur, vt in proposito.

Postremò obiicies, si in eodem patre reperiantur multæ paternitates respectu multorũ filiorum, multa accidentia eiusdem speciei, solo numero distincta reperientur in eodem numero subiecto: at hoc est inauditum, aliàs duæ quoque possent in eodem pariete albedines admitti, & duæ Dialecticæ in eodem intellectu, quod nunquam cogitabitur: ergo in eodem patre non possunt esse multæ paternitates respectu multorum filiorum.

Resp. simpliciter negãdo minorem, ad eius probationem dicendum est accidentia eiusdem speciei esse in duplici differentia, alia enim habent similes effectus formales, seu simile penitus subiecto conferunt vt duæ albedines quod sit album: alia licet eiusdẽ speciei, tamẽ dissimiles videntur sortiri effectus formales, & dissimile quid efficere, vt species visibiles quę varios & dissimiles effect⁹ formales habẽt pro diuersitate rerũ quas repręsentãt, & sic alia dicitur esse species intẽtionalis visibilis, quæ albedinẽ cygni, nigredinẽ Æthiopis, & similes colores

repræ-

repræsentat:itémq; relationes, vtpotè variæ paternitates, quæ cũ sint diuersorum terminorum, scilicet filiorum, dissimiles effectus sortiri videntur: & sic alius dicitur effectus formalis paternitatis ad filium primogenitum; nimirum respectus ad illum, alius ad secundum, scilicet respectus ad ipsum, alius ad tertium, & ita deinceps. Quod spectat ad priora accidentia, certum est multa eiusdem speciei, solo numero distincta, non posse recipi in vno eodémq; subiecto v. g. plures albedines in eodem pariete: quia simile semper in illo præstant: contrarium verò statuendum est de posterioribus accidentibus, vt sunt variæ relationes, verbi gratia paternitates.

Huic difficultati alij aliam annectunt, an sicut plures sunt paternitates in eodem patre ad plures filios, sic etiam dentur multæ filiationes in eodem filio ad patrem & matrem, à quibus genitus est, an verò sit vnica tantùm, terminata ad vtrúmque parentem, tanquam ad vnum terminum totalem, & ad alterum tanquam ad partialem.

Resp. vnicam tantùm esse in filio ad patrem & matrem, totalem & adæquatam filiationis relationem; nam cum pater & mater sint tãtùm vnica causa totalis productionis filij eiusdem, nequeunt esse nisi vnus totalis terminus ad quem referatur.

Occurres; quare potius eadem filiatione filius refertur ad patrem & matrem, quàm pater eadem paternitate ad multos filios?

Resp. rationem esse, quia vnicus filius habet adæquatam rationem terminandi relationem patris & matris vt ex eo patet quod ad talem relationẽ vnicus filius sufficiat: at verò pater & mater coniungi debeant, vt vnicam totalem rationem terminandi filiationem efficiant, cum vterque parens exigatur,

& ad filij productionem, & vt completa, & adęquata seruetur filiatio.

Obiic. sublato vno parente, & alio remanente, filius amittit relationem ad parentem illum de medio sublatum, conseruata relatione ad parentem superstitem: ergo ad vtrumque parentem duæ sunt in filio admittendæ filiationes.

Resp. ad antecedens, sublato vno parente, & altero remanente nec totam deperdi rationem filiationis, nec totam remanere, sed inadæquatè deperdi, id est, respectu vnius termini inadæquati, scilicet defuncti parentis, & inadæquatè remanere, respectu vnius termini inadęquati, putà parentis superstitis, ideoque fuisse de facto in filio duplicem relationē ad vtrumque parentem, partialem, & inadæquatam: vnicam tamen totalem, ad vtrúmque simul: quod hoc loco intendimus.

MEMBRVM QVARTVM.

Vnde petantur vnitas, & distinctio relationis.

VT hæc difficultas distinctè expediatur, breuiter repetendum est ex iis, quæ suprà diximus, vnitatem esse triplicem, numericam, vt Petri, specificam, vt hominis in specie, & singulorum hominum: & genericam, vt animalis omniúmque eius specierum.

Rursus notandum distinctionem pariter esse in triplici differentia: aliam tantum numericam, vt Petri, & Pauli: aliam specificam, vt hominis, & bruti, aliam denique genericam animalis, & plantæ, corporis, & spiritus: hinc secundùm varia illa vnitatum & distinctionum genera varias statuimus propositiones.

Prima propositio.

VNitas numerica relationum non petitur à solo fundamento remoto, nec à solo termino adæquato, sed ab vtroque simul.

1. Pars huius propositionis demonstratur: in patre qui multos habet filios est tantùm vnicum numero fundamentum, remotum, nimirum actiua potentia generandi filium, & tamen ex dictis multiplex admittitur relatio paternitatis in patre ad multos filios: igitur à solo fuddamento remoto non desumitur vnitas numerica relationis.

2. Pars, scilicet numericam relationis vnitatem non peti à solo termino adæquato, etiam probatur: possunt esse multæ relationes ad eumdem numero terminum cuilibet adæquatum, vt ad eumdem cygnum multæ numero similitudines ex parte multorum cygnorum & alborum parietum: ergo à solo termino adæquato non desumitur vnitas numerica relationis.

3. Denique pars, scilicet vnitatem numericam relationis simul desumi ex vnitate fundamenti & termini, sequitur ex præcedentibus: vnitas numerica relationis non desumitur ex sola vnitate numerica nec fundamenti vel termini, vt probatum est, ergo ab vnitate vtriusq; desumi debet, adeò vt vna dicatur relatio, cum vnum est fundamentum & vnus terminus totalis, sicut vna est relatio parietis albi ad alium, quia huius relationis vnicum est fundamentum, nimirum albedo existens in pariete qui refertur, & vnicus adæquatus terminus, scilicet alius paries albus ad quem ille refertur.

Secunda propositio.

AD distinctionem numericam relationis sufficit vel distinctio numerica fundamenti, vel termini totalis.

Probatur, vt sit vna tantùm numero relatio, ex præcedenti propositione debet esse vnicum fundamentum, & vnicus terminus totalis: ergo vt relatio non sit vna numero, proindeque vt sit numero distincta, sufficit distinctio numerica, vel fundamenti, vel termini totalis.

Dico termini totalis, quia licet sit multiplex terminus partialis, non tamen desinit eadem numero esse relatio, vt relatio filij ad patrem, & matrem: necnon generis ad varias species, ex superioribus.

Tertia propositio.

AD vnitatem specificam relationis non sufficit sola vnitas specifica, vel fundamenti remoti, vel termini totalis.

Probatur: similitudo, & dissimilitudo, quæ sunt relationes specie distinctæ, possunt habere fundamentũ eiusdem speciei, nempe albedinem: cygnus enim per suam albedinem vtramque relationem fundat similitudinis ad alium cygnum, dissimilitudinis verò ad coruum: item ad eundem specie terminum, v. g. ad eundem cygnum specie distinctæ relationes possunt terminari, scilicet similitudinis ex parte alterius cygni, & dissimilitudinis, ex parte Æthiopis, vel corui: ergo ad vnitatem specificam relationis non sufficit vnitas specifica, vel solius fundamenti, vel termini totalis.

Quarta propositio.

ALiquando non requiritur ad vnitatem specificam relationis, vnitas specifica, vel fundamenti remoti, vel termini.

Probatur prior pars: in diuersis specie fundamẽtis remotis fundari possunt eædem specie relationes, verbi gratia, ad coruum & cygnum, duæ similitudines, vna ad coruum, ex parte alterius corui, altera ad cygnum ex parte alterius cygni: ergo ad vnitatem specificam relationis aliquando non requiritur vnitas specifica termini.

Itaque dicendum est ad vnitatem specificam relationum constituendam cum speciali fundamento remoto, simul spectandam esse rationem fundandi, seu fundamentum proximum, & ita omnes relationes esse eiusdem speciei quæ præter proprium, & certi cuiusdam generis fundamentum remotum, habent eamdem specie rationem fundandi; vt omnes similitudines, quæ præter qualitates in quibus remotè fundantur, earum vnitatem, tanquam rationem fundandi obtinent.

Quinta propositio.

AD distinctionem specificam relationis, vniuersaliter loquendo, non sufficit sola distinctio fundamenti, quia in distinctis specie fundamẽtis, vt in nigredine corui, & albedine cygni possunt fundari eædem specie similitudines: altera ex parte corui ad coruum, altera ex parte cygni ad cygnum: nec item sola distinctio specifica termini, quia ad terminos specie distinctos, v. g. ad coruum, & cygnũ eiusdẽ speciei similitudines terminari possunt, ad coruum ex parte alterius corui: altera ad cygnũ

relationibus non mutuis, non eſt reipſa relatiuus, ſed ratione tantùm,& ſecundùm noſtrum dicendi, concipiendíq; modum:v.g. cum creatura refertur ad creatorem tanquam ad terminum, creator non eſt reipſa relatiuus,ſed ſolo noſtro dicendi & cõcipiendi modo:ergo cum relationis realis, qualis eſt ex parte vnius termini in relationibus non mutuis, terminus debeat eſſe realis, ſequitur planè ipſam realem relationem vnius termini in relationibus nõ mutuis terminari ad aliquem terminum formalem abſolutum,non autem reſpectiuum.

Secunda propoſitio.

ETiam in relationibus mutuis, terminus formalis relationis eſt aliquid abſolutum, non autem aliquid reſpectiuum,niſi per accidens.

Probatur: ratio formalis terminandi relationem eadem eſt cum ratione formali fundandi correlationem v. g. ratio formalis terminandi paternitatem,eadem eſt cum ratione formali fundandi filiationem: nimirum paſſiua filij generatione: ſicut enim cauſam reddimus cur filius referatur ad patrẽ,quòd fuerit ab ipſo genitus: ſic etiam eandem cauſam poſſumus aſſignare,cur ſit aptus paternitatem terminare:atqui ratio formalis fundandi correlationem eſt aliquid abſolutum, vt in filiatione, paſſiua generatio: ergo ratio formalis terminandi relationem in relationibus mutuis eſt aliquid abſolutum,non autem reſpectiuum.

Dixi terminum formalem relationis eſſe aliquid abſolutum, niſi per accidens contrarium eueniat: quando enim contingit relationem eſſe fundamẽtum alterius relationis,tunc fit, vt terminus formalis relationis poſſit dici reſpectiuus,ſcilicet propter ipſam relationem,in qua alia fundatur.

Obiic. 1. vnum relatum refertur ad alterum correlatum v. g. pater ad filium: ergo ratio formalis terminandi relationem est aliquid relatiuum.

Neganda est consequentia: sequitur enim tantùm vnum relatum aliud terminare, sed non, vnam relationem esse rationem formalem aliam terminandi, quę duo longè distinguuntur, vt initio huius membri tradidimus.

Obiic. 2. Si relatio terminetur ad aliquid absolutum nempe ad fundamentum correlationis, cum tale fundamentum præcedat ipsam correlationem ordine naturæ, v. g. passiua generatio filij ipsam filiationem, nam in priori instanti naturæ concepimus filium fuisse genitum, deinde in alio sequenti, filiationem resultare: sequitur vnum relatum ordine naturæ aliud præcedere, verbi gratia, patrem, suum filium, quod tamen est contra Aristotelem, & omnes Philosophos, qui communiter docent relata omnia esse simul naturâ.

Respondeo admittendo consequentiam, scilicet propriè loquendo, relata nō dici simul naturà, quasi in aliquo priore instanti naturæ non detur vna relatio, v. g. paternitas per suum terminum formalem terminata, scilicet, per filium, vt est homo à patre genitus, antequam detur alterum correlatum, putà filius, per suam filiationem constitutus, quoniam vt benè probat argumentum, filiatio exurgit in filio, ex eo quòd fuerit à patre productus, relata autem à Physicis simul naturâ dici consueuerunt, duntaxat quatenus sunt correlata. 1. ad se mutuò relata, non autem quatenus sunt purè relata, & vnum duntaxat ad illud referri intelligitur.

Postremò obiicies vnum relatum per aliud cognosci, verbi gratia, patrem per filium: ergo vna re-

latio est omninò simul naturâ, cum alia opposita, ad eámque terminatur.

Distinguo antecedens, vnum relatum cognoscitur per aliud, ratione fundamenti concedo, ratione correlationis nego: v.g. pater cognoscitur per filiũ ratione sui fundamenti, scilicet passiuæ generationis: vt enim patrem intelligamus, sufficit quòd eum aliquem genuisse filium cognoscamus.

MEMBRVM TERTIVM.

Vtrum sit vnica relatio ad plures terminos æquè immediatos.

EXpressè posui, ad plures terminos æquè immediatos, quia certum est eandem esse relationem ad plures terminos, quorum alter sit proximus; & immediatus, alter remotus, atque mediatus, vt est relatio visiuæ facultatis ad visionem, tanquam ad terminum immediatum, & ad visibile, tanquam ad mediatũ, relatio item generis ad species & indiuidua, ad illas proximè, ad hæc verò remotè: præsens itaq; difficultas est de eo relato quod ad plures terminos, eósque propinquos refertur, vt de patre, qui ad multos filios à se genitos immediatè refertur, vtrũ vnâ & eadẽ relatione ad illos omnes referatur.

Affirmant D. Thomas 3. parte quæst. 35. art. 5. in corpore, Caietanus ibidem, & reliqui Thomistæ.

E contrario verò, & longè probabilius, subtiliúsque negat subtilis Scotus in tertium sententiarum dist. 8. qu. vnica & omnes eius discipuli, asserúntque reuera multas esse in eodem patre paternitates respectu multorum filiorum.

Probatur primò hæc sententia: rectè multiplicã-

tur relationes propter varias rationes eas fundandi: atqui plures sunt atque distinctæ rationes fundandi in eodem patre, qui multos genuit filios, nimirũ plures actiuę filiorũ generationes: ergo in patre qui multos genuit filios, debent dari plures relationes paternitatis, tot scilicet, quot sũt illi filij producti.

2. Cuilibet relationi alia correspondet: ergo cùm multi filij producti habeant plures & adæquatas relationes ad eumdem patrem à quo geniti sunt, debent in patre multæ relationes admitti, quæ ipsorum filiorum relationibus correspondeant.

Denique sublato vno filio, v. g. primogenito, aliis remanẽtibus pater amittit relationem ad illũ suum filium primogenitum, aliis ad alios filios relationibus conseruatis: ergo signum est diuersam esse relationem patris ad filium primogenitum, & ad alios: ac consequenter tot esse in patre relationes paternitatis, quot sunt filij ab ipso geniti.

Obiic. 1. genus vnica relatione refertur ad species æquè immediatas, v. g. animal ad hominem & brutum: ergo similiter pater vnicâ relatione refertur ad multos filios.

Neganda est consequentia ob insignem disparitatem, plures enim species eiusdẽ generis, non sunt nisi vnus totalis terminus relationis ipsius generis: vnâque sublata non remanet amplius totalis, & adæquata generis relatio: at verò vnicus filius à patre genitus, est terminus totalis relationis paternitatis, eóque vnico existente totalis manet & adæquata paternitas.

Instabis, quáre potius vnicus filius habeat rationẽ adæquatam terminandi paternitatem, quàm vnica species terminandi relationem generis?

Resp. rationem esse, quia ad perfectam, & cõple-

tam paternitatẽ tãtùm sufficit vnicus filius, at verò ad relationẽ generis necessariò multæ species exiguntur, quib⁹ genus ipsũ dicitur aptũ cõmunicari.

2. Obiicies si in eodẽ patre essent multæ paternitates, vnus & idẽ pater esset plures patres, quod repugnat: consequentia probatur: vna paternitas facit vnum patrem: ergo si sint plures paternitates in eodem patre, vnus & idem pater erit plures patres.

Resp. negando consecutionem, ad eius probationem dico vnicam paternitatem, iunctam vni subiecto facere vnum patrem, & multas paternitates iunctas pluribus subiectis plures patres constituere, secus tamen si vni eidémque subiecto vniantur, vt in proposito.

Postremò obiicies, si in eodem patre reperiantur multæ paternitates respectu multorũ filiorum, multa accidentia eiusdem speciei, solo numero distincta reperientur in eodem numero subiecto: at hoc est inauditum, aliàs duæ quoque possent in eodem pariete albedines admitti, & duæ Dialecticæ in eodem intellectu, quod nunquam cogitabitur: ergo in eodem patre non possunt esse multæ paternitates respectu multorum filiorum.

Resp. simpliciter negãdo minorem, ad eius probationem dicendum est accidentia eiusdem speciei esse in duplici differentia, alia enim habent similes effectus formales, seu simile penitus subiecto conferunt vt duæ albedines quod sit album: alia licet eiusdẽ speciei, tamẽ dissimiles videntur sortiri effectus formales, & dissimile quid efficere, vt species visibiles quę varios & dissimiles effect⁹ formales habẽt pro diuersitate rerũ quas repręsentãt, & sic alia dicitur esse species intẽtionalis visibilis, quæ albedinẽ cygni, nigredinẽ Æthiopis, & similes colores

repræ-

repræſentat:itémq; relationes,vtpote variæ paternitates, quæ cũ ſint diuerſorum terminorum, ſcilicet filiorum, diſſimiles effectus ſortiri videntur: & ſic alius dicitur effectus formalis paternitatis ad filium primogenitum; nimirum reſpectus ad illum, alius ad ſecundum, ſcilicet reſpectus ad ipſum, alius ad tertium, & ita deinceps. Quod ſpectat ad priora accidentia, certum eſt multa eiuſdem ſpeciei, ſolo numero diſtincta, non poſſe recipi in vno eodémq; ſubiecto v. g. plures albedines in eodem pariete: quia ſimile ſemper in illo præſtant: contrarium verò ſtatuendum eſt de poſterioribus accidentibus, vt ſunt variæ relationes, verbi gratia paternitates.

Huic difficultati alij aliam annectunt, an ſicut plures ſunt paternitates in eodem patre ad plures filios, ſic etiam dentur multæ filiationes in eodem filio ad patrem & matrem, à quibus genitus eſt, an verò ſit vnica tantùm, terminata ad vtrúmque parentem, tanquam ad vnum terminum totalem, & ad alterum tanquam ad partialem.

Reſp. vnicam tantùm eſſe in filio ad patrem & matrem, totalem & adæquatam filiationis relationem; nam cum pater & mater ſint tãtùm vnica cauſa totalis productionis filij eiuſdem, nequeunt eſſe niſi vnus totalis terminus ad quem referatur.

Occurres, quare potius eadem filiatione filius refertur ad patrem & matrem, quàm pater eadem paternitate ad multos filios?

Reſp. rationem eſſe, quia vnicus filius habet adæquatam rationem terminandi relationem patris & matris vt ex eo patet quod ad talem relationẽ vnicus filius ſufficiat: at verò pater & mater coniungi debeant, vt vnicam totalem rationem terminandi filiationem efficiant, cum vterque parens exigatur,

& ad filij productionem, & vt completa, & adęquata seruetur filiatio.

Obiic. sublato vno parente, & alio remanente, filius amittit relationem ad parentem illum de medio sublatum, conseruata relatione ad parentem superstitem: ergo ad vtrúmque parentem duæ sunt in filio admittendæ filiationes.

Resp. ad antecedens, sublato vno parente, & altero remanente nec totam deperdi rationem filiationis, nec totam remanere, sed inadæquatè deperdi, id est, respectu vnius termini inadæquati, scilicet defuncti parentis, & inadęquatè remanere, respectu vnius termini inadęquati, putà parentis superstitis, ideoque fuisse de facto in filio duplicem relationē ad vtrúmque parentem, partialem, & inadæquatam: vnicam tamen totalem, ad vtrúmque simul: quod hoc loco intendimus.

MEMBRVM QVARTVM.

Vnde petantur vnitas & distinctio relationis.

VT hæc difficultas distinctè expediatur, breuiter repetendum est ex iis, quæ suprà diximus, vnitatem esse triplicem, numericam, vt Petri, specificam, vt hominis in specie, & singulorum hominum: & genericam, vt animalis omniúmque eius specierum.

Rursus notandum distinctionem pariter esse in triplici differentia: aliam tantum numericam, vt Petri, & Pauli: aliam specificam, vt hominis, & bruti, aliam denique genericam animalis, & plantæ, corporis, & spiritus: hinc secundùm varia illa vnitatum & distinctionum genera varias statuimus propositiones.

Prima propositio.

VNitas numerica relationum non petitur à ſolo fundamento remoto, nec à ſolo termino adæquato, ſed ab vtroque ſimul.

1. Pars huius propoſitionis demonſtratur: in patre qui multos habet filios eſt tantùm vnicum numero fundamentum, remotum, nimirum actiua potentia generandi filium, & tamen ex dictis multiplex admittitur relatio paternitatis in patre ad multos filios: igitur à ſolo fuddamento remoto non deſumitur vnitas numerica relationis.

2. Pars, ſcilicet numericam relationis vnitatem non peti à ſolo termino adæquato, etiam probatur: poſſunt eſſe multæ relationes ad eumdem numero terminum cuilibet adæquatum, vt ad eumdem cygnum multæ numero ſimilitudines ex parte multorum cygnorum & alborum parietum: ergo à ſolo termino adæquato non deſumitur vnitas numerica relationis.

3. Denique pars, ſcilicet vnitatem numericam relationis ſimul deſumi ex vnitate fundamenti & termini, ſequitur ex præcedentibus: vnitas numerica relationis non deſumitur ex ſola vnitate numerica nec fundamenti vel termini, vt probatum eſt, ergo ab vnitate vtriuſq; deſumi debet, adeò vt vna dicatur relatio, cum vnum eſt fundamentum & vnus terminus totalis, ſicut vna eſt relatio parietis albi ad alium, quia huius relationis vnicum eſt fundamentum, nimirum albedo exiſtens in pariete qui refertur, & vnicus adæquatus terminus, ſcilicet alius paries albus ad quem ille refertur.

Quarta propositio.

ALiquando non requiritur ad vnitatem specificam relationis, vnitas specifica, vel fundamenti remoti, vel termini.

Probatur prior pars: in diuersis specie fundamẽtis remotis fundari possunt eædem specie relationes, verbi gratia, ad coruum & cygnum, duæ similitudines, vna ad coruum, ex parte alterius corui, altera ad cygnum ex parte alterius cygni: ergo ad vnitatem specificam relationis aliquando non requiritur vnitas specifica termini.

Itaque dicendum est ad vnitatem specificam relationum constituendam cum speciali fundamento remoto, simul spectandam esse rationem fundandi, seu fundamentum proximum, & ita omnes relationes esse eiusdem speciei quæ præter proprium, & certi cuiusdam generis fundamentum remotum, habent eamdem specie rationem fundandi; vt omnes similitudines, quæ præter qualitates in quibus remotè fundantur, earum vnitatem, tanquam rationem fundandi obtinent.

Quinta propositio.

AD distinctionem specificam relationis, vniuersaliter loquendo, non sufficit sola distinctio fundamenti, quia in distinctis specie fundamẽtis, vt in nigredine corui, & albedine cygni possunt fundari eædem specie similitudines: altera ex parte corui ad coruum, altera ex parte cygni ad cygnum: nec item sola distinctio specifica termini, quia ad terminos specie distinctos, v. g. ad coruum, & cygnũ eiusdẽ speciei similitudines terminari possunt, ad coruum ex parte alterius corui: altera ad cygnũ

ex parte alterius cygni; imo verò aliquãdo possunt esse relationes eiusdem speciei, tametsi & fundamenta specie diuersa sint & termini specie distincti vt duæ similitudines, vna ex parte parietis albi ad alium parietem album, quæ fundatur in albedine, & ad parietem terminatur; altera ex parte Æthiopis, ad alium Æthiopem quæ fundatur in nigredine, & ad Æthiopem terminatur.

Quapropter, eo modo ac suprà dicendum est ad distinctionem specificam relationis cõstituendam, habendam esse rationem distincti fundamenti proximi, præter remotum; ita vt relationes sint specie distinctæ, quæ habent diuersam rationem fundandi, seu fundamentum proximum, vt paternitas, & similitudo, quarum illa habet actionem, hæc verò vnitatem pro ratione fundandi.

Postrema propositio.

VNitas, & distinctio generica relationis non est constituenda per diuersa genere fundamẽta remota, vt nonnulli incautè contendunt, alioquin tot essent relationum genera quot entium in quibus fundantur, quod non videtur cõmodum: sed vnitas statuenda est per gradum communem genericum relationis, in quo conueniunt multæ relationes diuersæ speciei, sicut homo, & brutum per gradum cõmunem & genericum animalis sortiuntur vnitatem genericam. Distinctio verò generica per respectum ad varias species sub diuerso relationis genere contentas, sicut animal & planta dicuntur genere distingui, quia ad distinctas species sub ipsis comprehensas referuntur, animal ad varias species animalis, planta ad distinctas similiter species plantæ.

MEMBRVM POSTREMVM.

De quibusdam aliis leuioribus relatorum affectionibus.

PRæter eas quas hactenus numerauimus relatorum affectiones, aliæ ex Aristotele cap. de relatis desumuntur.

1. Est quod *contrarietatem suscipiant*, quæ proprietas non debet intelligi de relatis, vt relata sunt, sed ratione suorum fundamentorum, ita vt illæ relationes habeant contraria, quæ habent fundamenta contrarietatis capacia, vt similitudo, & dissimilitudo, quæ fundantur in contrariis qualitatibus, albedine nimirum, & nigredine: non autē illæ quarum fundamenta nullam possunt contrarietatem obtinere, vt relationes omnes in substantia, vel quantitate fundatæ.

2. Proprietas est, *relationem intendi, & remitti*, seu suscipere magis, & minus: quæ quidē proprietas re vera non conuenit omnibus relatis, cū teste eodem Arist. suprà, duplum, & dimidium sint relata, quæ tamen nec intensionem, nec remissionē suscipiunt: nec etiam illis conuenit secundùm essentiam, quasi vna relatio sit magis essentialiter relatio, quàm alia, cum generatim *essentiæ* sint instar numerorum indiuisibiles, intentionis, & remissionis, additionis, vel detractionis incapaces, ex iam dictis: sed tātum ratione entitatis, seu modi essentiam consequentis, vt superiùs agendo de proprio diximus.

3. Proprietas est, *relata inter se reciprocari*, sic pater dicitur filij pater, & filius patris filius, nullúsque est pater sine filio, aut è contra.

Quarta est, *relata esse simul natura*: quod intellige de relatis, vt correlata sunt, vt de patre, vt pater

est,& filio,vt filius est:non autem absolutè de relatis, quia in aliquo priori instanti naturæ intelligitur esse pater,antequam intelligatur filius, vt filius, sed tantum vt homo genitus.

Postrema proprietas est,quòd vno cognito relato aliud debeat innotescere:quod non estverum de relatis,nisi vt correlata sunt, non autem vt simpliciter relata:quia pater v.g. potest cognosci sine filiatione,modò intelligatur fundamentum talis filiationis,nimirum passiua generatio, seu quòd sit homo à patre genitus.

QVÆSTIO QVARTA.

De Qualitate.

ARTICVLVS PRIMVS.

De nomine & varia acceptione Qualitatis.

QValitas,generatim loquendo,id omne significat,à quo res dicitur qualis: vnde trifariam sumitur. 1. pro eo omni quod aliud determinat ad aliquod esse,& prædicatur in quale, quo pacto etiā differentia essentialis dici potest qualitas, quia genus determinat ad certam aliquam speciem, & de ipsa specie in quale quid prædicatur.

2. Sumitur pro omni accidēte, quatenus in quale prædicari potest,& eo sensu,tam proprium, quàm accidens possunt habere rationem qualitatis, quoniam de suis subiectis in quale prædicantur.

3. Postremò accipitur Qualitas pro illo peculiari accidente, à quo res dicitur peculiariter qualis, vt sunt scientia,doctrina, calor,frigus, aliæque qualitates,& eo modo qualitatis nomen hîc accipimus, & deinceps vsurpabimus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De existentia qualitatis.

EXistentiâ Qualitatis præsuppositâ, explicanda est celeberrima illa qualitatis diuisio in quatuor geminas species, *in habitum & dispositionem: naturalem facultatem, & imbecillitatem: patibilem qualitatem, & passionem: formam, & figuram.* Cuius quidē diuisionis bonitas hac ratione commodè ostenditur: qualitas aut est exterior, & in superficie substantiæ, aut interior: si prius, est forma, vel figura, si posterius vel sensibus subiicitur, vel non: si subiiciatur, erit patibilis qualitas, vel passio, vt calor, color, & similes qualitates, si non subiiciatur, vel erit innata à naturâ, vel acquisita: si innata, erit naturalis facultas, aut imbecillitas, vt intellectus, voluntas, visus, & similes qualitates: si acquisita, erit habitus, vel dispositio, vt scientia, fortitudo, & cæteri habitus: sicque tantum erunt quatuor istæ geminæ species qualitatis assignatæ, habitus, & dispositio, naturalis facultas, & imbecillitas, patibilis qualitas, & passio, forma, & figura: & consequenter bona erit ac sufficiens assignata diuisio.

Occurres, multas alias videri qualitates, quæ ad has species reuocari non possunt, vt sunt actus immanentes, species intentionales, asperitas item, læuitas, raritas, opacitas, grauitas, lenitas, & cæteræ eiusmodi qualitates.

Quod spectat ad actus immanentes, distinctione vtendum est, duo in illis cōsideranda sunt, & actio ipsa, quæ à facultate procedit, & ipse terminus, qui per illam acquiritur: sicut in productione caloris, hæc duo optimè distinguuntur, actio productiua,

caloris, & calor per talem actionem productus: sicque dicendum est, actus immanentes, ratione prioris, scilicet actionis, non esse qualitates, sed ad aliud genus pertinere, scilicet ad genus actionis: verùm esse qualitates ratione posterioris, scilicet termini, qui per talem actionem acquiritur, maximè cum ab iis actibus, quales denominari soleamus, vt pote scientes, amantes, cupientes, ab actibus scientiæ, amoris, & cupiditatis.

Quæres ad quam speciem qualitatis isti actus immanentes reuocari debeant.

Respondeo ad primam speciem pertinere, esseque dispositiones, quæ in tali prima specie continentur.

Probatur, ratio dispositionis in eo consistit, quod disponat ad acquisitionem habitus perfecti: atqui hæc ratio cōpetit actibus immanentibus, nam per actus immanētes, scientiæ verbi gratia, disponimur ad acquisitionem perfecti habitus scientiæ, ergo actus immanentes iure optimo referuntur ad primam speciem qualitatis, tanquam dispositiones.

Quòd attinet ad species intentionales, dico eas pertinere ad eandem primam speciem qualitatis, & esse habitus.

Probatur, species intentionales sunt quædam imagines rerum per sensus percipiendarum, quæ cum sensibus ipsis concurrunt ad eliciendos actus, quibus res obiectæ percipiantur, verbi gratia, species intentionales rerum visibilium sunt ipsæ earum imagines, quæ in oculo receptæ, cum eodem efficienter concurrunt ad visionem eliciendam, ergo cum illæ species ordinentur ad operationem, nec tamen sint potentiæ naturales, vt omnes fatentur, debēt pertinere ad primam speciem qualitatis

& quia non sunt dispositiones, nequit enim dici ad quid disponant, necessariò sunt habitus.

Oppones, habitus dare facilitatem ad operandũ, quod tamen non competit speciebus intentionalibus, v. g. speciebus rerum visibilium, cum nullam oculo ad videndum facilitatem conferant, sed ea tota ab ipsius oculi acie pendeat.

Respondeo alios dici habitus iudicatiuos, alios apprehensiuos; iudicatiuos se tenere ex parte potentiarum, & facultatum, illísq; conferre habilitatem ad agendũ, & propterea quasi proprio nomine habitus nuncupari: apprehẽsiuos verò se tenere ex parte obiectorum, vt species intentionales, nec cõferre istam ad agẽdum prõptitudinem, atque adeò, vulgari philosophorum sermone non esse propriè habitus, sed tantum impropriè loquendo, & sic ad primam illam speciem, quæ habitum & dispositionem complectitur, tanquam habitus reuocari.

Quod attinet ad asperitatẽ, lenitatem, raritatem, & opacitatem, respondeo, ex probabiliori opinione, pertinere ad genus qualitatis, & esse quasdam figuras consurgentes ex variâ positione quantitatis.

Quod denique spectat ad grauitatem, & leuitatem, aliqui eas qualitates reuocant ad 2. speciem qualitatis, scilicet ad naturalem potẽtiam, in quantum natura sua ordinantur ad corpora in sua propria, & naturalia loca deferenda.

Alij, & non sine probabilitate, ad tertiam speciem qualitatis, scilicet ad patibilem qualitatem, & passionem reuocant, quatenus consequuntur formam, & sub sensus cadere possunt, in quo consistit ratio patibilis qualitatis.

Posset rursus obiici, multas qualitates in hac diuisione fuisse numeratas, quæ tamen non sunt veræ

qualitates: verùm huius obiectionis solutio pendet ex infrà dicendis, vbi singulas species qualitatis in particulari examinabimus.

ARTICVLVS TERTIVS.

De essentia qualitatis in communi.

QValitatem in communi ita nonnulli definiũt: Qualitas est accidens absolutum, formam consequens.

Dicunt primò absolutum, ad distinctionem relationis addunt verò consequens formam, ad differẽtiam quantitatis, quæ materiam consequitur, aliorúmque modorum, qui ipsam quantitatem comitantur, vt vbi, situs, & habitus in corporibus.

Sed hæc definitio ideò reiicitur, quòd secundùm illam forma & figura non essent species qualitatis, cum ex dictis, quantitatem, quæ modum materiæ imitatur, consequantur, non autem formam.

Aristoteles verò aliam tradit qualitatis definitionem, *qualitas est accidens à quo res denominatur qualis.*

Verùm hæc definitio non satis clara est, & semper dubium relinquit, quid sit illud, à quo qualitas habet, vt possit subiectum denominare quale.

Omniũ igitur aptissimè Suarez in Metaphysicis, disputatione 42. sect. 1. qualitatem sic describit: *qualitas est accidens absolutum, substantiæ creatæ adiunctum, ad complementum suæ perfectionis, tam in agendo, quàm in existendo.*

Primò dicitur accidens, ad differentiam substantiæ, secundò absolutum, ad discrimen relationis, tertiò substantiæ creatæ adiunctum, vt intelligamus eam quoque rebus spiritalibus creatis competere, in quo discrepat à quantitate, quæ solis rebus corporeis competit.

Quartò additur, ad complementum perfectionis eius, i. ad eam intrinsecè perficiendam, & per modum alicuius formæ inhærentis, in quo distinguitur à sex vltimis speciebus accidentis, ab actione & passione, quòd sint potius via ad consequendum aliquem terminum, quàm formæ intrinsecè substantiā afficientes, ab vbi verò, situ, quando, & habere, quod extrinsecè tantùm videantur afficere substantiam, & per modum quorumdam adiacentium, qualitas intrinsecè: sed hoc fiet apertius infrà, vbi sex illas species accidentis examinabimus. Hæc de essentia qualitatis in communi; singularum specierum essentias distinctis membris explicemus.

MEMBRVM PRIMVM.

De essentia habitus, & dispositionis.

QVoniam habitus natura ex multis pendet, primò ex notitiā vocabuli, secundò ex discrimine à dispositione, propterea ante omnia varias habitus, & dispositionis acceptiones recensebimus, deinde explicabimus essentiam habitus, & in quo à dispositione distinguatur, variis diuisionibus ad Moralem reuocatis.

Quod ad primum attinet, primò sumitur habitus pro modo habendi; siue quantitatē, siue qualitatem, siue vestem, siue annulum, siue partem, vt caput; siue in se, vt dolium dicitur habere vinum, siue possessionem, vt agrum, siue demùm vxorem, qui sunt octo modo habendi, quos Aristoteles refert, vltimo cap. huius libri, & eo sensu non debet vsurpari habitus hoc in loco.

Secundò accipitur habitus pro circumpositione

vestis, seu modo qui resilit, ex adiacenti; vestis, ad rem vestitam, quo pacto constituit vltimam speciem accidentis; & est impertinens ad hoc genus qualitatis.

Tertiò sumitur pro termino alicuius motus, quo sensu ait Aristoteles præsentibus habitibus cessare motum, id est præsentibus terminis, qui debent per motum acquiri, & hæc etiam acceptio non refert ad præsens institutum, cùm non solas qualitates primæ speciei, quas quærimus, complectatur, sed etiam qualitates aliarum specierum, imò & formas substantiales, quantitatem, quoque, vbi, & locum, quatenus variarum mutationum sunt termini, ex communi Philosophorum sententia.

Quartò, & vltimò sumitur pro aliqua qualitate acquisitâ, & aduentitiâ, ratione cuius subiectum benè vel malè afficitur ad operandum: *propriè* verò & strictè, pro eâ qualitate quæ confert potentiæ facilitatem ad operandum, quo pacto species intelligibiles, & intentionales non complectitur, quæ quidem se tenent ex parte obiectorum, non potentiarum, licet tamen ad hanc speciem habitus reuocentur, quatenus cum potentiis cōcurrunt ad productionem actionum, vt superius diximus.

Dispositio quoque multis modis vsurpatur, primò pro situ & positione corporis in loco, quo sensu aliquod corpus hoc vel illo modo dicimus esse dispositum: sedere, stare, & aliquo alio simili modo se habere.

Secundò sumitur pro præparatione, quo pacto dicimus aliquem sese ad opus disponere, quia ad illud præparat necessaria.

Tertiò accipitur pro qualitate acquisita, substantiam afficiente in ordine ad operationem: in hoc

tamen ab habitu ſegregatur, quòd habitus firmior ſit, & firmiùs ſubiecto adhæreat, vt ſcientia firma, & omnibus partibus abſoluta; diſpoſitio verò ſit leuior, & minus in ſubiecto roborata, vt ſcientia imperfecta, & nondum omni ex parte completa.

Quæritur hic, vtrum diſcrimen illud quod intercedit inter habitum & diſpoſitionē, eſſentiale ſit, an verò tantum accidentale. Hæc quęſtio vt ſoluatur.

Notandum eſt, diſpoſitionem eſſe duplicē, vnam quæ conſiſtit in actu primo, eſtque habitus minus intenſus, vtpote ſcientia infirma, & nondum ſatis confirmata: alteram quæ conſiſtit in actu 2. & eſt id quod producitur per actus immanentes, vel intellectus, vel voluntatis, vel alterius eiuſmodi facultatis quod proinde dicitur à ſubiecto facilē mobile, quia peractâ actione illius facultatis à qua producitur, ſtatim deperditur. Hoc poſito, ſit

Prima propoſitio.

SI diſpoſitio priori modo accipiatur pro illâ qualitate, quæ ſe tenet ex parte actus primi, leuiter tamen ſubiectum afficit, non diſtinguitur ſpecie & eſſentialiter ab habitu, ita Ariſtoteles cap. de qualitate, habitum, & diſpoſitionem, tanquam vnam ſpeciem numerans.

Accedit ratio: quando duo ita ſe habent, vt ſolum penes magis & minus diuturnum differant, accidentariò tantùm, & non eſſentialiter diſtinguuntur, vt albedo vnius diei, & decem annorum: atqui ſecundū Ariſtotelem, citato cap. de qualitate, habitus & diſpoſitio, non aliter inter ſe diſcrepant quā quod habitus firmiùs maneat in ſubiecto, diſpoſitio verò leuiùs: ergo habitus & diſpoſitio, accidentariò tantùm, & non eſſentialiter diſtinguuntur.

Secunda propositio.

SI dispositio accipiatur posteriori modo, scilicet pro actu secundo, seu termino qui acquiritur per actus immanentes, probabilius est eam specie, & essentialiter ab habitu differre.

Probatur, ea specie, & essentialiter distinguuntur quorum vnum includit aliquid essentialiter, quod non includitur in altero: atqui habitus includit aliquid essentialiter, nempe determinare potentiam ad actum, quod dispositio prædicto modo sumpta non continet, vt liquet ex dictis: ergo habitus & dispositio, pro actu secundo sumpta, specie & essentialiter distinguuntur.

MEMBRVM SECVNDVM.

De essentia naturalis facultatis, & imbecillitatis.

HOc loco *naturalis facultas* sumitur pro qualitate congenitâ, quæ sit in substantia primum operandi principium, idque firmum, & validum, vt intellectus acutus, & visus perspicax, *impotentia* verò sumitur pro eadem qualitate, sed languidâ, & infirmâ, vt hebes intellectus, & visus prauo aliquo humore affectus. Porrò naturalis potentia, & impotentia, seu imbecillitas, sic sumptæ, non essentialiter, sed accidentariò tantum distinguuntur.

Probatur: visus in iuuene qui facilè videt, dicitur potentia naturalis, impotentia verò in sene, qui videndi difficultate laborat: atqui visus in iuuene, & visus in sene, non distinguuntur essentialiter, sed duntaxat accidentariò: ergo potentia naturalis, & impotentia, accidentariò tantùm, & non essentialiter distinguuntur.

Superest, vt aliquot breues subiungamus naturalis potentiæ diuisiones.

Prima est, in potentiam corporis, & potentiam animæ.

Potentia corporis duplex, vna actiua, vt virtus magnetis ad trahendum ferrum, altera passiua, vt durities, & mollities in corporibus.

Potentia verò animæ quintuplex, vegetatiua, sensitiua, appetitiua, loco motiua, & rationalis.

Rursus vegetatiua potentia, duplex, vna principalis, altera administra.

Principalis triplex, nutritiua, augmentatiua, & generatiua.

Administra quadruplex, attractrix, concoctrix, retentrix, & expultrix, de quibus Physici.

Potentia sensitiua duplex, exterior & interior.

Exterior in quinque species diuiditur, visum, auditum, gustum, olfactum & tactum.

Interior complectitur sensum communem, phantasiam, cogitatiuam, & memoriam.

Appetitiua duplex, rationalis vna, nempe voluntas, & irrationalis altera: eáque duplex, concupiscibilis, & irascibilis de quib. in morali philosophia.

Loco motiua ea est, quæ ad motum ordinatur, ad progrediendum, natandum, &c.

Ratiocinatiua denique est intellectus ad differendum natus.

MEMBRVM TERTIVM.

De essentia patibilis qualitatis, & passionis.

PAtibile, potissimum bifariam vsurpatur, primò pro eo quod passionem potest recipere, vt lignum, calefactionem: secūdò pro eo quod ex graui

passione oritur, vt pallor, ex diuturno, & inueterato morbo ortus.

Passio quoque multis modis sumitur, vt videbimus in ethicis, disputatione de passionibus: hoc verò loco propriè vsurpatur pro illa qualitate, quæ vel leuem passionem efficit in subiecto, vel ex leui causâ proficiscitur, & sic facilè mobilis est, vt rubor ex verecundiâ nat...

Patibilis qualitas, communiter definitur, *qualitas firmiter subiecto inhærens, eique adueniens, ad sui ornamentum primò & per se*, vt est calor respectu ignis, & albedo respectu parietis.

Dicitur *firmiter inhærens subiecto*, ad distinctionem passionis, quæ ex dictis subiectum suum leuiter afficit, ab eóque sine negotio dimouetur.

Dicitur prætereà *ad ornamentum substantiæ*, 1. & per se, vt distinguatur à qualitatibus primæ, & secundæ speciei, quæ proprie, & per se, ad operationem ordinantur.

Ex his sequitur, patibilem qualitatem, & passionem, non constituere duas species qualitatis, sed vnam tantùm, & solo accidentariò discrimine inter se separari: cùm verbi gratia idem sit pallor specie, & essentialiter, qui ex graui causâ, scilicet inueterato morbo, nascitur, & ex leui causa, putà metu, proficiscitur, solúmque duplex ille pallor distinguitur penès magis, & minus firmum, quæ speciem mutare non possunt, solum discrimen accidentale inducunt, ex omnibus Physicis.

Diuiditur primò patibilis qualitas, in primas qualitates, secundas & medias.

Primæ sunt, quæ ex aliis non oriuntur, sed ex quibus aliæ dimanant, vt calor, frigus, humor, & siccitas: *secundæ* quæ ex ipsis primis oriuntur, vt sapo-

res, odores & similes. *Media* denique illæ sunt, quæ nec sunt primæ, nec ex primis ortæ, vt soni.

Secundò diuiditur patibilis qualitas secundùm sensus, adeò vt alia dicatur, quæ visum afficit, vt color, & lumen, alia auditum, vt sonus; alia gustum, vt sapor, alia odoratum, vt odor, alia denique tactum, vt calor, & alia quæuis qualitas tactilis.

MEMBRVM TERTIVM.

De essentia formæ & figuræ.

FOrmæ acceptio duplex, vna latissima, quatenus significat id omne quod subiecto aduenit, siue sit substantiale, siue accidentale, quo pacto cōprehendit omnes formas, siue substantiales, vt est anima, siue accidentales, vt sunt color, quantitas, & similes, quatenus materiæ adueniunt: altera strictior, & ad hūnc locū accommodata, iuxta quam forma dicitur esse qualitas, resultans ex terminatione quātitatis in materia consideratæ, vt triangulum, ex terminatione trium linearum, ad tres angulos constituendos, in certo aliquo & determinato corpore.

Figura verò trifariam sumitur, 1. metaphoricè, & impropriè, quo sensu dicimus dari quasdam in Dialectica, & Rhetorica figuras, 2. pro signo alicuius rei, quo modo dicunt Theologi, paschalem agnum esse figuram dominicæ passionis, 3. denique, & propriè accipitur pro aliqua qualitate, resultāte ex varia terminatione quantitatis consideratæ sine corpore, seu vt alij dicunt, Mathematicè, quo modo triangulum dicitur esse figura, quatenus resultat ex terminatione trium linearū, ad tres angulos cōficiendos, prout in nullo corpore esse intelligitur.

Ex quo patet manifestè, formam & figuram, non

esse species qualitatis, essentialiter distinctas, sed vnicam, accidentario discrimine à se distinctam : patet inquam, etenim triangulum, & dicitur forma, quatenus in corpore concipitur, & figura quatenus in quantitate præcisè sumptâ esse intelligitur, quod discrimen tantùm accidentarium est.

Confirmatur, quantitas considerata in corpore, & quantitas sine corpore spectata, non differunt essentialiter, sed accidentariò tantùm : ergo nec forma & figura quæ quantitatem consequuntur, essentialiter distinguentur, ex eo quòd quantitas in corpore concipiatur, vel sine corpore, sed tantùm accidentariò.

Cæterùm figuræ diuisiones ex Mathematicis sunt petendæ, potissimum ex Euclide, omnium Mathematicorum facilè principe.

ARTICVLVS POSTREMVS.

De affectionibus qualitatis.

TRes refert Aristoteles qualitatis proprietates; prima est, quòd sit *capax contrarietatis*, quo sensu ait calorem, esse frigori contrarium, & reuera albedo nigredini contraria est.

Hæc verò proprietas non conuenit omni qualitati, si de propria contrarietate intelligatur, neque enim qualitates secundæ speciei, & quartę sunt propriè contrarię ita vt sese possint ab eodem subiecto expellere, in eóque vicissim recipi, in quo consistit propria ratio coutrarietatis, neque etiam competit mediis coloribus, vt pote viridi, rubro, & cæteris, quia inter se maximè non distant, quod tamẽ exigitur ad perfectam contrarietatem, vt infrà patebit.

Secunda proprietas est, quod sit *intensionis, &*

remissionis capax, vt calor & frigus, intelligitur primò, vt suprà, ratione tantum entitatis, intelligitur secundò de quibusdam tantùm qualitatibus, non omnibus, nam forma & figura, intellectus, & aliæ similes facultates naturales, nullam planè suscipiunt intensionem, & remissionem.

Postrema qualitatis proprietas est, *quod ab ea res dicantur similes, vel dissimiles*, vt duo homines docti, similes; doctus & ignarus, dissimiles. Nec certè mirum videri debet, quod similitudo, & dissimilitudo, quæ sunt relationes, dicantur proprietates qualitatis, si quidem nõ requiritur ad rationẽ proprietatis, vt sit in eodẽ genere, in quo res ipsa collocatur, cuius est proprietas, cũ risibilitas sit vera hominis proprietas, licet non collocetur cum homine, & in genere substantię, sed qualitatis, vt oẽs concedunt.

QVÆSTIO V. ET SEXTA.

De actione & passione.

Cum actio, & passio sint vna & eadem res, commodè simul pertractantur.

Itaq; definitur actio, *actus agentis quatenus est agẽs*, vel vt alij dicunt, *accidens, quo res formaliter denominatur agens*, vt ignis calefaciens, à calefactione.

Passio verò dicitur, *actus patientis, quatenus est patiens*, seu *accidens, quo res formaliter denominatur patiens*, vt lignum à calefactione in se receptâ, pati, scilicet calefieri dicitur.

Ex quibus duo consequuntur, primum actionem & passionem non esse duas res realiter distinctas, sed vnicam tantum, etenim eadem res, quatenus ab agente manat, actio; quatenus verò in subiecto recipitur, passio nuncupatur: nec fieri potest vt detur

actio sine passione, aut è contra passio sine actione, quod tamen esset necessarium, si inter se realiter distinguerentur.

Secundò sequitur, actionem & passionem distingui formaliter, & ex naturâ rei, cùm varias habeant definitiones essentiales, ex quibus petitur distinctio formalis ex natura rei.

Cæterùm diuiditur primò actio, in momentaneam, & successiuam: *momentanea est illa, quæ fit in instanti*, vt generatio hominis, & similes: *successiua verò, quæ per aliquam tēporis morā, successiuè peragitur*, vt calefactio ignis, & aliæ eiusmodi.

Rursus diuiditur *in immanentem, & transeuntem: immanens est, quæ in eodem, à quo orta est, principio recipitur*, vt actio intellectus, quæ ab intellectu proficiscitur, in eodem recipitur, ac manet.

Trāsiēs autē illa est *quæ in subiecto externo recipitur*, vt calefactio ignis in ligno. Reliqua de actione & passione ex Physicis sunt petenda, & expectanda.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Quando.

DE tempore ampla est disputatio in Physicâ, quatenus sumitur pro duratione, nos de illo hîc non agimus, quia *quando*, quod nunc explicare aggredimur, *est aliquid distinctum à tempore ex eo resultans, à quo res tunc fuisse, vel nunc esse dicitur*, verbi gratia heri, & hodie, ex eo quòd in tali duratione extiterit, vel nunc existat.

Tres sunt huius accidentis proprietates. Prima est quòd nullum habeat cōtrarium: si quidem licet heri fuisse, & cras fore, videantur contraria, propriè tamen non sunt sed tantùm impropriè, sicut diffe-

rentia generis diuisiuæ, dicuntur contrariæ, eò quod sub eodem genere positæ, maximè distent.

Secunda proprietas est, quòd *quando*, non recipiat magis & minus, si quidem reuerà nullum cras, magis est cras, quàm aliud, nec vllum hodie, magis hodie, quàm aliud.

Postrema est, quòd, *quando*, solis rebus corruptibilibus competat, sicut tempus à quo resultat, ex communi doctrinâ Physicorum.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Vbi.

QVamquam *Vbi*, magnam cum loco affinitatē habere videatur, in eo tamen præsertim ab eo distinguitur, quòd vbi latiùs pateat, quàm locus, & in Angelis, ac animabus rationalibus admittatur, in quibus locus reperiri non potest, cum sit superficies corporis, aliud tantùm corpus ambientis.

Igitur *Vbi* propriè dicitur, *modus realis, & intrinsecus, resultās ex ipsa rei existētia in loco per quē modū, res hic formaliter esse dicitur, & non alibi, saltē naturæ virib.* vt præceptor in cathedrâ, discipul' in scholâ.

Diuiditur Vbi, *in definitiuum, circumscriptiuum.*

Definitiuum præsertim dignoscitur in rebus spiritualibus, Angelis scilicet, & animabus rationalibus, quatenus, sine vllâ partium multitudine, certò tamen spatio definiuntur, certámq; præsentiæ sphæram obtinent.

Circumscriptiuum verò tantùm admittitur in corporibus, quæ ita sunt in loco, vt habeant partem vnam, vni loci parti correspondentem, alteram alteri, & sic de cæteris.

Duæ sunt huius accidētis proprietates: prima est

nullum habere contrarium: nam licet ſurſum, & deorſum, videantur eſſe contraria, propriè tamen non ſunt, ſed tantum impropriè, ſicut duæ differentiæ eiuſdem generis diuiſiuæ, verbi gratia rationale, & irrationale: & præterea ſurſum & deorſum, propriè ad vbi non ſpectant, ſed ſunt differentiæ loci, de quo non agimus.

Altera proprietas eſt, quod vbi, nec intendatur, nec remittatur, & rectè, cum nullum vbi, alio magis, minúſve vbi eſſe videatur, licet aliquando magis, vel minus.

QVÆSTIO NONA.

De ſitu.

SItus duplicem habet ſignificationem, impropriã vnam, propriam alteram: *impropria* eſt, qua ſumitur pro ipſo loco, in quo res dicitur eſſe ſita, ſecundùm quam acceptionem, communiter dicimus, locum in quo domus conſtructa eſt, proprium eſſe ipſius ſitum.

Propria vero ſignificatio ſitus eſt, vt accipiatur, pro aliquo modo reali, reſultante ex poſitione corporis in loco, per certam aliquam correſpondentiam partium corporis, ad partes loci.

Differt autem ſitus, eo modo ſumptus ab vbi circumſcriptiuo, quod *vbi circumſcriptiuum*, dicat duntaxat modum aliquem reſultantem ex exiſtentiâ corporis in loco, per correſpondentiam ſuarum partium ad partes loci, abſtrahendo à diſpoſitione illarum partium, vt ſcilicet, vna ſit ſuperior, altera inferior, vna ante, alia poſt, ſitus autem hanc partium diſpoſitionem includat.

Confirmatur hoc diſcrimen ſitus ab vbi circum-

ſcriptiuo, ex eo quòd, mutato vbi circumſcriptiuo, aliquando non mutetur ſitus, vt cum aliquis eodem modo ſe habens, tranſit ab vno loco ad alium: in eo enim caſu nouum vbi circumſcriptiuum acquirit, quia nouam habet in loco præſentiam, per correſpondentiam ſuarum partium ad partes loci: nec tamen ſitum mutat, cum ſemper habeat ſuas partes eodem modo diſpoſitas, ſi ſemper ex hypotheſi ſtet, vel ſedeat.

Diuiditur ſitus, in naturalem, & voluntarium.

Naturalis dicitur, qui eſt à natura, vt caput habere in ſublime erectum, & in brutis animantibus verſus terram reclinatum.

Voluntarius verò dicitur, qui pendet à voluntate, vt ſtare, ſedere, & ſimilibus modis ſe habere.

Affectiones ſitus duæ ſunt, prior quòd non habeat contrarium; poſterior, quòd non ſuſcipiat magis & minus.

Dices ſtare & iacere, eſſe ſitus contrarios.

Reſp. eſſe tantum contrarios, impropria contrarietate, ſicut duæ ſpecies ſub eodem genere poſitæ dicuntur contrariæ, ratione oppoſitarum differentiarum, non autem eſſe contrarios propriâ contrarietate, ſicut calor & frigus, dicuntur ſibi eſſe contraria.

QVÆSTIO POSTREMA.

De habitu ſeu habere.

Aliqui putant habitum eſſe veſtem, aut aliquid ſimile, quatenus externâ denominatione, rem veſtitam, vel alio modo ſe habentem, denominat.

Alij, & melius, dicunt *eſſe modum aliquem reſultan-*

Secunda propositio.

SI dispositio accipiatur posteriori modo, scilicet pro actu secundo, seu termino qui acquiritur per actus immanentes, probabilius est eam specie, & essentialiter ab habitu differre.

Probatur, ea specie, & essentialiter distinguuntur quorum vnum includit aliquid essentialiter, quod non includitur in altero: atqui habitus includit aliquid essentialiter, nempe determinare potentiam ad actum; quod dispositio prædicto modo sumpta non continet, vt liquet ex dictis: ergo habitus & dispositio, pro actu secundo sumpta, specie & essentialiter distinguuntur.

MEMBRVM SECVNDVM.

De essentia naturalis facultatis, & imbecillitatis.

HOc loco *naturalis facultas* sumitur pro qualitate congenitâ, quæ sit in substantia primum operandi principium, idque firmum, & validum, vt intellectus acutus, & visus perspicax, *impotentia* verò sumitur pro eadem qualitate, sed languidâ, & infirmâ, vt hebes intellectus, & visus prauo aliquo humore affectus. Porrò naturalis potentia, & impotentia, seu imbecillitas, sic sumptæ, non essentialiter, sed accidentariò tantum distinguuntur.

Probatur: visus in iuuene qui facilè videt, dicitur potentia naturalis, impotentia verò in sene, qui videndi difficultate laborat: atqui visus in iuuene, & visus in sene, non distinguuntur essentialiter, sed duntaxat accidentariò: ergo potentia naturalis, & impotentia, accidentariò tantùm, & non essentialiter distinguuntur.

Superest, vt aliquot breues subiungamus naturalis potentiæ diuisiones.

Prima est, in potentiam corporis, & potentiam animæ.

Potentia corporis duplex, vna actiua, vt virtus magnetis ad trahendum ferrum, altera passiua, vt durities, & mollities in corporibus.

Potentia verò animæ quintuplex, vegetatiua, sensitiua, appetitiua, loco motiua, & rationalis.

Rursus vegetatiua potentia, duplex, vna principalis, altera administra.

Principalis triplex, nutritiua, augmentatiua, & generatiua.

Administra quadruplex, attractrix, concoctrix, retentrix, & expultrix, de quibus Physici.

Potentia sensitiua duplex, exterior & interior.

Exterior in quinque species diuiditur, visum, auditum, gustum, olfactum & tactum.

Interior complectitur sensum communem, phantasiam, cogitatiuam, & memoriam.

Appetitiua duplex, rationalis vna, nempe voluntas, & irrationalis altera: eáque duplex, concupiscibilis, & irascibilis de quib. in morali philosophia.

Loco motiua ea est, quæ ad motum ordinatur, ad progrediendum, natandum, &c.

Ratiocinatiua denique est intellectus ad disserendum natus.

MEMBRVM TERTIVM.

De essentia patibilis qualitatis, & passionis.

Patibile, potissimum bifariam vsurpatur, primò pro eo quod passionem potest recipere, vt lignum, calefactionem: secũdò pro eo quod ex graui

passione oritur, vt pallor, ex diuturno, & inueterato morbo ortus.

Passio quoque multis modis sumitur, vt videbimus in ethicis, disputatione de passionibus: hoc verò loco propriè vsurpatur pro illa qualitate, quæ vel leuem passionem efficit in subiecto, vel ex leui causâ proficiscitur, & sic facilè mobilis est, vt rubor ex verecundiâ nat...

Patibilis qualitas, communiter definitur, *qualitas firmiter subiecto inhærens, eique adueniens, ad sui ornamentum primò & per se*, vt est calor respectu ignis, & albedo respectu parietis.

Dicitur *firmiter inhærens subiecto*, ad distinctionem passionis, quæ ex dictis subiectum suum leuiter afficit, ab eóque sine negotio dimouetur.

Dicitur prætereà *ad ornamentum substantiæ*, 1. & per se, vt distinguatur à qualitatibus primæ, & secundæ speciei, quæ proprie, & per se, ad operationem ordinantur.

Ex his sequitur, patibilem qualitatem, & passionem, non constituere duas species qualitatis, sed vnam tantùm, & solo accidentariò discrimine inter se separari: cùm verbi gratia idem sit pallor specie, & essentialiter, qui ex graui causâ, scilicet inueterato morbo, nascitur, & ex leui causa, putà metu, proficiscitur, solúmque duplex ille pallor distinguitur penès magis, & minus firmum, quæ speciem mutare non possunt, solum discrimen accidentale inducunt, ex omnibus Physicis.

Diuiditur primò patibilis qualitas, in primas qualitates, secundas & medias.

Primæ sunt, quæ ex aliis non oriuntur, sed ex quibus aliæ dimanant, vt calor, frigus, humor, & siccites: *secundæ* quæ ex ipsis primis oriuntur, vt sapo-

res, odores & similes. *Media* denique illæ sunt, quæ nec sunt primæ, nec ex primis ortæ, vt soni.

Secundò diuiditur patibilis qualitas secundùm sensus, adeò vt alia dicatur, quæ visum afficit, vt color, & lumen, alia auditum, vt sonus; alia gustum, vt sapor, alia odoratum, vt odor, alia denique tactum, vt calor, & alia quæuis qualitas tactilis.

MEMBRVM TERTIVM.

De essentia formæ & figuræ.

FOrmæ acceptio duplex, vna latissima, quatenus significat id omne quod subiecto aduenit, siue sit substantiale, siue accidentale, quo pacto cōprehendit omnes formas, siue substantiales, vt est anima, siue accidentales, vt sunt color, quantitas, & similes, quatenus materiæ adueniunt: altera strictior, & ad hunc locū accommodata, iuxta quam forma dicitur esse qualitas, resultans ex terminatione quātitatis in materia consideratæ, vt triangulum, ex terminatione trium linearum, ad tres angulos constituendos, in certo aliquo & determinato corpore.

Figura verò trifariam sumitur, 1. metaphoricè, & impropriè, quo sensu dicimus dari quasdam in Dialectica, & Rhetorica figuras, 2. pro signo alicuius rei, quo modo dicunt Theologi, paschalem agnum esse figuram dominicæ passionis, 3. denique, & propriè accipitur pro aliqua qualitate, resultāte ex varia terminatione quantitatis consideratæ sine corpore, seu vt alij dicunt, Mathematicè, quo modo triangulum dicitur esse figura, quatenus resultat ex terminatione trium linearū, ad tres angulos cōficiendos, prout in nullo corpore esse intelligitur.

Ex quo patet manifestè, formam & figuram, non

esse species qualitatis, essentialiter distinctas, sed vnicam, accidentario discrimine à se distinctam: patet inquam, etenim triangulum, & dicitur forma, quatenus in corpore concipitur, & figura quatenus in quantitate præcisè sumptâ esse intelligitur, quod discrimen tantùm accidentarium est.

Confirmatur, quantitas considerata in corpore, & quantitas sine corpore spectata, non differunt essentialiter, sed accidentariò tantùm: ergo nec forma & figura quæ quantitatem consequuntur, essentialiter distinguentur, ex eo quòd quantitas in corpore concipiatur, vel sine corpore, sed tantùm accidentariò.

Cæterùm figuræ diuisiones ex Mathematicis sunt petendæ, potissimum ex Euclide, omnium Mathematicorum facilè principe.

ARTICVLVS POSTREMVS.

De affectionibus qualitatis.

TRes refert Aristoteles qualitatis proprietates; prima est, quòd sit *capax contrarietatis*, quo sensu ait calorem, esse frigori contrarium, & reuera albedo nigredini contraria est.

Hæc verò proprietas non conuenit omni qualitati, si de propria contrarietate intelligatur, neque enim qualitates secundæ speciei, & quartę sunt propriè contrarię ita vt sese possint ab eodem subiecto expellere, in eóque vicissim recipi, in quo consistit propria ratio coutrarietatis, neque etiam competit mediis coloribus, vt pote viridi, rubro, & cæteris, quia inter se maximè non distant, quod tamẽ exigitur ad perfectam contrarietatem, vt infrà patebit.

Secunda proprietas est, quod sit *intensionis*, &

remissionis capax, vt calor & frigus, intelligitur primò, vt suprà, ratione tantum entitatis, intelligitur secundò de quibusdam tantùm qualitatibus, non omnibus, nam forma & figura, intellectus, & aliæ similes facultates naturales, nullam planè suscipiunt intensionem, & remissionem.

Postrema qualitatis proprietas est, *quod ab ea res dicantur similes, vel dissimiles*, vt duo homines docti, similes; doctus & ignarus, dissimiles. Nec certè mirum videri debet, quod similitudo, & dissimilitudo, quæ sunt relationes, dicantur proprietates qualitatis, si quidem nõ requiritur ad rationẽ proprietatis, vt sit in eodẽ genere, in quo res ipsa collocatur, cuius est proprietas, cũ risibilitas sit vera hominis proprietas, licet non collocetur cum homine, & in genere substantię, sed qualitatis, vt oẽs concedunt.

QVÆSTIO V. ET SEXTA.

De actione & passione.

CVm actio, & passio sint vna & eadem res, commodè simul pertractantur.

Itaq; definitur actio, *actus agentis quatenus est agẽs*, vel vt alij dicunt, *accidens, quo res formaliter denominatur agens*, vt ignis calefaciens, à calefactione.

Passio verò dicitur, *actus patientis, quatenus est patiens*, seu *accidens, quo res formaliter denominatur patiens*, vt lignum à calefactione in se receptâ, pati, scilicet calefieri dicitur.

Ex quibus duo consequuntur, primum actionem & passionem non esse duas res realiter distinctas, sed vnicam tantum, etenim eadem res, quatenus ab agente manat, actio; quatenus verò in subiecto recipitur, passio nuncupatur; nec fieri potest vt detur

actio sine passione, aut è contra passio sine actione, quod tamen esset necessarium, si inter se realiter distinguerentur.

Secundò sequitur, actionem & passionem distingui formaliter, & ex naturâ rei, cùm varias habeant definitiones essentiales, ex quibus petitur distinctio formalis ex natura rei.

Cæterùm diuiditur primò actio, in momentaneam, & successiuam: *momentanea est illa, quæ fit in instanti*, vt generatio hominis, & similes: *successiua verò, quæ per aliquam tēporis morā, successiuè peragitur*, vt calefactio ignis, & aliæ eiusmodi.

Rursus diuiditur *in immanentem, & transeuntem*: *immanens est, quæ in eodem, à quo orta est principio recipitur*, vt actio intellectus, quæ ab intellectu proficiscitur, in eodem recipitur, ac manet.

Trāsiēs autē illa est *quæ in subiecto externo recipitur*, vt calefactio ignis in ligno. Reliqua de actione & passione, ex Physicis sunt petenda, & expectanda.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Quando.

DE tempore ampla est disputatio in Physicâ, quatenus sumitur pro duratione, nos de illo hîc non agimus, quia *quando*, quod nunc explicare aggredimur, *est aliquid distinctum à tempore ex eo resultans, à quo res tunc fuisse, vel nunc esse dicitur*, verbi gratia heri, & hodie, ex eo quòd in tali duratione extiterit, vel nunc existat.

Tres sunt huius accidentis proprietates. Prima est quòd nullum habeat cōtrarium: si quidem licet heri fuisse, & cras fore, videantur contraria, propriè tamen non sunt sed tantùm impropriè, sicut diffe-

rentia generis diuisiuæ, dicuntur contrariæ, eò quod sub eodem genere positæ, maximè distent.

Secunda proprietas est, quòd *quando*, non recipiat magis & minus, si quidem reuerà nullum cras, magis est cras, quàm aliud, nec vllum hodie, magis hodie, quàm aliud.

Postrema est, quòd, *quando*, solis rebus corruptibilibus competat, sicut tempus à quo resultat, ex communi doctrinâ Physicorum.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Vbi.

QVamquam *Vbi*, magnam cum loco affinitatē habere videatur, in eo tamen præsertim ab eo distinguitur, quòd vbi latiùs pateat, quàm locus, & in Angelis, ac animabus rationalibus admittatur, in quibus locus reperiri non potest, cum sit superficies corporis, aliud tantùm corpus ambientis.

Igitur *Vbi* propriè dicitur, *modus realis, & intrinsecus, resultās ex ipsa rei existētia in loco per quē modū, res hic formaliter esse dicitur, & non alibi, saltē naturæ virib.* vt præceptor in cathedrâ, discipul' in scholâ.

Diuiditur Vbi, *in definitiuum, circumscriptiuum.*

Definitiuum præsertim dignoscitur in rebus spiritualibus, Angelis scilicet, & animabus rationalibus, quatenus, sine vllâ partium multitudine, certò tamen spatio definiuntur, certámq; præsentiæ sphæram obtinent.

Circumscriptiuum verò tantùm admittitur in corporibus, quæ ita sunt in loco, vt habeant partem vnam, vni loci parti correspondentem, alteram alteri, & sic de cæteris.

Duæ sunt huius accidētis proprietates: prima est

ſcriptiuo,ex eo quòd,mutato vbi circumſcriptiuo, aliquando non mutetur ſitus, vt cum aliquis eodem modo ſe habens,tranſit ab vno loco ad alium: in eo enim caſu nouum vbi circumſcriptiuum acquirit,quia nouam habet in loco præſentiam, per correſpondentiam ſuarum partium ad partes loci: nec tamen ſitum mutat, cum ſemper habeat ſuas partes eodem modo diſpoſitas, ſi ſemper ex hypotheſi ſtet,vel ſedeat.

Diuiditur ſitus,in naturalem, & voluntarium.

Naturalis dicitur,qui eſt à natura,vt caput habere in ſublime erectum, & in brutis animantibus verſus terram reclinatum.

Voluntarius verò dicitur,qui pendet à voluntate, vt ſtare,ſedere,& ſimilibus modis ſe habere.

Affectiones ſitus duæ ſunt, prior quòd non habeat contrarium; poſterior, quòd non ſuſcipiat magis & minus.

Dices ſtare & iacere,eſſe ſitus contrarios.

Reſp.eſſe tantum contrarios,impropria contrarietate,ſicut duæ ſpecies ſub eodem genere poſitæ dicuntur contrariæ,ratione oppoſitarum differentiarum,non autem eſſe contrarios propriâ contrarietate,ſicut calor & frigus, dicuntur ſibi eſſe contraria.

QVÆSTIO POSTREMA.

De habitu ſeu habere.

Aliqui putant habitum eſſe veſtem, aut aliquid ſimile, quatenus externâ denominatione,rem veſtitam,vel alio modo ſe habentem,denominat.

Alij,& melius,dicunt *eſſe modum aliquem reſultan-*

tem ex adiacentia vestis, ad rem vestitam, *ratione eius, res ipsa formaliter dicitur esse vestita, vt togata, armata, &c.* vnde rectè notant Aristotelis interpretes, habitum vt hîc sumitur, solis rebus corporeis cõpetere, quia illę solæ possunt veste exterius indui.

2. Formam, à qua modus eiusmodi resultat, debere quoque esse substantiam corpoream, & sic accessione alicuius accidentis ad substantiam, v.g. albedinis ad cygnum, non censetur resultare talis modus, quo res formaliter dicitur habere.

Tertiò notant, formam adiacentem, ex qua ipse modus consurgit, non debere esse intra subiectum, cui aduenit, sicut reuera vestis non est intra rem quæ veste induitur, & sic esse capitatum, esse brachiatum, non pertinent ad genus habitus, quia caput & brachia sunt intra, id est intrinsecè, in homine, & non tantùm exterius, ac per modum adiacentium.

Species habitus multiplicari possunt pro multitudine vestimentorum, ex quibus oriuntur, vt armatum esse, togatum, & sic de cæteris.

Affectiones, seu proprietates, duæ sunt, 1. quod nullum habeat contrarium, 2. quod suscipiat magis & minus, quatenus scilicet vnum corpus, interdum magis, interdum minus dicitur vestitum, siue intensiuè, si pluribus vestibus tegatur, siue extensiuè, si plures partes tegantur: quæ proprietas, semper debet intelligi vt suprà, ratione entitatis, non autem essentiæ.

TERTIA DISPVTATIO, ET POSTREMA.

De post-Prædicamento.

SIcut ante categoriam quædam præmisimus iuxta præscriptum ordinem Aristotelis, ita enim eiusdem premẽtes vestigia, accuratæ categoriæ explicationi paucula subnectemus, ex quibus adhuc clarior euadat tota ipsa categoriæ tractatio: & sicut priora ab ordine, Anteprędicamenti nomine donata sunt, quod ante ipsum prædicamentum, seu categoriam, doceri debuerint, sic ista posteriora, quod post categoriam, seu prædicamẽtum tradi debeant, postprædicamenti titulum, noménque, præ se ferent: in quibus 1. loco agemus de oppositione, cùm generatim, tum speciatim, 2. de modis prioritatis, 3. & postremò, de modis simultatis: nam de motu, & speciebus eius, de quibus agit Aristoteles in Physica, ex professo differemus, de modis verò habendi, quos postremo cap. recenset, egimus quæst. de qualitate. artic. 3. membro 1. varias explicantes habitus acceptiones.

SECTIO PRIMA.

Huius disputationis, De oppositione.

QVÆSTIO PRIMA.

De illa generatim.

BReuitatis studio, quæcumque spectant ad oppositionem in genere, hac indiuisa quæstione complectemur.

Vt igitur oppositionis nomen, variumque vsum

vno filo absoluamus, ex altiori quodam principio exordiemur.

Not. igitur, 1. omnia entia aut esse eadem, aut diuersa: eadem, quæ naturæ communione vniuntur, vt duo homines, in natura humana: diuersa verò, quæ nullo naturæ vinculo coniunguntur, vti homo, & equus.

Rursus diuersa, aut habent repugnantiam, vt coniungantur inter se, vt visus & cæcitas, vel non habent, vt animal & rationale, quæ in eodem homine coniunguntur.

Quæ habent repugnantiam, vt sint in eodem subiecto, constituuntur in duplici differentia: alia dicuntur disparata, alia opposita.

Disparata sunt, quę licet multum inter se pugnēt, possunt tamen æqualiter, si non magis, cum aliquo alio tertio pugnare, vt homo, & equus; nam licet multum à se inuicem distent, potest tamen fieri, vt maior sit, vel saltem æqualis, vnius, v. g. hominis cum aliquo alio tertio, putà lapide, vel cane, quàm inter se repugnantia.

Opposita verò sunt ea, quæ ita inter se pugnant, vt cum nullo alio, simili modo pugnare possint, vt calor & frigus: illa autem opposita duplicis generis constituuntur, alia complexa, vt propositiones oppositę, *homo est animal: homo nō est animal*, de quibus posteà: alia simplicia, & incomplexa, res nimirum simplices, sibi omnino repugnantes, vt *albedo, & nigredo, lumen, & tenebræ*, & hæc demum opposita, cū ab Aristotele, tum ab aliis Philosophis admittū-tur, *contradicentia, vt homo, non homo: priuatiua, vt visus, cæcitas contraria, vt calor, & frigus, & relatiua, vt pater & filius*, de quibus sigillatim posteà.

Difficultas quædam communiter mouetur, quo

modo opposita inter se conueniant: pro cuius difficultatis solutione.

Notandum est, opposita duobus modis considerari, 1 materialiter, pro rebus ipsis quæ opponuntur inter se, 2. formaliter, pro oppositione. Quo notato, sit

Prima propositio.

OPposita, materialiter sumpta, pro rebus ipsis oppositis, possunt conuenire synonymè.

Probatur: res ipsæ oppositæ possunt esse eiusdem generis, vt calor, & frigus, albedo, & nigredo, pater & filius: ergo opposita, materialiter sumpta pro rebus oppositis, possunt conuenire synonymè.

Secunda propositio.

POssunt opposita, materialiter sumpta pro rebus ipsis oppositis, æquiuocè tantum, imò nullo modo conuenire.

Probatur, opposita materialiter sumpta, possunt esse forma realis, & eius priuatio, vt visus & cæcitas, possunt quoque esse ens, & non ens, vt homo, non homo: atqui forma realis, & eius priuatio, æquiuocè tantum in ente conueniunt, ex omnibus Philosophis, ens verò, & non ens, nullo pacto: ergo opposita materialiter sumpta possunt tantum æquiuocè, imò nullo modo conuenire.

Tertia propositio.

OPposita, formaliter sumpta pro ipsa oppositione, conueniunt synonymè, seu oppositio in communi, conuenit synonymè, quatuor supradictis oppositionibus.

Probatur hæc propositio contra D. Thomam, &

Scotum, quos citat, & sequitur Collegium Conimbricense, in Log. cap. de oppositis, quæst. vnica, art. 2. tota natura oppositionis in communi, essentialiter conuenit quatuor illis oppositionibus: ergo ipsis conuenit synonimè: consequentia est nota ex dictis de synonimis.

Probatur antecedens, hæc est oppositionis in cōmuni natura, vt sit duorum, quæcũque illa sint (ab hoc enim abstrahit) tanta repugnantia, vt cum alio tertio, similiter pugnare non possint: atqui talis natura conuenit omnibus oppositionibus, omnes enim faciunt extrema ita dissidere, vt non possint simili modo cum aliquo alio pugnare, ex infrà dicēdis: ergo tota natura oppositionis essentialiter conuenit quatuor prædictis oppositionibus.

Obiicies, calorem magis non calori repugnare, quàm frigori, cui contrariè opponitur: ergo contrariam oppositionem nō facere inter extrema sua tantam repugnantiam, vt eorum vnum non possit magis cum aliquo tertio pugnare, sicque non participare perfectam naturam oppositionis.

Resp concesso antecedente, explicando consequentiam, contraria oppositio non facit tantam inter extrema sua oppositionem, vt vnum nequeat cum aliquo tertio magis pugnare: dissimili modo, hoc est diuerso genere oppositionis, concedo, eodem, nego; siquidem cum calor dicitur magis non calori repugnare, quàm frigori, non retinetur similis modus oppositionis, sed respectu prioris est modus contradictoriæ oppositionis, respectu verò posterioris, est modus contrariæ: satis autem est ad naturam oppositionis in communi, quod faciat ita pugnare extrema sua, vt simili modo cum alio tertio pugnare non possint.

Rursus obiicies, vnam oppositionem magis participare naturam oppositionis, quàm aliam: ergo omnes oppositiones nõ conuenire inter se synonimè: antecedens ostenditur: maior est oppositio cõtradictoria, quã priuatiua, hæcque quàm contraria, contraria denique quàm relatiua: siquidem contradictoriè opposita ita pugnant, vt neq; in natura: neque in subiecto conueniant; priuatiua verò idẽ possũt subiectũ obtinere, vt visus & cæcitas: priuatiua in solo subiecto cõueniunt, & non in natura. cõtraria verò & in subiecto, & in natura cõuenire possũt, vt calor & frigus: denique contraria se mutuò pellunt, relatiua verò è contra, se potius ponunt, vt pater & filius: igitur vna oppositio magis participat naturam oppositionis in communi, quàm alia.

Resp. negando antecedens, ad probationem dico, quòd vna oppositio sit maior quàm alia, id non se tenere ex parte oppositionis in communi, quasi omnes oppositiones totam essentiam oppositionis in communi participent, sed se tenere ex parte eorum, quæ ipsis propria sunt, & in oppositione vniuersim sumpta non includuntur: proindéque semper omnes oppositiones supradictas, totam essentiam oppositionis participare, in eáque synonimè conuenire, vt conclusum est.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Oppositionibus in particulari.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Contradictoria.

VT ab oppositione omnium maximâ, Contradictoriâ, incipimus, illámque describimus, *re-*

pugnantiam duorum simplicium terminorum, inter se, secundùm ens,& non ens.

Dicitur, *duorum simplicium terminorum*, ad differentiam contradictoriæ oppositionis completæ, vt *omnis homo est animal: aliquis homo non est animal.*

Additur, *secundùm ens,& non ens*, ad distinctionem aliarum oppositionum, quæ hoc modo non pugnant, vt videbitur in propriis locis.

Ex hac descriptione duo consequuntur: primum talia esse contradictoriè opposita, vt nullum *medium* admittant, vt homo, non homo, proindéque alterum necessariò esse debeat.

2. Sequitur Deum non posse efficere, simul duo contradictoria esse vera, aut existere; verbi gratia, hominem simul esse hominem,& non hominem.

Nec est quod quis dicat, id arguere impotentiam in Deo, quod impium est: ex eo enim, quòd Deus contradictoria nequeat efficere, nihil de infinita eius potentia detrahitur, quæ ad omne possibile extenditur: sed potius ostenditur *repugnantia ex parte rerum quominus fiant*, quæ quidem talis est, vt eas facere, sit potius deficere, quàm facere; destruere, quàm astruere, facere enim non ens, v. g. non hominem, an non potius est aliquid demoliri, quàm quidpiam moliri,& construere?

ARTICVLVS SECVNDVS.

De oppositione priuatiua.

PRæmittenda est ante omnia, priuationis definitio, quæ his verbis solet assignari: *priuatio est carentia formæ, in subiecto apto ad illam recipiendam, secundùm tempus,& speciem.*

Dicitur 1. *carentia formæ*, in quo conuenit cū mera negatione

ra negatione,quæ est pariter carentia formæ alicuius,vt non videns in lapide,carentia visus.

2. Ponitur, *in subiecto apto*,vt discrimen constituatur inter priuationem,& puram negationẽ,quòd hæc dicat carentiam formæ in subiecto etiam incapaci,vt non videns,carentiam visus in lapide,priuatio verò non item, sed dicat necessariò priuationem in subiecto ad ipsam recipiendam idoneo,vt cęcitas carentiam visus in oculo,qui ipsius est capax.

3. Additur *secundùm tempus*,quia vt dicatur priuatio,non sufficit, quód simpliciter negetur forma in subiecto capaci, sed in eo tempore negari debet, quo eam subiectum recipere potest; & sic licet catuli non videant statim ab initio ortus, non dicuntur tamen cæci, nec censentur habere priuationem visus,quià illo tempore non sunt talis formæ capaces,nec solent eam tam citò recipere.

Tandem ponitur *secundùm speciem*, quamuis enim reperiatur carentia alicuius formæ in subiecto aliquo,àd eam recipiendam idoneo, si spectetur secundùm suum genus,illa tamen carentia non diceretur priuatio,nisi talè subiectum possit formã suscipere,secundùm propriam suam,specificámque rationem:sicque non rectè diceremus talpam esse cæcam,licet ratione sui generis scilicet animalis, videatur apta ad videndum, quia secundùm speciem suam omnino est ad videndum inepta.

Hinc satis intelligitur,quænam sit priuatiua oppositio,nimirum repugnantia inter formam seu habitum,& priuationem eiusdem, vt inter visum,& cæcitatem,auditũ,& surditatem,sicque de cæteris.

Quæstio quædam hic superest soluenda, vtrum à priuatione ad habitum,seu formam,v.g. à cæcitate, ad visum,possit dari regressus: pro cuius quæstio-

V

nis explicatione.

Notandum 1. est aliam priuationem tollere tantùm actum, & non potentiam, vt somnus solum videndi actum, non autem potentiam adimit: aliam actum simul & potentiam tollere, vt cæcitas tollit videndi actum, & simul facultatem.

Not. 2. regressum à priuatione ad formam esse duplicem, alterum ad formam eiusdem speciei, alterum ad formam eandem numero.

Prior regressus dicitur, cùm vna forma deperditur, alia eiusdem speciei recuperatur, vt cum extincta lucerna lumen amittitur, eadémque accensa, aliud eiusdem speciei acquiritur.

Regressus ad idem numero seu formam numero eandem, dicitur, cùm ipsum quod fuit amissum, postea idem numero redit, quo pacto fide credimus, animas easdem numero, quæ à corporibus excesserunt, ad ipsa sua corpora redituras.

Not. 3. regressum ad idem specie, esse duplicem, vnum immediatum, cum immediatè sit regressus ad id quod perierat, vt si ex aqua formaretur aër, & posteà aër ipse in aquam immediatè verteretur: alterum mediatum, quando non immediatè, quod perierat redit, sed quibusdam interpositis mutationibus, vt cum aqua redit in aquam, vbi prius transiit in vapores, deinde vapores in nubes fuerunt condensati, nubes denique posteà in aquam resolutæ. His notatis, sit

Prima propositio.

Viribus naturæ datur regressus à priuatione ad formam, quando priuatio tollit solum actum; non verò potentiam.

Probatur exemplis, nam qui somno detinetur ha-

bet priuationem actus videndi:ad quam naturaliter redit,postquam fuit à somno excitatus: item lucerna extincta amittit lumen,quod recuperat, vbi iterum accenditur:ergo potest dari regressus,&c.

Secunda propositio.

FIeri potest naturaliter mediatur regressus à priuatione ad formam eiusdem speciei,licet priuatio tollat actum, & potentiam simul.

Probatur exemplo,mortuo homine fit cadauer, quod potest in plantam conuerti, ex planta nascentur fructus, quibus homo nutrietur , quósque in sanguinem primo,deinde in semen conuertet, vt ex eo postea alium hominem generet: ergo fieri potest naturaliter mediatus ille regressus, à priuatione ad formam , eiusdem speciei , licet , priuatio tollat actum,& potentiam simul.

Tertia propositio.

NEquit naturaliter fieri regressus immediatus, à priuatione,ad formam eiusdem speciei,aliàs immediatè fieri posset,naturæ facultate, ex mortuo viuus,ex cæco videns,ex surdo audiens, &c. quod est impossibile.

Postrema propositio.

NOn modò potest dari regressus à priuatione ad formã eiusdem speciei, sed etiam ad formã eandem numero,extraordinaria Dei potentia ; ita enim credimus Christum Dominũ, visum cæcis restituisse,sicque à priuatione visus,ad eundem visum in specie factum fuisse immediatè regressum,itémq; profitemur,vniuscuiusq; nostri, in extremo die iudicij animas corpora sua resumpturas, ideóque illa

corpora, à priuatione suæ animæ, ad eiusdem numero animæ recuperationem, reditura.

ARTICVLVS TERTIVS.

De oppositione contraria.

OPpositio contraria innotescit ex contrariis, quapropter de ipsis verba faciemus.

Nonnunquam apud Aristotel. vt 7. Met. cap. 12. vsurpantur contraria, pro quibuscúmque oppositis.

2. Dicuntur contraria, *quæ sub eodem genere posita, maximè distant*: & hæc rursus constituuntur in duplici differentia, alia impropria, alia verò propria.

Impropria, *quæ sub eodem genere posita, ab eodẽ tamẽ subiecto se nequeunt expellere*, vt differẽtię generis diuisiuę, v.g. rationale & irrationale, ex supradictis.

Propria verò sunt, *quæ sub eodem genere posita, maximè distant, & se positiuè ab eodem subiecto mutuò pellunt, nisi alterum eorum fuerit insitum à natura.*

Dicuntur, *sub eodem genere posita*, vt intelligamus esse de ratione contrariorum, quòd habeant idem genus, siue proximum, vt albedo, & nigredo, quæ sub colore, tanquam sub proximo genere, continentur: siue remotum, vt temperantia, & intemperantia, quæ habitum obtinent, pro genere, non quidem proximè, quia proximè in eas non diuiditur, sed tantum remoto.

Additur, *maximè distant*, ad distinctionem disparatorum, vt sunt homo, & equus, qui non ita inter se distant vt eorum vnus, æquè ab alio aliquo, vt pote lapide, distare non possit,

3. Adiicitur, *sese mutuò pellunt, ab eodẽ subiecto*, vt calor, & frigus à ferro, ad distinctionem improprio-

rum contrariorum, vt sunt rationale, & irrationale, Additur 4. *positiuè*, ad differentiam priuatiuorum, quæ se positiuè ab eodem subiecto expellere non possunt.

Tandem adiungitur, *nisi eorum alterum fuerit insitum à natura*: sic enim calor, qui est igni naturaliter insitus, non potest ab eodem igne, per actionem contrarij frigoris expelli.

Porrò circa hanc particulam, *contraria sese possunt ab eodem subiecto expellere*, quæstio non ignobilis excitatur, vtrum contraria ita se eiiciant ab eodem subiecto, vt in eodem recipi non possint; ad cuius quæstionis solutionem.

Notandum est, tribus modis considerari posse contraria, 1. in gradibus remissis, 2. in gradibus intensis, 3. quando vnum eorum est intensum, alterum remissum, vt calor summè intensus, frigus verò remissum, vel è contra: hoc posito, sit.

Prima propositio.

DVo contraria, in gradibus remissis, possunt esse naturaliter in eadem subiecti parte, sic eadem aqua tepida, aliquid frigoris, & nonnihil etiam caloris obtinet.

Fauet Arist. 5. Phys. cap. 2. vbi habet aliquid vel plus, minúsve esse tale, quò plus, minúsue habet de admixtione contrarij: ex quo sequitur, secundùm Aristotelem, naturaliter contraria posse recipi in eadem parte subiecti, saltem in gradibus remissis.

Secunda propositio.

NAturaliter duo contraria summè intensa, vel quorum vnum maximè est intēsum, alterum, verò remissum, simul, eodémque tempore, & in ea-

dem subiecti parte esse nequeunt.

Probatur 1. experientia, quia nunquam in eadem parte subiecti, vnum contrarium summè intensum admittitur, quin statim omnino oppositum expellat, v. g. calor summè intensus, quin statim frigus penitus destruat.

Confirmatur Aristotelis authoritate, superiori propositioni iuncta: in tantum aliquid est magis vel minus tale, in quantùm magis, minúsve admittit de admixtione contrarij: ergo quod est maximè tale, verbi gratia maximè calidum, nihil habere potest de admixtione contrarij, scilicet frigoris: ergo duo contraria, naturaliter, simul, eodémque tempore, recipi non possunt in eadem subiecti parte, in gradibus intensis, aut vnum in gradu intenso, alterum in remisso.

Dixi, *simul eodémque tempore, & in eadem subiecti parte*, nam duo contraria summè intensa vt calor & frigus, in eodem subiecto esse possunt, putà in ferro, pro diuersis temporibus, vel certè vno eodémque tempore, ratione diuersarum partium ipsius subiecti: ita vt in vna parte summum calorem, in aliâ verò summum frigus obtineat.

Postrema propositio.

De potentia Dei absoluta, contraria summè intensa, vt pote calor & frigus, possunt simul, eodémq; tempore, in eadem subiecti parte recipi.

Probatur: hoc non implicat contradictionem: ergo non est Deo denegandum: antecedens probatur: Id tantùm implicat contradictionem, quod facit vt simul res sit, & non sit: atqui admissio summæ intésionis contrariorũ, non facit vt eadem res simul sit,

& non ſit:ergo non implicat contradictionem:rurſus minor oſtenditur. Non eſt de eſſentia contrariorum ſummè intenſorum, vt ſe actu expellant ab eodem ſubiecto, ſed tantum vt poſſint; modo nulla ſuperior interueniat potentia: ergo licet ſe non expellant interueniente ſupremâ & extraordinaria Dei potentiâ, eſſe non deſinent: ergo non ſequetur ea ſimul eſſe & non eſſe.

Confirmatur: contraria ſummè intenſa non aliter ſeſe pellunt, niſi quatenus in ſe inuicem agunt: atqui poſſunt in ſe inuicem non agere, Deo ſcilicet concurſum, vt agant, neceſſarium ſubſtrahente: ergo poſſunt ſe mutuò non expellere, ſed in eodem ſubiecto pacificè manere.

Alia adiungitur quæſtiuncula, num fieri poſſit, vt vnum & idem, ſit duobus contrarium.

Reſp. id non videri poſſe fieri in contrariis propriè ſumptis, quia illa adeò cum ſuo contrario pugnare debent, vt nulli alteri ſimili modo, id eſt contrariè repugnare habeant.

Obiicies, colorem album, non modo extremo, ſcilicet nigro eſſe contrarium, ſed etiam mediis, viridi, rubro, &c. ergo idem ſimul poſſe eſſe multis contrarium.

Reſp. ad antecedens, colorem album tantùm eſſe contrarium mediis coloribus, viridi, rubro, &c. ratione contrariæ nigredinis, & ſic ſemper ratione extremi ſui, ſcilicet nigri.

Rurſus obiicies. Virtus eſt duobus extremis contraria, v.g. liberalitas auaritiæ, & prodigalitati: ergo idem duobus ſimul poteſt eſſe contrarium.

Reſpondeo ad antecedens, liberalitatem (& idem dicas de qualibet aliâ virtute) non opponi auaritiæ & prodigalitati; tanquam duobus adæquatis con-

trariis,ſed tantùm in adæquatis:cum enim liberalitas dicat prudẽtem bonorum profuſionem, eorúmque retentionem, adæquatè contraria eſt auaritiæ, quæ nullam admittit bonorum profuſionem, & ſimul prodigalitati,quæ nihil retinet, ſed omnia inconſideratè profundit:cùm autem dicimus, vnum, vni tantum eſſe contrarium, id de adæquato contrario,non autem inadæquato intelligendum eſt.

ARTICVLVS QVARTVS.

De oppoſitione relatiua.

DE relatis plurima ſuperius tradidimus: vnum addendum eſt de eorum oppoſitione, illam ſcilicet in eo conſiſtere, quòd vnum relatum non poſſit habere relationem ſui correlati, verbi gratia pater,relationem filij ſui,ſcilicet filiationem.

Obiicies.Pater poteſt eſſe filius:ergo poteſt habere relationem ſui correlati, verbi gratia pater, relationem filij,ſcilicet filiationem.

Neganda eſt conſequentia, neque enim pater ille, qui ſimul filius eſt, dicitur filius per propriam filij ſui filiationem,aliàs eſſet ſui ipſius filius,ſed eſt filius per diuerſam numero filiationem, quam habet ad patrem,à quo genitus eſt.

SECTIO SECVNDA.

De modo prioritatis.

QVinque tradit modos Ariſt. cap. 12. ſuorum poſtprædicamentorum, quibus quidem modis,res aliqua dicitur prior aliâ.

Primus eſt *temporis*, quo pacto illud dicitur eſſe prius,quod tempore antecedit,vt pater filium.

Secundus est *naturæ*, iuxta quem illud dicitur esse prius, cuius esse præcedit, vel vt alij dicunt, ex cuius existentiâ non infertur existentia alterius, quo prius dicitur, sed è contra, verbi gratia animal, ordine naturę prius dicitur homine, quia ab existentiâ animalis non potest inferri existentia hominis, vt *animal est, ergo homo est*, licet è contra, ex hominis existentiâ, optimè deducatur existentia animalis, vt *homo existit: ergo & animal.*

Tertius modus est *ordinis*, secundúm quem dicitur illud prius, quod præponi debet: quo modo in scientiis, principia, & elementa dicuntur cæteris priora, quia ipsis, secundùm rectum ordinem, necessariò præmittenda sunt.

Quartus est *dignitatis*, quo illud dicitur prius, quod dignius est, vt rex subditis, & dominus seruis.

Postremus est *causalitatis*, secundùm quem illud, quod est alterius causa, eo dicitur esse prius, vt sol illuminatione, ignis calefactione.

Cæterum iuuandæ memoriæ gratiâ, hi quinque prioritatis modi, vno disticho comprehenduntur:

Tempore, natura, prius ordine, dic & honore,
Causam causato dicimus esse prius.

SECTIO III. ET POSTREMA.

De modis simultatis.

TRes recensēt modos Aristoteles, operis citati cap. 12. quibus res dicuntur esse simul, primus est, *temporis*, secundus *naturæ*, tertius *diuisionis*.

Ea *simul tempore* dicuntur, quæ eodem temporis puncto cœperunt, vt duo homines eodem momento nati.

Ea vero *simul naturą* censentur, quæ inter se reci-

procantur, si modò vnum sit causa alterius, sic homo, & animal rationale, dicuntur simul natura, quia reciprocantur inter se, nec tamen animal rationale propriè est causa hominis, aut è contrà.

Addit verò expresse Aristoteles, *si modò vnum non sit causa alterius*, sic enim fiet, vt quod habet rationem causæ, dicatur esse prius eo, quod sortitur rationem effectus, tametsi inter se conuertantur, vt homo, & risibile: nam licet reciprocentur inter se, quia omnis homo est risibilis, & omne risibile homo, attamen quia homo est causa risibilitatis, simpliciter dicitur esse prior naturâ, ipsâ risibilitate.

Denique illa dicuntur *simul diuisione*, quæ æquè immediatè aliquod superius diuidunt, vt homo & brutum, animal, quod est illorum genus. Atque hæc de Categoriâ, & prima nostræ Dialecticæ Parte.

SECVNDA PARS OPERIS LOGICI.

DE PROPOSITIONE *seu Enuntiatione.*

PRÆFATIO.

SICVT litteris syllabæ, ita simplicibus terminis constant propositiones, propterea terminis illis simplicibus, superiori parte abundè explicatis, optimâ methodo, ad propositionum interpretationem progredimur, hac secundâ Parte.

Quoniam verò in propositione simplices termini sunt vel nomina, vel verba, ideò præmittemus explicationem nominis & verbi, tam secundùm mentem Aristotelis, quàm secundùm rei veritatem: deinde quidquid scitu erit necessarium, de propositione, prout rectus ordo requiret, aperiemus.

PRIOR TRACTATVS HVIVS partis, vnicâ disputatione contentus.

DE PRINCIPIIS PROPOSITIONVM *nomine scilicet, & verbo, aliisque eò pertinentibus.*

SECTIO PRIMA.

De vocum significatione.

QVoniam & nomen, & verbum, definiuntur voces ex instituto significantes, antequam vera tradi possit nominis & verbi definitio, de vocum significatione, quædam hoc loco necessariò præmittenda sunt.

Notandum itaque primò vocum significationẽ *esse conformitatẽ, quam habent cum re ipsa significata*, verbi gratia significationem huius vocis *homo*, esse conformitatem illius cum humanitate, cui respondere, & quam significare dicitur.

Notandum secundò, vocum significationem esse duplicem: *vnam naturalem*, quæ petitur à natura talis vocis: quo modo *gemitus* dicitur dolorem interiorem significare *alteram non naturalem. sed omnino à libero hominum arbitrio dependentem*, quatenus apud se statuerunt, talem vocem tale quid significare, & non aliud, verbi gratia vocem hanc *homo*, naturam humanam, & non equinam: quod enim voces omnes non significent ex natura sua, firma est Peripateticorum sententia, contra Pythagoricos; tùm quia essent semper eadem apud omnes nomina, sicut eædẽ sunt naturæ: tum quia nec nomina superabundarent rebus, sicque nulla essent polyonyma, seu multiuoca, nec è contra, res superabundarent nominibus, & ita nulla essent æquiuoca, quæ om-

nia,& contra experientiam, & contra ſupradicta manifeſtè pugnant.

Fateor tamen multa nomina rebus impoſita, earũ naturis ita eſſe congrua, vt aliis difficulter adaptari poſſent: ſic nomen Dei, nos inducit ad venerationem ſupremæ alicuius maieſtatis, ſicque aliis non videtur poſſe accommodari: e contra nomen diaboli, terrorem incutit peſſimæ creaturæ, ſicque aliis non congruit, niſi fortè iis, qui ipſius diaboli malitiam, & mores imitantur: ſimiliter & nomen leonis, fortitudinem, & audaciam, tali animali propriam præ ſe fert: & è contra, nomen agni, manſuetudinem, quæ in hoc animali præſertim deprehenditur: & eam ob cauſam, hæc nomina mutari difficilè poſſunt, vt pote ita ſapienter impoſita, vt quaſi ex rerum naturis petita eſſe videantur.

Notandum tertiò, voces ſignificare ſimul, & conceptus, & naturas ipſas, quæ concipiuntur, ſeu eſſe ſigna, & conceptuum, & naturarum conceptarum, ſed cum diſcrimine: quia conceptuum ſigna ſunt immediata, & naturarum mediata: loquimur enim tantum, vt noſtros ſignificemus conceptus, quos de rerum naturis in mente formauimus, proindéque vox primò & immediatè, ſignificat conceptum mentis, & mediante illo conceptu, naturam ipſam conceptam.

Ex quo ſequitur, quod quarto loco notandum eſt, & conceptum, & vocem, eſſe ſigna rei, ſed diuerſo modo, quia conceptus dicitur formale ſignum rei, ſeu id quod efformat mens, dum rem apprehendit: vox verò inſtrumentale, ſeu id quo tanquam inſtrumento vtimur ad rem ipſam ſignificandam, ſicut veſtigium dicitur ſignum inſtrumentale pedis, à quo impreſſum eſt.

Additur,*significatiua*, ad excludendas voces, quæ nihil planè significare videntur, vt *blictri, baraa*, aduerbia item, coniunctiones, interiectiones, necnon & dictiones syncategorematicas, *vt omnis, nullus, quidam, aliquis*, quæ nisi cum verbis, & nominibus coniungantur, nullam planè significationem sortiuntur.

Additur tertiò,*ex instituto*, vt ponatur differentia inter nomen, & voces aliquas naturaliter significantes, vt sunt, gemitus dolorem significans, & risus hilaritatem.

Quartò adiicitur,*sine tempore*, vt nomen distinguatur à verbo, quòd rem cum tempore significat, vt infrà dicemus.

Occurres, idem, mensem, annum, & similia nomina significare tempus.

Respondeo, significare quidem *tempus*, sed non significare *cum tempore*, & in hoc à verbo discriminari, quod rem *cum tempore* designat, verbi gratia *curro, cursum in tempore præsenti.*

Instabis, posteri, maiores, & alia eiusmodi nomina, non tantum significant *tempus*, sed etiam *cum tempore*: dicunt enim differentias temporis futuri, & præteriti: ergo saltem dantur aliqua nomina significantia cum tempore.

Respondeo ad antecedens, hęc nomina non significare *cum tempore*, sed temporis differentias formaliter dicere, homines connotando, verbi gratia posteriorum nomen, formaliter dicere futurum tempus, connotando homines, qui in eo esse debent, in quo nomen à verbo seiungitur, quod rem primariò significat, connotando tempus, verbi gratia studeo, studium, connotando præsens tempus.

Quinta particula assignatæ definitionis, est *finita*,

ad excludenda nomina *infinita*: seu quibus particula negatiua præponitur, vt *non homo*, *non equus*, quæ ideo infinita dicuntur, quòd nihil definitè significent, sed indefinitè omnia, verbi gratia *non homo*, omnia quæ naturam hominis non participant, siue sint positiua, vt equus, siue non, vt chimæra.

Notandum verò est, in his nominibus infinitis duo considerari posse, materiale scilicet, & formale, vt in hoc nomine infinito, non homo: *materiale*, est res quæuis alia ab homine, imò & quodcumque ens fictitium, quod homo non est, *formale* verò, est ipsa hominis negatio.

Notandum præterea, nomen infinitum non debere esse transcendens, vt non ens, si quidem nomen infinitum, tam rebus quæ sunt, quàm quæ non sunt, conuenire debet: non ens autem nequit rebus quæ sunt, vllâ ratione competere.

Sexta perticula est, *recta*, quâ docet Aristoteles, sola esse propriè nomina, quæ in recto casu, seu nominatiuo, exprimuntur, vt *homo*, *equus*, non verò ea quæ in obliquis efferuntur.

Ratio est, quod nomen hic ab Aristotele accipiatur, quatenus habet propriam significationem, & per se, potest esse subiectum alicuius propositionis, vt *homo* est subiectum huius propositionis, *homo est animal*: casus autem obliqui nominum, per se non habeant significationem, sed eam à recto casu trahant, nec per se sint subiecta propositionis, sed quatenus in rectum casum resoluuntur, hoc modo, *Socrates est qui debet philosophari*, loco istius propositionis, *Socratis est philosophari.*

Septima & vltima particula est, *cuius nulla pars, significat separata*, siue omnino, siue prius, quando erit in toto coniuncta.

Huius

Huius nominis partes separatæ, nihil omnino significant, quod est simplex, *vt homo*, videlicet *ho*, & *mo*; illius verò nominis partes separatæ dicuntur aliquid significare, quod componitur ex pluribus perfectis vocabulis, vt respublica, quæ ex *re*, & *publica* componitur; non dicuntur tamen significare, vt prius in toto significabant, quia in toto rem vnicam significabant, tanquam duæ syllabæ, partiales significationes habentes; separatæ verò res duas significant, tanquam totalia nomina.

Obijcies, hæc nominis definitio conuenit etiam pronominibus, *ego, tu, ille*, quia pariter possunt esse subiecta propositionum, vt *ego loquor, tu scribis, ille studet*: ergo non est legitima.

Respondeo distinctione antecedentis, definitio nominis conuenit pronominibus, quatenus supponuntur pro ipsis nominibus, verbi gratia, ego pro me ipso, concedo: pro se verò, & ratione sui, præcisè, nego.

SECTIO TERTIA.

De Verbo.

VErbi hanc tradit definitionem Aristoteles, cap. 3. libri de Interpretatione. *Verbum est vox ex instituto significatiua, cum tempore finita, & recta, cuius nulla pars significat separata, perpetua eorum quæ de aliis prædicantur nota.*

Quod verbum sit *vox ex instituto significans finita, & recta, cuius nulla pars, &c.* hoc totum commune habet cum nomine, & ab eo distinguitur, quod significet *cum tempore*, nomē verò *sine tempore*, vt superiori sectione diximus: vnde sicut nomen dicitur finitum cui non præponitur particula negatiua, vt

& de secundo, & de tertio adiacente, adhuc esse duplicem, vnam contingentem, alteram necessariam.

Contingens est, in qua attributum contingenter aduenit subiecto, *vt homo est albus, Petrus currit.*

Necessaria verò, in qua attributum necessario conuenit subiecto, vt *homo est animal, Deus est.* His notatis, sit.

Prima propositio.

SEmper verbum rem significat *cum tempore*, in quauis propositione, siue *de secundo*, siue *de tertio adiacente*: patet tota propositio ex illata verbi definitione.

Secunda propositio.

IN propositionibus necessarijs, siue *de secundo adiacente*, vt *homo viuit*, siue *de tertio*, vt *homo est animal*, verbum non significat certam temporis differentiam.

Probatur, tunc verbum significat certam temporis differentiam, cum indicat veritatem propositionis, pro certâ tantum quadam temporis differentia: atqui propositionum necessariarum, siue de secundo, siue de tertio adiacente, verbum non indicat tantum veritatem, pro certa quadam temporis differentiâ, sed pro omni tempore, vt patet ex illis propositionibus, quas attulimus, *homo viuit, homo est animal*: ergo, &c.

Tertia propositio.

IN propositionibus verò contingentibus, siue *de secundo*, siue, *de tertio adiacente*, verbum significat quandam temporis differentiam.

Probatur, tunc verbum significat certam aliquã temporis differentiam, cùm indicat tantum propositionis veritatem pro certo aliquo tempore, & non pro omni: atqui in propositionibus contingẽtibus, siue de secũdo, siue de tertio adiacẽte, verbum indicat tantùm veritatem pro certo aliquo tempore, & non pro omni, vt patet ex his propositionibus. *Petrus est albus, Petrus currit*, quæ tamdiu veræ sunt, quamdiu Petrus est affectus albedine, & currit, nõ autem semper, & quocumque tempore: ergo, &c.

Circa etiam postremam illam, qua verbum dicitur, *esse certa eorum quæ de alijs prædicatur nota*, quæstio proponitur, an in propositione verbum habeat rationem tantum copulæ, an etiam attributi: antequam soluatur.

Notandum est subiectum propositionis esse id, cui aliud attribuitur, vel de quo prædicatur: ipsum verò quod sic attribuitur, vel prædicatur de alio, attributum, seu prædicatum nuncupatur: copula autem est verbum, attributum simul, & subiectum connectens: sic in ista propositione: *homo est animal*, homo est subiectum, *animal* attributum, seu prædicatum, verbum *est* copula.

Clarius, subiectum propositionis est istud, quod verbum antecedit, attributum quod subsequitur, verbum tandem ipsum copula vtriúsque dicitur, Hoc notato.

Certum est in propositionibus de secundo adiacente, verbum & copulæ, & attributi rationem sortiri; etenim in hac propositione, *Petrus studet*, *studet* idem est ac *est studens*, proindéque vice fungitur & copulæ, & simul attributi.

In propositionibus verò de tertio adiacente verbum copula tantùm est, non autem attributum.

Probatur, illud non est attributum in aliquâ propositione, quod vt tale non affirmatur inesse subiecto: atqui in propositione de tertio adiacente, ista, verbi gratia, *homo est animal*, verbum *est*, vt tale, nō affirmatur de homine, subiecto, sed solùm connectit rationem essentialem animalis, cum essentiali ratione hominis: ergo, &c.

Confirmatur, audita ista propositione, *homo est animal*: intellectus non concipit *ens, vt ens est*, affirmari de homine, sed tantū *animal, vt animal est*; *ens* verò tantum quatenus in animali includitur: igitur verbum illud *est*, in supradicta propositione non affirmatur de subiecto, homine, sed est tantum copula ipsum hominem cum animali connectens.

POSTERIOR TRACTATVS, VNICA pariter disputatione comprehensus, de ipsa propositione, seu enuntiatione.

SECTIO I. ET SECVNDA.

De nomine, & existentia propositionis, seu enuntiationis.

PRopositio, quæ alio nomine *enuntiatio* appellatur, à proponendo, seu exhibendo dicitur, sicut enuntiatio ab enuntiando, quasi vnum alteri inesse enuntiet.

Eius existentia nulli non patet. Diuisiones præcipuæ hæ sunt, *prima in complexam, seu compositam; & incomplexam seu simplicem*,

Complexæ, quæ potius est duplex propositio, quā vna, exemplam est, *Petrus est orator, & philosophus.*

Simplicis verò, *Petrus est Philosophus*: de simplici tantum agimus, cum sola sit propriè dicta propositio, eámque.

Diuidimus (& est secunda diuisio propositionis) *in propositionem de secundo adiacente,* & *de tertio adiacente,* de quibus supra.

Tertia propositionis diuisio traditur, in *finitam,* vt, *homo est animal,* & *infinitam,* vt *non homo est viuens,* cuius subiectum scilicet non homo, est nomen infinitum.

Quarta est, in *vniuersalem,* vt *omnis homo est animal,* & *singularem,* vt *Petrus est homo.*

Quinta, in *definitam,* quæ sensum habet definitum & determinatū, vt *Petrus est homo, omnis equus est animal:* & *indefinitam,* quæ sensum certum, & definitum non habet, vt *homo est albus:* neque enim hac propositione definitur, an omnis penitus homo sit albus, an verò id sit tantùm de quibusdam intelligendum.

Duæ tamen sunt huiusce rei regulæ: prior, *in materia necessaria propositio vniuersalis indefinita accipitur pro vniuersali definita,* verbi gratia, hæc propositio indefinita, in materia necessaria, *homo est animal,* eiusdem est valoris, ac ista vniuersalis definita, *omnis homo est animal.*

Posterior regula: *in materia contingenti, propositio indefinita, non accipitur pro vniuersali, sed potius pro singulari,* verbi gratia, hæc propositio indefinita in materia contingenti, *homo est albus* non accipitur pro illa vniuersali, *omnis homo est albus,* sed potiùs pro illa singulari, *aliquis homo est albus.*

Sexta propositionis diuisio est in *directam,* seu *naturalem,* & *indirectam,* seu *contra naturam.*

Directa est ea, in qua superius de inferiori prædicatur vt, *homo est animal,* indirecta verò illa, in quâ è contrario, inferiùs de superiori prędicatur, vt *animal est homo.*

Postrema propositionis diuisio fit in tria membra, in *absolutam, hypotheticam*, & *modificatam*, seu *modalem*.

Absoluta est, quæ absolutè dicit attributum conuenire subiecto, vt *homo est animal*.

Hypothetica, quæ aliquo præsupposito dicit attributum conuenire subiecto, vt hæc, *si reges philosophentur, respublica erunt beatæ*.

Modificata denique est illa, quæ non solùm dicit attributum conuenire subiecto, sed prætereà modum adfert, secundùm quem illi conuenit, siue *de possibili*, vt *possibile est hominem esse album*, siue *de impossibili*, vt *impossibile est hominem esse equum*, siue *de necessario*, vt *necesse est hominẽ esse animal*, siue deniq; *de contingenti*, vt *contingens est hominem esse doctum*.

Ex quo colligitur quadruplex propositio modalis, prima dicitur *de possibili*, secunda *de impossibili*, tertia *de necessario*, quarta *de contingenti*.

SECTIO QVARTA.

De essentia propositionis, seu enuntiationis.

DEfinitur ab Aristotele propositio, *oratio verũ, vel falsum significans*. *Oratio* est genus: *verum vel falsum significans*, differentia: quare de oratione primo loco agendum est.

QVÆSTIO PRIMA.

De Oratione.

ORationis vsus generatim duplex, vnus Rhetoricæ, alter Dialecticę proprius: prior neque veritatem, neque falsitatem continet, sed est, vel

optatiuus, vt *vtinam studeat sapiat* vel *imperatiuus*, vt *stude*, vel cuiusdam alterius modi.

Posterior verò, veritatem & falsitatem continet vt *Petrus est homo, Petrus est lapis.*

Hanc porrò orationem, tanquam genus propositionis definiuit Aristoteles libro de interpretatione, cap. 4. his verbis, *oratio est vox significatiua ex instituto, cuius pars aliqua significat separata, vt dictio, nō vt affirmatio, vel negatio* vt hæc oratio *homo est animal*, est enim vox significatiua, complexa, eiúsque partes separatæ, *homo est, & animal*, aliquid significant, non tamen vt affirmationes, vel negationes, sed tanquam dictiones duntaxat, vt per se patet.

Difficultas verò est de quibusdam complexis, & hypotheticis orationib⁹, vt *Petrus est homo, & iustus*, item, *si sol lucet, dies est*, quarum propositionum partes, etiam seiunctæ, cum affirmatione, & negatione significant, vt prioris propositionis, hæc pars, *Petrus est homo*, & posterioris, *dies est.*

Alij dicunt Aristotelem definiuisse tantùm simplicem orationem, vt *Petrus est homo*, non autem complexam, vel hypotheticam, vt potè quæ minus referunt ad institutum dialecticum, proindéque nihil esse mirum, si illarum propositionum partes, etiam separatæ, cum affirmatione, vel negatione significent.

Alij dicunt Aristotelem neque definiuisse simplices orationes, neque complexas, sed orationem in communi, quatenus illis omnibus communis est, dixisse verò orationis partes separatas significare tantùm vt dictiones, non vt affirmationes, vel negationes, supple saltem vt docebitur, non esse necessarium ad essentiam orationis, in communi, quod constet partibus significatiuis, cum affirma-

tione, vel negatione; sed satis esse, quod saltem illæ partes significent tãquam dictiones: quia alioquin simplices orationes, non essent essentialiter orationes; cum eorum partes seiunctæ, sine vlla affirmatione, vel negatione, significent, vt suprà diximus.

QVÆSTIO SECVNDA.

De veritate, & falsitate enuntiationis, seu 2. mentis operationis: vbi ex occasione, de prima, & eius veritate.

ENuntiatio, quæ secunda est mentis operatio, quia vnum affirmat, vel negat de altero, ideò pro genere agnoscit orationem, cui addit tanquam differentiam, quòd verum vel falsum significet. De oratione quæst. superiori actum est., de ipsa veritate, & falsitate, nonnulla addenda sunt, vt genere, & differentia explicatis, perfecta habeatur enuntiationis definitio; quia verò vnum oppositum ex altero intelligitur, satis erit de veritate enuntiationis differere, vt quid de eius falsitate tenendum sit, intelligamus.

Notandum igitur primò, veritatem vniuersim esse duplicem; transcendentalem nimirum, & intellectualem.

Transcendentalis est, quæ rebus omnibus competit quatenus entia sunt, & in quãtum correspondent suis ideis, & exemplaribus, definitúrque *cõformitas cuiusque rei cum suo exemplari*, quo sẽsu dicimus, Cæsaris imaginem esse veram, quia ipsi suo exemplari, & prototypo nimirum Cæsari, correspondet: & aurum esse verum aurum, quod est conforme ideæ, quæ de auro existit, in mente Dei.

Veritas verò intellectualis, illa est, quæ oritur ab

intellectu, definiturque *conformitas intellectus, cum re intellecta:* quo modo dicimus hanc enuntiationẽ esse veram, *homo est animal,* quia in ea formanda accipit intellectus conformitatem cum ipsa hominis natura quam significat.

Notandum veritatem intellectualem esse duplicem, vnam simplicem, & incomplexam, alteram complexam & compositam.

Simplex est, quæ sequitur primam operationem intellectus, contingitque, cum aliquid apprehenditur simpliciter, sicuti est, absque vlla affirmatione, vel negatione: vt cum homo apprehenditur ab intellectu, sicut se habet à parte rei, nihil de illo affirmando, negando.

Complexa verò est, quæ sequitur secundam operationem intellectus vnum de alio affirmantis, vel negantis, contingitq; cum intellectus rei attribuit quod ipsi propriè debetur, vt homini quod sit animal, hîc autem non agimus de veritate transcendentali, siue primæ, siue secundæ operationis intellectus, quæ cum sint entia vera & realia, necessariò veritatem illam transcendentalem participant, sed tantùm agimus de intellectuali veritate, de qua duo vnica propositione statuimus.

Propositio vnica.

IN prima operatione intellectus reperitur veritas simplex, in secunda verò complexa.

Prior pars propositionis probatur: veritas simplex est ea, quæ sequitur apprehensionem rei simplicis, quæ quidem apprehensio est prima mentis operatio: ergo reuera datur veritas simplex in prima mentis operatione.

Quòd si obiicias Aristotelem nullam veritatẽ aut

falsitatem agnoscere in prima mentis operatione: dicendum est Aristotelem, non loqui de veritate simplici, sed tantum de complexa, quæ potissimum veritas dicitur, solaque opponitur mendacio.

Posterior verò pars similiter ostenditur, veritas complexa nihil aliud est, quàm conformitas intellectus componentis, vel diuidentis, cum rebus ipsis, quæ componũtur, vel diuiduntur, & propterea dicitur complexa, quod non sit vnius rei simplicis; sed multarum: atqui in secunda mẽtis operatione, quæ diuidit, & componit, talis conformitas reperitur, igitur in secunda mentis operatione, datur veritas complexa.

Notandum verò est, veritatem & falsitatem (de qua per proportionem ad veritatẽ philosophandũ est) non tantum reperiri in operationibus intellectus, sed etiã in rebus & vocibus, sed cum hoc discrimine, quòd veritas sit in rebus fundamentaliter, si quidem res ipsæ præbent fundamentum intellectui, vt eas verè intelligat; & eatenus cognitio ipsius intellectus vera vel falsa dicitur, quatenus cum rebus ipsis deformitatem, vel conformitatẽ habet: in operationibus intellectus formaliter, eo quòd formalis ratio veritatis intellectualis, consistat in conformitate intellectus, cum rebus ipsis intellectis: in vocibus denique tanquam in signis: ergo ex dictis voces sunt signa conceptuum, & in tantum veritatem participant, in quantum conceptibus animi correspondent, & iis mediantibus, res ipsas talibus conceptibus expressas repræsentant.

Difficultas verò est, vtrum veritatem, vel falsitatem significare, sit de essentia enuntiationis, vel tantum eius proprietas.

Respondeo esse de essentiâ, probóque: oratio in

genere dicit vnum enuntiare de alio: ergo enuntiatio, quæ est species enuntiationis, aliquid amplius dicere debet: atqui præterquam quod enuntiatio vnum de altero enuntiat, nihil est quod dicere possit essentialiter, nisi significationem veritatis, vel falsitatis: igitur enuntiatio essentialiter includit, quòd veritatem vel falsitatem significet.

Confirmatur minor, in tota definitione enuntiationis, præter orationem, quæ ex dictis habet, quod vnum enuntiet de altero, nihil aliud ponitur ex parte differentiæ, nisi quòd sit veri vel falsi significatiua: ergo præterquam quod enuntiatio vnum de altero enuntiat, nihil est quòd dicere possit essentialiter, & tanquam gradum differentiæ, nisi significare veritatem, vel falsitatem.

Obiicies, illud non est de essentia enuntiationis, quo aliquid prius potest assignari, eam in suo esse essentialiter cōstituens: atqui aliquid prius ipsa veritatis, vel falsitatis significatione potest in enuntiatione assignari, quo ipsa in suo esse essentialiter cōstituatur, nimirum enuntiare vnum de alio, à quo enuntiatio dicta est: ergo significare veritatem, vel falsitatem non est aliquid essentiale enuntiationis.

Respondeo distinctione maioris, illud non est de essentia enūtiationis, quo aliquid prius assignatur, eam essentialiter cōstituens, *si completè constituat, ita vt nihil ei desit, neq; ex parte generis, neq; ex parte differentiæ, admitto: si verò tantū partialiter, & tanquam gradus genericus inferior, nego*; aliàs cum gradus genericus, putà animal, sit prior natura in specie, scilicet, homine, quàm gradus differentiæ, nimirum relationis, sequeretur rationale nō esse de essentia hominis, quod est absurdum: ad minorem iam venio, eàmque distinguo similiter. In enuntiatione datur

aliquid prius, eo quòd significet veritatem, vel falsitatem, vnum scilicet enuntiare de alio, quo ipsa essentialiter constituatur, incompletè, & tanquam ex gradu generico, concedo: completè verò, & tanquam ex gradu differentiæ, & generico, nego: nam ex dictis significare veritatem, vel falsitatem, enuntiationi adiungitur, tanquam differentia, supra orationem in genere.

QVÆSTIO TERTIA.

Quid in enuntiatione habeat rationem materiæ, & quid formæ.

NOtandum primò est, illud habere rationem formæ, quod aliud determinat, illud verò ipsum quod determinatur, materiæ, quia formæ propriũ est determinare materiam, & materiæ determinari per formam, ex omnibus philosophis.

Notandum, 2. enuntiationem duobus modis cõsiderari, primò, quatenus est actio ipsa intellectus, vnum de altero affirmantis, vel negantis, & hæc enuntiatio vocatur mentalis, formalis: 2. quatenus est aliquod artificiosum mentis opus, compositum ex variis conceptibus attributi, subiecti, & nexus, qui inter vtrúmque intercedit; etenim, quando intellectus vnum de altero affirmat, v.g. hominem de Petro, dicendo *Petrus est homo*, resultat ex illa actione, in ipso intellectu conceptus aliquis compositus ex tribus conceptibus illis, *Petri*, subiecti, hominis, attributi, & verbi *est*, copulæ vtriusque: & hæc enuntiatio dicitur mentalis obiectiua, de qua solùm hoc loco agimus, quærentes quid in ea habeat rationem materiæ, & quid formæ. Sit igitur

Prima propositio.

PRædicatum in enuntiatione, respectu subiecti, potest habere rationem formæ, subiectum verò rationem materiæ.

Probatur, illud ex dictis habet rationem formæ, quod aliud determinat: ipsum verò quod determinatur, rationem materiæ: atqui in enũtiatione prædicatum determinat subiectum ad talem enũtiationem, v. g. in hac enuntiatione, *Petrus est animal*, animal quod est attributum, determinat Petrum, vt sit huius enuntiationis subiectum. *Petrus est animal*, cum ex se, alterius enunciationis possit esse subiectum, vt pote huius, *Petrus est homo:* ergo in enuntiatione prædicatum habet rationem formæ, subiectum verò materiæ.

Secunda propositio.

IN enuntiatione, subiectum & attributum simul possunt habere rationem materiæ, nexus verò formæ.

Probatur, eodem modo ac præcedẽs propositio, quod aliud determinat, habet rationẽ formæ, illud verò, quod determinatur rationem materiæ: atqui in enuntiatione, nexus attributi & subiecti, vtrúmque determinat ad talem enuntiationem, v. g. cùm sit hæc enuntiatio, *Petrus est homo*, Petrus, & homo poteram determinare ad hanc vtrámque enuntiationem, *Petrus est homo, Petrus nõ est homo*, pro ratione diuersæ connexionis, nexus verò interueniens vtrúmque determinat ad talem enuntiationem: ergo in enuntiatione, subiectum & attributum possunt habere rationem materiæ, nexus verò formæ

SECTIO QVARTA.

De affectionibus Enuntiationis.

QVÆSTIO PRIMA.

De necessitate, & contingentia propositionum.

PRopositio, alia est necessaria, vt *Petrus est homo*: alia contingens, vt *Petrus studebit cras.*

De necessaria nulla extat difficultas; de contingenti, grauissima, & plurimùm in Philosophorum scholis agitata: cuius sensus hic est, *vtrum duarum contradicentium, de futuro contingenti vt Petrus cras studebit, Petrus cras non studebit, altera sit determinatè vera, altera determinatè falsa.* Vt hæc difficultas soluatur.

Notandum est primò, effectum futurum contingentem, ad duo posse referri: primò ad suam causam efficientem, vt studium futurum Petri, ad ipsum Petrū: secundò ad ipsam Dei scientiam, quæ talem præuidit effectum in tali tempore futurum.

Notandum secundò, ex Theologis, scientiam quam habet Deus de rebus, esse triplicem: prima simplicis intelligentiæ, secunda visionis, tertia denique conditionata.

Scientia simplicis intelligentiæ, ea est, per quam Deus res omnes possibiles, vt tantum possibiles, vidit ab æterno, ante illarum creationem.

Scientia visionis è contra dicitur illa, per quam Deus res, secundùm proprias suas existentias vidit.

Media denique, seu *conditionata*, habetur illa quâ vidit Deus res aliquas futuras: si hæ, & illæ conditiones ponerentur, verbi gratia, Diuum Pe-

trum ter Christum negaturum, si ingrederetur domum Pontificis, tentaretur ab ancillâ, cæteráque acciderent, quibus effectum est, vt Diuus Petrus Dominum negauerit.

Notandum tertiò, effectum contingentem futurum non referri ad scientiam Dei simplicis intelligentiæ, aut visionis, sed solùm ad conditionatam.

Probatur, quia effectus contingenter futurús ad illam scientiam Dei refertur, quâ videtur contingenter futurus: atqui nullus effectus cognoscitur contingenter futurus per scientiam simplicis intelligentiæ, seu purè & simpliciter, vt possibilis est; neque etiàm per sciẽtiam visionis, seu vt iamiam existens: ex prædictis igitur nullus effectus contingenter futurus refertur ad scientiam Dei simplicis intelligentiæ, aut visionis, & consequenter tantum ad scientiam conditionatam.

Notandum postremò, aliud esse quærere, an propositionum de futuro contingenti, determinatum sit vnam esse veram, & alteram falsam. quod est *esse determinatè verũ, & falsum diuisim*, quodq; ab omnibus admittitur: quia satis norunt duas propositiones contradicentes, simul non posse esse veras, vnam determinatè fore veram, & alteram falsam: aliud verò quærere, an duarum eiusmodi propositionum contradictoriarum de futuro contingenti, vna sit determinatè vera, & altera determinatè falsa, quod communiter dicitur *esse determinatè verum vel falsum, diuisim*. His notatis, sit

Prima propositio.

DVarum propositionum contradicentium, de futuro contingenti, neutra est à parte rei determinatè

terminatè vera, aut falsa, sed tantum indeterminatè. Ita Aristoteles hoc cap. Diuus Thomas, & omnes eius discipuli, contra pleró sque, potissimum ex recentioribus.

Probatur. Propositiones de futuro contingenti non sunt magis determinatè veræ, aut falsæ, quàm res sint determinatè futuræ, vel non futuræ; nam ex eo quòd res illæ sint futuræ, propositiones affirmantes veræ sunt, & negatiuæ falsæ: verbi gratia, istæ sunt propositiones contradictoriæ, de futuro contingenti, *Petrus cras studebit*, *Petrus cras non studebit*, in tantùm affirmans propositio vera est, & negans falsa, in quantum de facto continget Petrum studere, vel non studere: atqui res futuræ contingentes non sunt determinatè futuræ, quia determinatè futurum, & contingenter futurum opponuntur: *contingenter* enim futurum dicitur, quod ita futurum est, vt possit non esse futurum: *determinatè* verò futurum, ita futurum est, vt numquam possit non esse futurum, vt ipsa vocabula determinationis & contingentiæ indicant: ergo propositiones de futuro contingenti, nec sunt determinatè veræ, nec determinatè falsæ.

Multa obiiciunt authores contrariæ sententiæ, sed hæc omnia duntaxat probant, alteram quidem propositionum contradicentium de futuro contingenti, debere esse veram, & alteram falsam, quia vna est necessariò conformis rei, & ita vera, aut dissentanea, & sic falsa, quod libēter admittimus, quia hoc est esse verum vel falsum *determinatè diuisim*: non probant tamen, alteram esse determinatè veram, & alteram determinatè falsam *seu diuisiuè*; quod nos negauimus.

Cæterùm maximè cauendum est, ne tota sit de nomine, non de re, disputatio, si enim prioris sententiæ authores, cùm aiunt propositionum contradicentium de futuro contingenti, alteram esse determinatè veram, & alteram determinatè falsam, velint tantum determinatum esse, vt vna propositionum contradicentium de futuro contingenti, vera sit, & altera falsa, consentiunt nobiscum: sed hæc loquutio est admodum impropria: quia duorum vnum esse determinatè verum, & alterum determinatè falsum, non est esse determinatum, vt vnum sit verum, & alterum falsum: hoc enim posterius solum indicat, duas propositiones contradictorias simul non posse esse veras, quod est extra omnem controuersiam.

Prius verò significat duarum eiusmodi propositionum contradicentium, de futuro contingenti, vnam ita esse determinatam ad esse futurum, & ad veritatem obtinendam, vt eâ carere nõ possit, sicut nec altera falsitate, quod suprà impugnauimus.

Prima propositio.

NEque etiam duarum propositionum contradicentium de futuro contingenti, vna est determinatè vera, & altera determinatè falsa, licet ad conditionatam Dei scientiam referantur, seu licet eas præuiderit Deus scientiâ conditionatâ, veras, vel falsas.

Probatur. Conditionata illa scientia Dei non est causa veritatis propositionum de futuro contingenti: ergo quamuis res ipsa ad scientiam Dei conditionatam referatur, non tamen propterea propositiones de futuro contingenti erunt determinatè veræ, vel falsæ.

Antecedens probatur. Nulla ſcientia, ne quidem Dei, facit vt res ſit futura, vel non futura, quia ſciẽtia, etiam Dei, eſt tantum cognitio rerum, eas verò non facit, quod præſertim locum habet in futuris contingentibus, quod ex lege diuina contingenter, & cum indifferentiâ, non autem determinatè fieri debeant: ergo conditionata illa ſcientia, non eſt cauſa determinatæ veritatis propoſitionum contradicentium, de futuro contingenti.

Conſequentia hæc oſtenditur: Eatenus propoſitio de futuro contingenti, eſt determinatè vera, vel falſa. quatenus res ipſa eſt determinatè futura, vel non futura: igitur ſi ſcientia Dei non faciat, vt res ſit futura, vel non futura determinatè, non facit etiam vt propoſitio de futurò contingenti ſit determinatè vera, vel falſa.

Obiicies. Quod Deus vidit futurum, non poteſt non eſſe futurum, adeóque eſt determinatè futurũ, quia aliàs error diuinæ ſcientiæ ſubeſſet: ſed quod Deus videt conditionatè futurum, videt eſſe futurum: ergo quod Deus videt conditionatè futurum, videt non poſſe non eſſe futurum, atque adeò eſt determinatè futurum.

Diſtinguo maiorem, quod Deus vidit futurum, non poteſt non eſſe futurum, *eo modo quo vidit futurum* concedo, aliter, nego: ad minorem dico, quod Deus vidit conditionatè futurum, vidiſſe tantum futurum conditionatè, quod ſcilicet, voluntas liberè conſentiret, quia eam ſinit liberè operari, non autem determinatè, vt intendebat obiectio.

QVÆSTIO SECVNDA.

De modificatione propositionum.

MOdificatio propositionum dicitur, quando non simpliciter attributum dicitur conuenire subiecto, sed etiam declaratur conuenientię modus, vel de possibili, vel de impossibili, vel de necessario, vel de contingenti, vt iam suprà diximus.

Quædam verò hîc occurrunt diligenter notanda, primum communiter in propositione modali, ista distingui, *dictum*, & *modum*.

Dictum, est ipsa propositio: modus verò is est, quo talis propositio exprimitur: verbi gratia, in hac propositione modali, *necesse est equũ esse animal: equum esse animal*, vocatur dictũ; *necesse est*, modus.

Notandum secundò, propositionum modalium alias esse affirmantes ex parte modi & dicti, vt *necesse est hominem esse animal*: alias è contra ex parte vtriusque negantes, vt *non est necesse hominem non esse iustum*: alias affirmantes ex parte modi, & negantes ex parte dicti, vt *necesse est hominem non esse lapidem*, alias denique ex aduerso, negantes ex parte modi, & affirmantes ex parte dicti, vt *non est necesse hominem esse album*.

Notandum tertiò, licet affirmatio & negatio, in his propositionibus modalibus, non solum dicto, sed etiam modo, apponatur, simpliciter tamen propositiones modales affirmantes haberi, quæ affirmant ex parte modi, tametsi ex parte dicti negent; sicque has propositiones esse affirmantes, *necesse est hominem non esse lapidem*, *possibile est Petrum non esse Philosophum*, & similes; quia ex parte modi, scilicet,

necesse est, vel *possibile*, affirmant; esto, ex parte dicti, negent: è contrario verò, eas propositiones modales pro negatiuis accipi, quæ ex parte modi negant, quamquam affirment ex parte dicti, vt *non est necesse hominem esse album, non est possibile hominem esse lapidem*, & similes.

Notandum denique, propositiones modales dici vniuersale, vel particulares, prout dictum fuerit vniuersales, vel singulare, sicque hanc *necesse est omnem hominem esse animal*, esse vniuersalem, quia dictum, nimirum *omnis homo est animal*, est aliqua propositio vniuersalis: istam verò esse particularem, *necesse est Petrum esse hominem*, quia dictum eius, scilicet *Petrum esse hominem*, est propositio particularis: pari modo propositio modalis dicetur indefinita, cuius dictum erit propositio indefinita, vt hæc: *necesse hominem esse animal*, & aliæ similes. De æquipollentia autem, & oppositione harum propositionum, infrà.

QVÆSTIO TERTIA.

De oppositione propositionum.

PRopositionum oppositio, est earum repugnantia inter se, siue in quantitate, siue in qualitate.

Repugnantia in quantitate est, quando vna est vniuersalis, altera particularis, vt *omnis homo est animal, aliquis homo est animal.*

Repugnantia verò in qualitate est, cum vna affirmat, altera negat, vt *omnis homo est animal, nullus homo est animal.*

Oppositio propositionum quadruplex, prima est contradictoria, inter illas propositiones, quæ vel repugnant in quantitate, & qualitate simul,

quarum scilicet, vna est vniuersalis affirmans, altera particularis negans, vel è contra, vt *omnis homo est animal, aliquis homo non est animal: nullus homo est lapis, aliquis homo est lapis*, vel pugnat in solida qualitate, non autem in quantitate: quando nimirū vna est singularis affirmans, & altera de eodem, singularis negans, vt *Aristoteles est Philosophus, Aristoteles non est Philosophus*, & hæ propositiones adeo inter se pugnant, vt simul veræ esse non possint.

Secunda propositionum oppositio est contraria, quando in sola qualitate pugnant, non in quantitate, vnaque est vniuersalis affirmans, altera vniuersalis negās, *omnis homo est animal, nullus homo est animal*, vel *omnis homo est iustus: nullus homo est iustus*: priores, quia sunt in materia necessaria, numquam simul veræ aut falsæ esse possunt, sed vna necessariò vera est, & altera falsa, vt patet exemplis: posteriores, quia sunt in materia contingenti, simul falsæ esse possunt, si quidem simul falsum esse potest, quod omnis homo sit iustus, & quod nullus homo sit iustus, quia aliqui tantum possunt esse iusti.

Tertia oppositio est subcontraria, quando propositiones pugnant in sola qualitate, non autem quantitate, quia ambæ sunt particulares, vna affirmans, altera negans, vt *quidam homo est iustus, quidam homo non est iustus. Quidam homo est animal: quidam homo non est animal.*

Priores duæ propositiones simul veræ esse possūt, quia sunt in materia contingenti, fierique potest, vt aliquis homo sit iustus, & alius non sit. Posteriores ita se habent, vt earum vna necessariò vera sit, altera falsa: vera illa *quidam homo est animal*, falsa hęc, *quidā homo non est animal* Quia animal eadem ratione quā vni, eadem aliis hominibus necessariò conuenit.

Quarta oppositio subalterna est quando propositiones in sola quantitate pugnant, quia vna est vniuersalis, altera particularis: non verò in qualitate quia vel vtráque affirmat *omnis homo est animal, aliquis homo est animal:* vel vtráque negat, vt *nullus homo est lapis, aliquis homo non est lapis.* Istæ ambæ propositiones subalternæ simul veræ esse possunt, itémque falsæ: Veræ, vt *omnis equus viuit. aliquis equus viuit* Falsæ verò, vt *nullus equus est animal, aliquis equus non est animal.*

Peculiaris est difficultas de oppositione oppositionum modalium: ea tamen sic communiter redditur.

Primò, dicuntur propositiones modales esse contradicentes. Quarum vna est de necessario affirmans, altera de possibili negans, vt *necesse est hominem esse animal: non est possibile hominem esse animal.*

Secundò, illæ sunt contrariæ, quarum vna est de necessario affirmans, altera de impossibili negans, vt *necesse est hominem esse animal: non est impossibile hominem esse animal.*

Tertiò subcontrariæ sunt, quarum vtráque afficitur modo contingentiæ, vna tamen affirmat, altera negat, vt *est contingens hominem esse doctum, non est contingens hominem esse doctum.*

Subalternæ tandem sunt, quarum vna est de necessario, altera de contingenti, & vtráque affirmat, vt *necesse est hominem esse animal, contingens est hominem esse animal:* & harum propositionum tanta est repugnantia, vt vna necessariò debeat esse vera, & altera falsa: vera, vt *necesse est hominem esse animal:* falsa, vt *contingens est hominem esse animal.*

QVÆSTIO QVARTA.

De conuersione propositionum.

Conuersio propositionum tunc fit, cum subiectum mutatur in prædicatum, vt *nullus equus est homo, nullus homo est equus.*

Illa conuersio triplex vulgò ponitur: Prima dicitur simplex, & per se; secunda per accidens; tertia denique per contrapositionem.

Simplex tunc fit, cum seruata tam qualitate propositionis, quàm quantitate simpliciter subiectum transmutatur in attributum, vt videre est in exemplo allato, *nullus equus est homo*, quæ propositio vniuersalis negans conuersa est in hanc vniuersalem negantem, *nullus homo est equus*, à priori differentem, quòd subiectum illius, scilicet equus, sit posterioris prædicatum.

Conuersio verò per accidens, tunc fieri dicitur cum, eadem qualitate propositionis, scilicet affirmatione & negatione seruata, & immutata quantitate, nempe vniuersalitate, & particularitate, vniuersalis affirmans conuertitur in particularem affirmantem, cuius subiectum sit alterius prædicatũ, vt *omnis homo est animal, aliquod animal est homo.*

Denique conuersio per contrapositionem absoluitur, quando retenta eadem qualitate propositionis, & quantitate, vna propositio quæ constabat terminis finitis, vt hæc, *omnis equus est animal*, conuertitur in aliam ex terminis infinitis conflatam, ita vt subiectum vnius fiat alterius prædicatum, vt *omne non animal est non equus.*

Rogabit aliquis, vt harum conuersionum quædam assignentur regulæ.

Prima sit, vniuersalem negantem conuerti simpliciter in vniuersalem negantem, vt *nullus est equus homo, nullus homo est equus.*

Secunda regula: Particularis affirmans conuertitur simpliciter in particularem affirmantem: vt *Petrus est homo, aliquis homo est Petrus.*

Tertia est, vniuersalem negantem conuerti in particularem negantem, vt *nullus homo est lapis: aliquis lapis non est homo*: & vniuersalem affirmantem, in particularem affirmantem, vt *omnis homo est viuens, aliquod viuens est homo.*

Quarta regula. Propositio particularis negans, propriè loquendo non conuertitur, vt *aliquod animal non est bellua*, non sequitur, *aliqua bellua non est animal.* Fonseca tamen lib. tertio dialecticarum institut. cap. octauo, eam conuertit per cõtrapositionem, hoc modo: *quoddam animal non est bellua, quadam non bellua non est non animal.* Sed hæc conuersio tenebris plena est, nullúsque vsus.

Quinta vniuersalis affirmans per contrapositionem conuertitur in vniuersalem infinitam, paritérque affirmantem, vt *omnis homo est animal, omne non animal est non homo.*

Adde hanc scilicet particularem affirmantem, per contrapositionem quoque conuerti in particularem, affirmantem, vt *quidam homo est animal, quoddam non animal est non homo.*

Cæterùm vt variæ istæ conuersiones retineantur, duos accipe versiculos.

Simpliciter Feci, conuertitur Eua, per acci:
Asti per contra, sic fit conuersio tota.

Hi versiculi, vt intelligantur, notanda sunt tria vocabula *Feci, Eua, Asti.* Quæ tres continent vocales, A, E, I, Quarum prima significat propositionē

vniuersalem affirmantem. E, vniuersalem negantem. I, particularem affirmantem, sicut & O, particularem negantem: iuxta illud.

Asserit A, negat E, sed vniuersaliter ambæ:
Asserit I, negat O, sed particulariter ambæ.

Hinc, quia in primo vocabulo *feci*, quod dicitur simpliciter conuerti, quæ sunt vocales E, & I, quarum prior denotat propositionem vniuersalem negatiuam; posterior particularem affirmatiuam, intelligimus propositionem vniuersalem negantem, & particularem affirmantem, simpliciter esse conuertendam.

Item cum, *Eua*; quod dicitur per accidens conuerti, contineat vocales A, & E, quarum illa propositionem vniuersalem affirmantem, hæc vniuersalem negantem significat, indicat propositionem vniuersalem affirmatiuam, & vniuersalem negatiuam debere conuerti per accidens. Denique cum *asti*, quod *per contra. i. contrapositionem*, dicitur conuerti, conueniant vocales A, & I, quarum prior propositionem vniuersalem affirmatiuam, posterior particularem quoque affirmantem significat, intelligimus propositionem vniuersalem affirmantem, & particularem quoque affirmatiuam conuerti per contrapositionem. Quæ omnia exemplis suprà positis patent.

QVÆSTIO QVINTA.

De Æquipollentia propositionum.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Æquipollentia propositionum modalium.

SEnsus est: Quomodo data vnâ propositione modali tres illæ Æquiualentes in aliis modis

assignari possint. verbi gratia, data hac *possibile est hominem esse iustum*, tres aliæ in aliis modis impossibilis, scilicet necessariæ: & contingentiæ assignari queant. Hoc vt intelligatur.

Consideranda sunt quatuor artificiosa vocabula, quæ ad ipsam æquipollentiam ob oculos ponendam inuenta sunt, *purpura, amabimus, edentuli, iliace.* Primò igitur loco notandum est in vnoquoque vocabulo quatuor esse syllabas, quatuor propositiones modales hoc ordine designãtes. Prima designat propositionem de possibili: 2. de contingenti: 3. de impossibili: 4. de necessario.

Not. 2. in syllabis istorum quatuor vocabulorũ quatuor esse vocales A, E, I, V. A, designat propositionem affirmantem ex parte modi, & dicti, vt *possibile est hominem esse iustum*: E, affirmantẽ ex parte modi, & negantem ex parte dicti, vt *necesse est hominem non esse lapidem*: I, negantem ex parte modi, & affirmantem ex parte dicti, vt *non est necesse hominẽ esse iustum*: V, denique negantem ex parte modi, & dicti, vt *non est necesse hominem esse iustum.*

His diligenter consideratis facilè erit data vna propositione modali tres illi æquiualentes assignare. Itaque detur ista *possibile est hominem esse iustum*, quæ est de possibili, & affirmans, tam ex parte modi, quàm ex parte dicti, quærendum est illud vocabulum, quod habeat in prima syllaba vocalem A, talem dispositionem designantem, quia ex dictis prima syllaba denotat propositionem modalem de possibili: vocalis verò A, indicat illam esse affirmantem, tam ex parte modi, quàm ex parte dicti, vocabulum illud erit sine dubio *amabimus*: quo inuento sic procedendum est: secunda syllaba habet vocalem A, quia 2. est, denotat propositionem de

contingenti, quia verò includit A, E, significat illam propositionem debere esse affirmātem, tam ex parte modi, quam ex parte dicti: Quare hæc erit, *contingens est hominem esse iustum*. Rursus progrediendum est ad 3. syllabam, quę denotat propositionem de impossibili, & considerandum in illa reperiri vocalem *I*, quæ designat propositionem negantem ex parte modi, & affirmantem ex parte dicti: sicque hæc conficienda est, *non est impossibile hominem esse iustum* Denique quarta eiusdem vocabuli syllaba, propositionem de necessario significans inspicienda est, & spectanda vocalis V, quam continet, quæ quidem denotat propositionem negantem, tam ex parte modi, quàm ex parte dicti: sicque talis propositio reddenda est, *non est necesse hominem non esse iustum*: vt autem citiùs videantur propositiones istæ æquiualentes, omnes eo ordine, quo traditæ sunt, sub vno aspectu ponemus.

A	*Possibilem est hominem esse iustum*,
ma	*Contingens est hominem esse iustum*,
bi	*Non est impossibile hominem esse iustum*,
mus	*Non est necesse hominem non esse iustum*.

Idem pari religione obseruari debet in aliis vocabulis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Æquipollentia oppositarum propositionum.

QVæstio tantum est de contrariis, contradicentibus & subalternis, de quibus hæ assignantur regulæ.

Prima regula, vt propositiones contrariæ fiant æquiualentes, vnius subiecto particula negatiua adiungenda est. Exemplo sint istæ propositiones,

Omnis equus est animal, nullus equus est animal; in his subiectæ sunt *omnis equus, nullus equus*: addas ergo negationem post subiectum prioris propositionis, & dicas: *omnis equus non est animal*: vel è contra addas huic posteriori, & sic efferas, *Nullus equus non est animal*, eiusdem planè erit valoris cum priori, *omnis equus est animal*.

Secunda regula si præponatur subiecto, vnius propositionis contradicentis particula negatiua fient duæ contradicentes æquiualentes, vt *omnis homo est iustus: aliquis homo non est iustus*: si *omni homini* qui est subiectū prioris propositionis negationem præposueris, & dixeris *non omnis homo est iustus*, æquiualebit huic posteriori, *aliquis homo nō est iustus*.

Tertia regula, vt subalternæ propositiones æquiualeant, ante subiectum vnius propositionis constituenda est particula negatiua, vt *omnis homo est iustus, quidam homo est iustus*: si ante subiectum prioris propositionis negationem posueris, & dixeris *non omnis homo est iustus*, æquiualebit posteriori, *aliquis homo est iustus*. Hæc de propositione.

TERTIA PARS OPERIS DIALECTICI.

DE ARGVMENTATIONE.

PRÆFATIO.

ARGVMENTATIO, quæ est præcipuum inuestigandæ veritatis instrumentum longe latéque funditur, primóque considerari potest, vel materialiter, vel formaliter: materialiter quatenus est in materia, vel necessaria, vel probabili, vel sophistica: formaliter quatenus est certis quibusdam modis certísque legibus constructa, & certas figuras postulat. De argumentatione hoc posteriori modo sumpta agit Aristoteles libris priorum analyticorum, de ea vero priori modo considerata libris posteriorum analyticorum, topicorum & elenchorum. Nos eius sequemur vestigia, hancque postremam Dialecticæ nostræ partem, in duos generales tractatus distribuem⁹: Prior argumentationem secundùm formam complectetur: posterior argumentationem secundùm materiam, deinde iuxta materiam illam diuersam, analyticam seu necessariam, topicam seu probabilem, &

ſophiſticam ſeu fallacem: poſteriorem hunc tractatum in tres diuidemus diſputationes. 1. erit de demonſtratione, & illis omnibus quæ ad ipſam pertinẽt, 2. de topico ſyllogiſmo, 3. deniq; de ſophiſtico.

TRACTATVS I. HVIVS PARTIS VNICA DISPVTATIONE contentus.

De argumentatione ſecundùm formam, potiſſimùm de Syllogiſmo.

SECTIO I. ET II. DE NOMINE. *De exiſtentia argumentationis, præſertim ſyllogiſmi.*

ARGVMENTATIO, quæ alio nomine ratiocinatio dicitur, nihil aliud eſt quàm diſcurſus vnum inferens ex alio, vt ex eo quod homo ſit rationalis, eum eſſe intellectu præditum.

Duobus modis vſurpatur; ſcilicet pro mentali, & vocali.

Ratiocinatio mentalis eſt, quæ fit in mente abſque vlla verborum prolatione.

Vocalis verò eſt ipſa ratiocinatio ore & verbis expreſſa.

Rurſus ratiocinatio mentalis duplex: formalis, & obiectiua.

Formalis eſt ipſa tertia mentis operatio, quæ vnũ ex alio tanquam ex prius noto deducit, vt in exemplo initio allato viſum eſt: homo eſt rationalis,

ergo & intellectu præditus: ibi enim iudicat mens hominem esse intellectu præditum, ex hoc præcedente iudicio, quod sit rationalis, & ita iudicat, vt præcedens illud iudicium sit causa subsequentis: in quo tertia mentis operatio, seu discursus mentalis formalis distinguitur à cognitione Angelorum, qui vnico actu plura cognoscunt, nec ex vno cognito progrediuntur ad cognitionem alterius sibi antea ignoti, ita vt prior cognitio fuerit causa posterioris, sicut docent Theologi cũ D. Thoma, prima parte.

Ratiocinatio verò obiectiua, vt suprà de enuntiatione diximus, est quoddam artificiosum mentis nostræ opus, consurgens ex iudicio antecedenti, & iudicio consequenti, quæ in ratiocinatione deprehensa sunt: sicut enuntiatio obiectiua, superius à nobis dicta, est opus aliquod artificiosum nostri intellectus, conflatum ex notitia subiecti, attributi & copulæ vtriusque.

Argumentationis existentia patet tum ex cõmuni vsu, tum ex diuisione ipsius in suas species, quæ sunt *syllogismus, enthymema, inductio, exemplum, sorites*: de quibus accuratè in Compendio actum est. De solo syllogismo, vt nobilissima argumentationis specie, hîc agendum est, eiúsque inuestiganda essentia.

SECTIO TERTIA.

De essentia syllogismi.

HÆc est syllogismi ab Arist. tradita & communiter recepta definitio: *syllogismus est oratio in qua quibusdam positis aliud quid necessariò sequitur, ex eo quòd hæc sint.*

Ponitur 1. *oratio* tanquam genus: rectiùs poneretur *argumentatio*, quę est proximum genus ad syllogismum,

logiſmum,& alias argumentationis ſpecies,in quas mediatè diuiditur.

Additur in qua quibuſdam poſitis,id eſt,quibuſdam præmiſſis,benè diſpoſitis,vt explicat Ægidius Romanus,vel conceſſis; aut aptis quæ concedantur,vt vult Aphrodiſeus.

Additur 3.*aliud ſequitur*. i. concluſio.

Adiungitur 4. *neceſſariò*; cuius particulæ explicandæ cauſa.

Not.eſt,concluſionem aliquam ex præmiſſis neceſſariò ſequi duobus modis. 1. neceſſitate conſequentiæ. 2.neceſſitate conſequentis.

Neceſſitate conſequentiæ, quæ aliter neceſſitas formalis,vel formæ nuncupatur, concluſio dicitur ſequi neceſſariò ex præmiſſis;cum vi formæ ſyllogiſticæ,& diſpoſitionis terminorum deducitur, licet interim poſſit vi ipſius materię non ſequi,vt patet in hoc ſyllogiſmo:

Omne animal eſt lapis,
Omnis homo eſt animal,
Ergo omnis homo eſt lapis.

Ibi enim concluſio, quæ falſiſſima eſt, neceſſariò deducitur ex ſuis præmiſſis vi ipſius formæ, quæ in tali ſyllogiſmo obſeruatur.

Neceſſitate verò conſequentis,concluſio ex præmiſſis neceſſariò dicitur inferri,cum nulla obſeruata forma, ſed propter ſolam neceſſariam commixtionem,quam inter ſe habent termini, concluſio neceſſariò ſequitur,vt videre eſt in hoc ſyllogiſmo;

Omne animal eſt viuens,
Omnis homo eſt viuens,
Ergo omnis homo eſt animal.

Ideo ergo duntaxat hæc concluſio admittitur, *omnis homo eſt animal*, quia materialiter vera eſt, non

quod ex præmiſſis rectè deducta, & aliqua ſyllogiſtica forma fuerit obſeruata, cum ſit in ſecunda figura, & tamen conſtet puris affirmantibus, quod tali figuræ repugnat, vt infrà videbitur.

Hoc notato, quando ait Ariſt. concluſionem neceſſariò ſequi quibuſdã poſitis. i. ex præmiſſis, hoc non de neceſſitate conſequẽtis, & materiæ, ſed cõſequentiæ & formæ intelligi debet, vt doceat cõcluſionem neceſſariò ſequi ex præmiſſis, vi formæ & diſpoſitionis: quod etiam indicant poſtrema talis definitionis verba, *ex eo quòd hæc ſint.* i. ſecundùm communiorem interpretationem, ex eo quòd præmiſſæ ita ſint, & in tali forma diſpoſitæ.

Ex his omnibus facilè colligis ſenſum definitionis ſyllogiſmi, vt ſit argumentatio, in qua quibuſdam præmiſſis benè diſpoſitis, concluſio neceſſariò ſequitur, neceſſitate conſequẽtiæ, ſeu formę, vel ex eo quòd præmiſſæ in tali forma fuerint diſpoſitæ.

Verùm magnam dubitandi occaſionem multis attulit, quod poſuit Ariſtoteles, concluſionem tanquam aliquid aliud, ex quibuſdam poſitis. i, præmiſſis ſequi: Nam Albertus magnus tractatu huius libri contendit ſolas præmiſſas, & non concluſionem eſſe de eſſentia ſyllogiſmi.

Contrarium tamen longè probabilius eſt, concluſionem etiam eſſe de eſſentia ſyllogiſmi: ſiquidem in eius definitione ab Ariſtotele tradita, includitur tanquam id, quod ſequitur ex præmiſſis.

Accedit ratio: ſyllogiſmus eſt tertia mentis operatio: ergo eſſentialiter includit illationem ſeu concluſionem, quia tertia mentis operatio vnum ex alio inferre debet.

Confirmatur, vt ſe habet conſequentia ad enthymema, ita concluſio ad ſyllogiſmum: Atqui conſe-

quentia est de essentia enthymematis, alioquin enthymema esset tantùm vna propositio simplex: ergo & conclusio erit de essentia syllogismi.

Obiicies primò, conclusio est aliquid aliud ab iis quę posita sunt, ex Aristotele. Ergo ex mente Aristotelis conclusio non est de essentia syllogismi.

Neganda est consequentia, docet enim tantùm Aristoteles conclusionem esse quid aliud ab iis quę posita sunt, scilicet pręmissis, non autē, syllogismo.

Secundò obiicies ex eodem Aristot. 4. priorum cap. 22 & 1. post. c. 19. ex tribus terminis, & duabus propositionibus omnis cōficitur syllogismus: ergo conclusio non pertinet ad essentiam syllogismi.

Respondent aliqui, de facto apud Aristotelem syllogismum interdum vsurpari pro solis pręmissis aptè dispositis ad inferendam conclusionem, vt locis citatis: vbi tamen propriè de syllogismo loquutus est, illum accepisse quatenus etiam ex conclusione componitur.

Rectius respondeo, ex tribus terminis, & duabus propositionibus nouum aliquem terminum habētibus constare syllogismum, non excludendo conclusionem, quæ iisdem terminis aliter dispositis constat, quibus duæ præmissę conficiuntur, proindéque quasi in his videtur comprehendi.

Obiicies denique, effectus instrumenti & causa non continentur in essentia ipsius instrumenti, & causæ: ergo non continetur conclusiò in essentia syllogismi. Probatur minor, syllogismus est instrumentum & causa scientiæ, vel opinionis; scientiæ si fuerit demonstratiuus, opinionis si topicus: Atqui in syllogismo demonstratiuo, conclusio scientia est, in topico verò opinio: ergo syllogismus est instrumentum, & causa conclusionis.

Resp. negando minorem: ad probationem 1. aliqui respondent concessa maiori, negatione minoris, scilicet conclusionem, quæ est in aliquo syllogismo, siue demonstratiuo, siue topico esse scientiam vel opinionem, sed aiunt per talem syllogismum, quatenus comprehendit præmissas & conclusionem, produci in intellectu scientiam vel opinionem rei in quæstionem coniectæ.

Alii maiorem negant, nimirum syllogismum esse causam scientiæ vel opinionis, sed id solis eius præmissis attribuunt, quatenus vim habent inferendi conclusionem, siue necessariam & scientificam, siue tantùm probabilem & topicam.

Quòd si quis instet, adhuc videri incommodum, quod præmissæ alicuius syllogismi fiat instrumenmentum, & causa conclusionis:

Respondent hoc de facto non esse absurdum in syllogismo, quia non est vnius essentiæ, sed ex multis conflatus essentiis, quarum vnam, alterius instrumentum & causam esse nou repugnat.

SECTIO POSTREMA.

De affectionibus syllogismi.

AFfectiones syllogismi sunt, quod verum inferat, vel falsum directè concludat, hoc vel illo modo disponatur, & aliæ plures, quæ omnino pendent à notitia figurarum, in quibus syllogismus constitui construi-ue potest. Itaque de figuris, & iis quæ ad ipsas spectant, pro integra huius sectionis intelligentia, agendum est his sequentibus quæstionibus.

QVÆSTIO PRIMA.

Vnde nam figuræ ratio petatur. Vbi ex occasione de materia syllogismi.

NOtand. est 1. vel potius ex compendio repetendum, materiam syllogismi esse duplicem, vnam proximam scilicet propositionem: alteram remotam, scilicet simplices terminos quibus integrantur propositiones, & ipsis intermediis syllogismus componitur.

Not. 2. in tota structura syllogismi tres tantùm terminos reperiri, *medium, maius extremum*, quod in maiori connectitur cum medio; & *minus extremum*, quod in minori cum eodem medio copulatur; vt videre est in hoc syllogismo:

Omne animal est corpus,
Omnis homo est animal,
Ergo omnis homo est corpus.

Animal medium est, corpus maius extremum cum animali, in maiori copulatum, homo denique minus extremum, propterea quod cum animal, medio in minori conuertitur.

Hanc medij notam assignauimus, quod semel ponatur in maiori, & semel in minori, nunquam verò conclusionem ingrediatur, ad differentiam maioris & minoris extremi, quæ in conclusione locum habent.

His positis dicimus figuræ rationem consurgere ex collocatione medij cum maiori vel minori, numquam verò conclusionem ingrediatur, ad differentiam maioris, & minoris extremi, quæ in conclusione locum habent.

His positis dicimus figuræ rationem consurgere

ex collocatione medij cum maiori, vel minori extremo, adeo vt tota figurarum varietas ab illa medij varietate dependeat: quod vt confirmetur amplius, de numero figurarum agendum est.

QVÆSTIO SECVNDA.

De numero figurarum.

PRima figura est quando medium in maiori subiicitur, & in minori prædicatur, vt apparet hoc exemplo:

Omne animal est substantia,
Omnis homo est animal,
Ergò omnis homo est substantia.

Animal enim, quod medium est, in maiori propositione subiicitur, & in minori prædicatur.

In hac 1. figura alij sunt modi directi, & directè cõcludentes: alij indirecti, & indirectè concludentes.

Directi quatuor sunt, quatuor artificiosis vocabulis designati: *barbara, celarent, darij, ferio.*

Indirecti quinque: *baralipton, celantes, dabitis, fapesmo, frisesomorum*: in quibus omnibus vocabulis tres syllabæ considerandæ sunt, quarum prima maiorem, secunda minorem, tertia cõclusionem significat: si plures sunt, versus tantùm causa ponuntur.

Considerandæ etiam veniunt quatuor vocales, quæ in his syllabis reperiuntur. A, E, I, O: quarum A, designat propositionẽ vniuersalem affirmãtem: secunda vniuersalem negãtem: tertia particularem affirmantem: quarta deniq; particularem negantẽ, vt agendo de propositione dictum est: horum omnium modorum, tam directorum, quàm indirectorum exempla, ex compendio sunt desumenda: sumẽda quoq; ex eodem huius primæ figuræ regula,

Secunda figura eſt, cum medium in vtráque pręmiſſa prædicatur, vt

Omnis liberalitas eſt virtus,
Nulla prodigalitas eſt virtus,
Ergo, nulla prodigalitas eſt liberalitas.

In quo ſyllogiſmo, *virtus*, quę eſt medium, tam in maiori quàm in minori prædicatur: hæc figura quatuor modos continet, his vocabulis ſignificatos: *caſare, cameſtres, feſtino, baroco*: in quibus ac in modis primæ figuræ obſeruari debet, ídque totum ex compendio deſumendum.

Tertia figura dicitur, quando medium in vtráque præmiſſa ſubiicitur, vt

Omne animal eſt viuens,
Omne animal eſt ſubſtantia,
Ergo, aliqua ſubſtantia eſt viuens.

In præſenti ſyllogiſmo, *animal*, quod ſumitur tanquam medium, & in maiori & in minori eſt ſubiectum.

In hac tertia figura ſex modi reperiuntur, ſex hiſce vocabulis expreſſi:

Darapti, felapton, diſamis, datiſi, bocardo, feriſon: in quibus idem poteris obſeruare, ac in aliis aliarum figurarum modis, & ea quæ in compendio tradidimus legere, ex quo etiam generales omniũ figurarum leges deſumere promptum erit.

Difficultas eſt inter medicos, & Peripateticos, an his tribus figuris, quarta debeat adiungi, quam ex ſuo Galeno medici accipiunt, & ab eo authore, Galeni figuram nuncupant, quæ primæ, è diametro opponatur, in 1. enim medium eſt ſubiectũm maioris, & minoris prędicatum: in hac vero è contrario, medium prædicatur in maiori, & in minori ſubiicitur, hoc modo.

omnis equus est viuens,
omne viuens est substantia,
ergo omnis equus est substantia.

In quo syllogismo, *viuens*, quod assumitur tanquam medium, de facto in maiori prædicatur, & in minori subiicitur.

Verùm melior est, saniórque Aristotelis, Auerrois, aliorúmque omnium Philosophorum sententia, hanc quartam Galeni figuram, quamuis verum concludere possit, non esse tamen admittẽdam, sed tanquam præternaturalem, & inutilem, reiiciendam; quod benè concludat, constat exemplo suprà posito: quod, verò præternaturalis sit, & inutilis, patet: quia ordo naturalis syllogismorum est, vt maius extremũ ponatur in maiori, & minus in minori, cuius tamen contrariũ, in hac syllogismi forma cernitur: Nam *substantia*, quæ est maius extremum, ponitur in minori tanquam prædicatum, & *equus*, qui est minus extremum, in maiori tanquam subiectum: vnde fit vt si ad naturalem ordinem hãc formam velis reducere, statim recedeat in primam figuram, vt patet exemplo allati syllogismi:

omnis equus est viuens,
omne viuens est substantia,
ergo omnis equus est substantia.

Si enim *substantia*, quæ est maius extremum constituatur in maiori, quia naturaliter debet prædicari de viuente tãquam genus de specie, prima erit positio: *omne viuens est substantia:* si itẽ, *equus*, qui est minus extremũ, ponatur in minori, cũ naturaliter debeat viuenti subiici, tãquam species generi, erit minor positio talis: *omnis equus est viuens:* sicque, ex duab. istis positionibus ita dispositis, rectè infertur conclusio in *barbara*, primo, primæ figuræ modo, vt

omne viuens est substantia,
omnis equus est viuens,
ergo omnis equus est substantia.

Respondent aliqui, non in eo tantum figuram Galeni à prima distingui, quod prima habeat maius extremum in maiori, & minus in minori, sed quasi figura Galeni semper indirectè concludat, vt

omnis equus est viuens,
omne viuens est substantia,
ergo aliqua substantia est equus.

Verum illi longè falluntur grauius quàm qui figuram ipsam Galeni, priori modo positam retinent: Nam præterquam quod non faciunt illam præternaturalem, collocando maius extremum in minori positione, & minus extremum in maiore, adhuc maius aliquod vitium adiiciunt, quod nimirum inferant conclusionem præternaturalem, vt, *aliqua substantia est equus*: loco huius: *omnis equus est substantia*: ad quam inferendam naturaliter inclinatur intellectus: quare ex his omnibus constat figuram illam Galeni; etsi aliquando verè concludat, attamen esse omninò superfluam, nec aliter rectam, quàm prout ad primam reducitur.

Verùm adhuc cæteris addendum: & diligenter notandum, omnium prædictarum figurarum modos in duobus fundari principiis, lumine naturali cognitis. *dici de omni: & dici de nullo.*

Principium dici de omni, idem est cum illo quod attulit Aristoteles in suis antep. quando duo se ita habent, vt *vnum de altero prædicetur, tanquam de subiecto quidquid dicitur de prædicato essentialiter, dicitur & de omni subiecto sub illo contento*: Atque in eo principio immediatè fundantur modi perfecti primæ figuræ affirmatiuè concludentes, vt in *barbara.*

Omne animal est substantia,
Omnis homo est animal,
Ergo omnis homo est substantia.

In hoc enim syllogismo eatenus, *substantia*, verè prædicatur de homine in conclusione, quatenus dicitur essentialiter de animali in maiori, quod quidem animal de homine essentialiter affirmatur in minori.

Secundum principium, dici de nullo, hac clariori forma exprimitur: *quando vnum de altero essentialiter prædicatur tanquam de subiecto, quidquid repugnat attributo, repugnat etiam subiecto*: in eóq; principio, immediatè fundantur modi perfecti primæ figuræ negatiuè concludentes, vt hic testatur syllogismus in *celarent:*

Nullum animal est lapis,
Omnis homo est animal,
Ergo nullus homo est lapis.

Siquidem ea solum de causa, *lapis* in conclusione intelligitur homini repugnare, & de isto non posse prædicari, in quantum repugnat, & non dicitur de animali in maiori; quod quidem animal in minori prædicatur de homine, tanquam de subiecto.

Dixi in his duobus principiis immediatè solos perfectos primæ figuræ modos, siue affirmatiuè, siue negatiuè concluderēt, fundari; ad distinctionem modorum imperfectorum huius secundæ figuræ, & aliorum modorum secundæ & tertiæ, quæ vtpotè imperfectè, & ineuidenter concludentes, ad hæc duo principia tantū reuocantur, in quantum prius, ad aliquem modum ex perfectis primæ figuræ deducuntur, vt in *baralipton.*

Omne animal est substantia,
Omnis homo est animal,

Ergo aliqua ſubſtantia eſt homo.

In hoc enim ſyllogiſmo, principium, *dici de omni*, expreſsè locum non habet niſi in concluſione ponatur, *omnis homo eſt ſubſtantia*, vt ſubſtantia; quę in maiore prædicatur de animali, quod quidem animal eſt attributũ hominis in minori, de eodem homine in cõcluſione affirmetur, qua tamen facta cõuerſione concluſionis allatæ ſyllogiſmi, erit in *barbara* primo perfecto ſecundæ figuræ modo, vt

Omne animal eſt ſubſtantia,
Omnis homo eſt animal,
Ergo omnis homo eſt ſubſtantia.

QVÆSTIO TERTIA.

De reductione modorum indirectorum primæ figuræ, itemque omnium modorum ſecundæ, & tertiæ figuræ, ad quatuor directos primæ figuræ modos.

REductio hìc non eſt aliud quàm probatio, & demonſtratio veritatis alicuius imperfecti ſyllogiſmi, per ſyllogiſmum perfectiorem.

Multipliciter autem illa fit, primò per conuerſionem ſimplicem poſitionum, vt *nullus lapis eſt ſentiens, nullum ſentiens eſt lapis*. Secundò per conuerſionem accidentalem, vt *aliqua ſubſtantia eſt homo, omnis homo eſt ſubſtantia*. Tertiò per tranſpoſitionem præmiſſarum, ita vt ex maiori fiat minor, & ex minori maior. Quartò per deductionem ad incommodum. Poſtremò per ſyllogiſmum expoſitorium, & dicitur oſtenſiua.

Vt autem quatuor priores reductiones innoteſcant, imprimis iuuat oculis ſubiicere omnia

prædicta vocabula, quibus omnium figurarum modi designantur.

barbara,celarent,darij,ferio,baralipton,
celantes,dabitis,fapesmo,frisesomorum,
cæsare,camestres,festino,baroco,darapti,
felapton,disamis,datisi,bocardo,ferison.

Rursus notandum omnia ista vocabula in prima sua syllaba, habere aliquam ex his quatuor consonantibus, B, C, D, F.

Notandum tertiò, in his reductionibus excepta reductione ad incommodum, ab *barbara*, illos omnes modos esse reuocandos, qui per consonantem B, incipiunt: ad *celarent*, qui à C: ad *darij*, qui à, D, ad *ferio*, denique, qui ab F, sumunt initium.

Excipiuntur ab hac regula generali, baroco & bocardo, qui modi, licet à B, incipiant, ad *barbara*, tamen non possunt reuocari, ex communi doctrina Philosophorum.

Quartò, vt videamus quo genere reductionis, aliquis modus, siue indirectus, primæ figuræ, siue etiam alij secundæ & tertiæ figuræ, ad aliquem ex quatuor perfectis primæ figuræ reuocari debeat, considerandæ sunt quatuor consonantes, quæ in omnium vocabulorum istorum syllabis reperiuntur, S, P, M, C, quarum prima ostendit positionem per syllabam in qua est significatam, conuertendam esse conuersione simplici, P, conuersione per accidens: M, per transpositionem præmissarum, ita vt ex maiori fiat minor, & ex minori maior: C, denique, per deductionem ad incommodum, vt hi duo versus indicant.

Simpliciter verti vult, S, P, verò per acci,
M, vult transponi, C, per impossibile duci,

Nota tamen non eos tantum modos per incom-

modum reduci, qui includunt litteram, C, sed omnes penitus, vt infrà constabit: peculiariter tamen hic poni modos continentes, C, in secunda vel vltima syllaba, (id enim sic accipiendum est) non posse aliter quàm per impossibile reduci, quod in baroco & bocardo liquet.

His notatis, dato aliquo syllogismo, siue in modis imperfectis primę figuræ, siue in aliis aliarum figurarũ facilis erit eius conuersio in aliquem ex perfectis primæ figuræ modis: detur itaque syllogismus in *baralipton*,

Omne animal est viuens,
Omnis homo est animal,
Ergo aliquod viuens est homo.

Tunc hoc modo procedam, modus iste incipit à consonante, B. ergo ad *barbara* est reuocandus: in maiori, & minori, nulla est ex quatuor istis consonantibus, S, P, M, C, ergo nullo genere conuersionis illæ conuertendæ sunt, sed in suo statu retinendæ.

In conclusione verò cernitur littera P, ergo per accidens est conuertenda, hoc modo; aliquod viuens est homo: ergo omnis homo est viuens. quæ conclusio addita duabus præmissis hunc reddet in *barbara* syllogismum.

Omne animal est viuens,
Omnis homo est animal,
Ergo omnis homo est viuens:

Idem obseruari debet in cæteris modis. Quod si aliquando in eodem vocabulo occurrant duæ, vel tres consonantes, vt S, P, M, vel vna in duabus syllabis repetitur, vel duplex in vna, secundùm præscriptas leges conuersio fieri debet, & positiones quæ designantur, prout litteræ exigunt sunt con-

uertendæ, siue conuersione simplici, si fuerit littera S, siue conuersione per accidens, si fuerit P, siue per transpositionem premissarum, si litera M, inueniatur; facilitatis causa assumatur exemplum in fapesmo, qui est modus duplici conuersione conuertendus, sic procedendum est, fapesmo habet in primæ syllabæ initio F, ergo est modus ad ferio reducendus, eadem prima syllaba continet litteram P, ergo per accidens maior est conuertenda: in secunda syllaba reperitur consonans S, ergo minor est simpliciter conuertenda: in vltima denique syllaba inuenitur M, ergo debet fieri transpositio præmissarum, ita vt ex maiori fiat minor, & ex minori maior, quæ omnia exemplis appositis illustrantur.

Omne animal est substantia,
Nulla arbor est animal,
Ergo aliqua substantia non est arbor.

Sic reducendus est modus ille ad ferio: conuertenda est maior ista, *omne animal est substantia*, conuersione per accidens, *aliqua substantia est animal*: maior hæc, *nulla arbor est animal*, conuersione simplici, *nullum animal est arbor*, & transpositis premissis, hoc est posita maiori, loco minoris: sic ratiocinandum in ferio, *nullum animal est arbor*, minor simpliciter conuersa, aliqua substantia est animal, maior conuersa per accidens: ergo aliqua substantia non est arbor.

Nunc peculiariter agendum de reductione ad incommodum, quę fit cùm concessis præmissis & negata ab aduersario conclusione, eo quòd non ita clarè videtur deducta, sumimus contradictoriam, vel contrariam negatæ conclusionis, quam non potest negare, aliàs admitteret duas propositiones

contradictorias, vel contrarias simul esse veras cumque cogemus admittere aliquam positionem, quæ alicui præmissarum quas admisit, contradicit, v.g. conficiatur syllogismus ille in *dabitis*:

omne bonum est expetendum,
quidam labor est bonus,
ergo, quoddam expetendum est labor.

Tunc si aduersarij concessis præmissis negent conclusionem, sic eos argues: negatis hanc conclusionem, *quoddam expetendum est labor:* ergo istam contradictoriam admittitis, *nullum expetēdum est labor.* Quia ambas propositiones contradictorias simul negare non potestis: hinc sic argumentor:

nullum expetendum est labor, vt concessistis,
Sed omne bonum est expetendum, ex maiori concessa,
ergo nullum bonum est labor, quod contradicit minori propositioni concessæ: quidam labor est bonus.

Vt autem teneamus ad quem perfectum primæ figuræ modum quilibet imperfectorum modorum primæ figuræ siue aliarum figurarum reduci debeat, explicanda sunt quatuor artificiosa vocabula quæ ad id exprimendum inuenta sunt,

Nesciebatis, odiebant, lætare, romanis.

Primò igitur loco notandum est quinque syllabas, quibus primum vocabulum, nimirum nesciebatis, conflatur, designare quinque imperfectos primæ figuræ modos, primam syllabam primum modum, secundam secundum, & sic de cæteris: odiebant, quatuor compositum syllabis eodem modo designare quatuor secundæ figuræ modos, duo denique vocabula lætare, romanis, sex tantum syllabas comprehendentia denotare sex modos tertiæ figuræ.

Secundò notandæ sunt omnes vocales, quæ in

syllabis horum omnium vocabulorum reperiuntur, nimirum A, E, I, O, & referendus est modus ille qui designatur per syllabam continentem A, ad illum perfectum primæ figuræ modum, cuius conclusio est vniuersalis affirmans, scilicet ad *barbara*: illi verò qui designantur per syllabam complectentem E, vel I, vel O, ad illos perfectos primæ figuræ modos reducendi sunt, qui vel habent conclusionem vniuersalem negatiuam vt *celarent*, vel particularem affirmatiuam, vt *darij*, vel denique particularem negatiuam, vt *ferio*, verbi gratia detur hic syllogismus in *baralipton*.

ba- *Omne animal est substantia*,
ra- *Omnis homo est animal*,
lipton. *Ergo aliqua substantia est homo.*

Eiusque syllogismi negetur conclusio concessis præmissis; assumpta contradictoria conclusionis negata, nulla substantia est homo, sic procedam, primóque dicam, *baralipton*, est modus imperfectus primæ figuræ & primus: ergo designatur per primã syllabam vocabuli, nesciebatis, nimirum *nes*; deinde sic progrediar, hæc syllaba continet vocalem, E, ergo indicat modum illum esse referendum ad perfectum primæ figuræ, cuius conclusio est vniuersalis negans, nimirum celarent, in quo sic argumentabor.

nulla substantia est homo,	vt cogeris fateri.
sed omne animal est substantia.	ex maiore concessa.
ergo nullum animal est homo,	quæ est contraria
omnis homo est animal.	minori concessa.

Porrò quoniam in ista reductione ad impossibile, aliquando retinetur maior, aliquando verò abiicitur, & in eius locum subrogatur contraria, vel

contradictoria

contradictoria negatæ conclusionis, quo modo id fieri debeat in modis imperfectis primę figuræ, & in modis aliarum figurarum, breuiter aperiendum est.

Quod attinet ad modos indirectos primę figurę, reducuntur assumpta contradictoria vel contraria cōclusionis negatę pro maiori, & posita maiori loco minoris, excipe *celantes* qui contrarium seruat: siquidem accipit contrariam vel contradictoriā conclusionis negatæ pro maiori, eadem minori posita loco maioris, vt hoc distichō significatur,

Maior fit minor, & fit contradictoria maior,
Excipe celantes *cum quo conuertitur ordo.*

Regulæ generalis exemplum ponatur hic syllogismus suprà positus in *baralipton,*

ba- *Omne animal est substantia.*
ra- *Omnis homo est substantia ,*
lipton *Ergo aliqua substantia est homo,*

ad celarent hoc modo reducitur,

Ce- *nulla substantia est homo.* | est contradictoria conclusionis.
la- *omne animal est substantia,* | est maior superioris syllogismi
rent *ergo nullum animal est homo.* | est contraria maioris eiusdem superiores syllogismi.

Exceptionis statuatur exemplum: nimirum syllogismus in celantes.

Ce- *Nulla virtus est fugienda,*
lan- *Omni humilitas est virtus,*
tes. *ergo nullum fugiendum est humilitas.*

ad darij sic reducitur.

Da- *Omnis humilitas est virtus,* | hęc est ſ minor superioris syllogismi.

ri- *aliquid fugiendum est humilitas,* | est contradictoria negatæ conclusionis.

j, *ergo aliquod fugiendum est virtus.* | est contradictoria maioris concessæ.

Quod spectat ad reductionem modorum secundæ figuræ ad perfectos primæ figuræ: illa hoc modo fit, seruata maiori, minor tollenda est, & in eius loco contradictoria conclusionis negatæ constituenda, ex quibus inferenda est conclusio contradicens minori concessæ, vt versus iste indicat:

Seruat maiorem, variatque secunda minorem.

Exemplum sit syllogismus iste in cæsare,

nullus lapis est sensibilis.
Omne animal est sensibile,
Ergo nullum animal est lapis.

Sic reducitur ad ferio:

Nullus lapis est sensibilis, | est maior superioris syllogismi.

aliquod animal est lapis. | est contradictoria conclusionis.

ergo aliquod animal non est sensibile. | est contradictoria minoris concessæ.

Denique quod attinet ad modos tertiæ figuræ, reducuntur ad perfectos primæ figuræ, sumpta contradictoria conclusionis negatæ pro maiori, cum eadem maiori, ex quibus infertur contradictoria maioris, vt hic versus declarat:

Tertia maiorem variat seruatque minorem.

Exemplum sit iste syllogismus in *darapti.*

Da- *Omne rationale est homo,*
rap- *Omne rationale est animal.*
ti. *Ergo aliquod animal est homo.*

sic reducitur ad celarent.

Ce- *Nullum animal est homo,* | est contradictoria conclusionis.

la- *Omne rationale est animal,* | est minor superioris syllogismi.
rent. *Ergo nullum rationale est homo.* | est contradictoria maioris concessæ.

Exempla in aliis modis huius figuræ afferri possent, sed hoc vnum sufficit, vt idem de cęteris feratur iudicium.

Denique quod spectat ad postremam syllogismorum imperfectorum reductionem, illa fit per ostensionem seu syllogismum expositorium. Syllogismus autem expositorius dicitur, qui rem veluti oculis subiicit, constatque præmissis singularibus, vt hic,

Aristoteles est Philosophus,
Hic homo est Aristoteles,
Ergo hic homo est Philosophus.

Porrò duobus modis per ostensionem conclusio alicuius syllogismi imperfecti demonstratur. Nam si vtraque eius pręmissa fuerit vniuersalis, vt hic in *darapti.*

Omnis homo est rationalis,
Omnis homo est animal,
Ergo quoddam animal est rationale.

cùm medium debeat esse vniuersale; vt est homo verbi gratia, in hoc syllogismo, licebit assumere aliquod indiuiduum sub illo vniuersali contento, putà Aristotelem, hoc modo,

Aristoteles est rationalis,
Aristoteles est animal,
Ergo aliquod animal est rationale.

Si verò syllogismi aliqua præmissarum fuerit singularis vt minor in *datisi.*

Omnis equus est animal,
Aliquis est equus albus,
Ergo aliquod album est animal.

Tunc petendum est ab aduersario negante conclusionem, pro quo singulari minor propositio accipiatur, estque vrgendus, vt istud singulare assignet: Quod si Bucephalum, verbi gratia, assignauerit, sic negantem conclusionem per syllogismum expositorium ostendes:

Bucephalus est animal,
Bucephalus est albus,
Ergo aliquod album est animal.

QVÆSTIO QVARTA.

De inuentione mediorum ad probationem cuiusque conclusionis, vulgò de Ponte asinorum.

INuentio medii ad probationem cuiuscumque conclusionis communiter appellatur Pons asinorum, non quòd asini plurimùm valeant inuentione mediorum, sed è contra, quòd in ea sæpissimè hæreant: Vt autem fiat apertior.

Notandum primò, conclusionem quamlibet probandam aut esse vniuersalem negatiuam, vt *Omnis homo est animal*, aut vniuersalē negatiuam, vt *nullus homo est animal*, aut particularem affirmātem vt *Petrus est homo*, aut denique particularē negantē, vt *Petrus non est homo.*

Notandum secundò, in ista conclusione probanda haberi rationem subiecti & attributi, eorūq; omnium quæ respectu subiecti & attributi dicūtur antecedentia, consequentia, & repugnantia: quod vt intelligatur,

Notandum tertiò, consequens illud dici quod ex alio sequitur & infertur, sicut è contra antecedens, id ex quo aliud sequitur: verbi gratia, quia ex homine sequitur animal, atque infertur homo est, er-

go & animal, non è contra animal dicitur consequens ad hominem, & homo antecedens: item quia reciproca puta homo, & animal rationale ex se mutuò deducuntur, possunt & antecedentia & cõsequentia haberi.

Notandum vltimò repugnans illud dici quod alicui rei nequit competere, & de ea prædicari; sicut lapis repugnat homini, quia ei conuenire, aut de eo prædicari non potest. His positis sit.

Prima Regula.

AD probationem conclusionis vniuersalis affirmatiuæ sumendum est medium consequẽs ad subiectum, & antecedens ad attributum, verbi gratia, detur hæc conclusio probanda, ***omnis homo est substantia,*** sumẽdum est animal pro medio quod consequitur ad subiectum nempè hominem, vt dictum est, antecedens tamen est ab substãtiam, quia hæc ex illâ deducitur, datur animal, ergo & substantia, sicque argumentandum est in ***barbara.***

Omne animal est substantia,
Omnis homo est animal,
Ergo omnis homo est substantia.

vel etiam sumam risibile cum homine reciprocum proindeque ad libitũ antecedens vel consequens; sicque in ***barbara,*** similiter disputabo:

Omne risibile est substantia
Omnis homo est risibilis,
Ergo omnis homo est substantia.

Secunda Regula.

AD probationem conclusionis vniuersalis negatiuæ sumendum est medium consequens ad subiectum, & repugnans attributo, vel con-

tra repugnans subiecto & consequens ad attributũ.

Vtraque pars ostenditur exemplis : prior hoc, detur ista conclusio probanda, ***nullus equus est arbor***, animal sumi potest, erit pro medio quod consequitur ad ***equum*** subiectum, & repugnat ***arbori*** attributo: hocque modo conficietur argumentum in ***celarent***:

> ***Nullum animal est arbor,***
> ***Omnis equus est animal,***
> ***Ergo nullus equus est arbor.***

Posterioris partis exemplum sit hæc conclusio, quæ proponitur probanda, ***nullus homo est equus***, poterit sumi pro medio ***brutum***, quod homo subiecto repugnat, & consequitur ad equum attributum: hocque fieri argumentum in secunda figura in Camestres.

> ***Omnis equus est brutum.***
> ***Nullus homo est brutum,***
> ***Ergo nullus homo est equus.***

Tertia Regula.

AD probationem conclusionis particularis affirmatiuę sumi potest medium consequens ad subiectum & antecedens ad attributum, v.g. datur hæc conclusio ***aliquis homo est substantia***. ***animal*** pro medio sumi potest, quod quidem ad aliquem hominem pro subiecto positum consequitur, & est antecedens ad substantiam : hocque modo in Darii argumentum formari potest,

> ***Omne animal est substantia,***
> ***aliquis homo est animal,***
> ***Ergo aliquis homo est substantia.***

Potest ẽ contra ab probationem conclusionis

particularis affirmantis,ſumi medium antecedens, ad ſubiectum & attributum, verbi gratia detur iſta concluſio ***aliqua virtus eſt neceſſaria,*** ſumi poteſt ***iuſtitia***, pro medio quæ eſt antecedens ad virtutem aliquam; & ad neceſſarium, rectè enim ſequitur, datur iuſtitia; ergo & aliqua virtus & aliquod neceſſarium, Argumentum fiat in Darij.

omnis iuſtitia eſt neceſſaria.
aliqua virtus eſt iuſtitia.
ergo aliqua virtus eſt neceſſaria.

Denique ad hanc eandem concluſionem particularem affirmatiuam ſumi poteſt medium antecedens ad ſubiectum; & conſequens ad attributum: verbi gratia, ſi proponatur iſta concluſio, ***aliquod corpus eſt homo,*** ſumetur ***animal*** pro medio,quod reſpectu alicuius corporis eſt antecedens, quia aliquod corpus ex animali inferetur,datur animal,ergo & aliquod corpus, conſequitur verò ad hominem vt iam dictum eſt: hocque erit argumentum in baralipton.

Omne animal eſt corpus,
Omnis homo eſt animal,
ergo aliquod corpus eſt homo.

Poſtrema Regula.

AD probationem concluſionis particularis negatiuæ ſumendum eſt medium antecedens ad ſubiectum,&repugnans attributo, verbi gratia,detur hæc concluſio,***aliqua virtus non eſt contemnenda*** ſumi poteſt ***liberalitas***,quæ eſt antecedens ad aliquã virtutem,nam verè ſequitur datur liberalitas, ergo & aliqua virtus,repugnat autem contemnenda:ſicque poteſt fieri argumentum in ferio;

nulla liberalitas eſt contemnenda

aliqua virtus est liberalitas,
Ergo aliqua virtus non est contemnenda.

Hæ sunt generales inueniendorum modorum regulæ, quæ si nunc tyronibus difficiles videantur, vsu tamen & exercitio faciles fient. Hic porrò non est operæ pretium barbara quædam vocabula à Philosophis excogitata *fecana*, *gebare*, *gedaco*, & alia accurata expēdere: tum quia regulæ assignatæ sufficiunt, tum quòd multò difficilius est, vocabula illa aut mente concipere, aut concepta memoriæ consignare, quàm prædictas regulas addiscere.

QVÆSTIO POSTREMA.

De potestatibus Syllogismorum.

IN his versatur Aristoteles secundo libro priorū analyticorum, eas breuiter recensebimus.

Prima est, quod ex vno syllogismo multæ possint inferri conclusiones, verbi gratia, ex hoc,

Omne animal est substantia,
Omnis homo est animal,
Ergo omnis homo est substantia.

Infertur præterea, ergo Petrus est substantia, quę est subalterna: item ergo aliqua substantia est homo, quæ est propositio per accidens conuersa.

Secunda potestas est, quòd verum & falsum, ex præmissis falsis deducatur. Verum, vt

Omnis arbor est rationalis,
Omnis homo est arbor,
Ergo omnis homo est rationalis.

Falsum, vt

Nullum animal est lapis,
Omnis homo est animal.

Ergo omnis homo est lapis.

Tertia potestas, est circulus, seu quod in orbem & circulariter formare queat syllogismus. Sed hoc infra agendo de demonstratione.

Potestates quarta & quinta syllogismorum sunt. quod possint conuerti exceptis baroco & bocardo, & per impossibile duci nullis exceptis, sed de his suprà.

Vltima potestas, quam refert Aristoteles, est ad conuincendos pertinaces, qui contradicentia, vel contraria simul negarent aut admitterent: sic autem eos vrget, vt idem de seipso negare cogantur; vt si quis, verbi gratia duas istas propositiones contradicentes simul admittat, *nullus homo est lapis, aliquis homo est lapis*, inferet, ergo aliquis homo non est homo, hoc pacto.

uullus homo est lapis.
aliquis homo est lapis.
ergo aliquis homo non est homo.

Breuis Appendix ad hanc disputationem de syllogismis compositis.

HActenus de syllogismis simplicibus, seu qui propositionibus simplicibus constant, nunc agendum est de compositis seu qui coalescũt ex aliqua complexa, & composita propositione, communiterque triplicis generis admittuntur: Primi dicũtur conditionales, qui ex aliqua conditionali propositione conficiuntur, vt

si detur Philosophia datur cognitio rerum vt sunt,
atqui datur Philosophia,
ergo datur cognitio rerum vt sunt.

Alii dicuntur disiunctiui, qui ex aliqua propositione disiunctiua constant, vt,

omnis homo est substantia, vel accidens,
sed non est accidens
ergo est substantia.

Alii denique dicuntur coniunctiui, qui ex aliqua coniunctiua propositione conficiuntur, vt,

Petrus non est simul homo & brutum,
atqui est homo,
ergo non est brutum.

TRACTATVS SECVNDVS

De argumentatione secundùm materiam.

DISPVTATIO PRIMA.

De Demonstratione.

SECTIO PRIMA.

De Praenotionibus & Praecognitis.

QVAESTIO PRIMA.

De nomine & varia acceptione praecognitionis seu praenotionis.

PRęnotio perspicuè significat praecedentem quamdam notitiam, siue illa conferat ad cognitionem alterius rei posteà consequendam: quo pacto cognitio rationalitatis confert ad obtinendam risibilitatis notitiam; siue non, sed tantum priori loco habeatur. Prior praenotio datur per se, posterior per accidens.

QVAESTIO SECVNDA.
De existentia prænotionum.

ARTICVLVS PRIMVS.

An sint necessariò admittendæ prænotiones in quacumque cognitione, & in qua.

HÆc quæstio sub aliis terminis ab aliis proponitur etiam cõmunis, vtrum cognitio ex antecedenti cognitione ponatur, ſicut videtur innuere Ariſtoteles ſtatim initio 1. libr. Poſt. Analyt. his verbis: Omnis doctrina, omniſq; intellectiua diſciplina ex præcedenti cognitione fit.

Vt autem, quid ſit tenẽdum, breuiter ſtatuamus, ſecundum multiplicem cognitionem diuinam, Angelicam & humanam, ſiue ſupernaturalem, ſiue naturalem, vel intellectiuam vel ſenſitiuam, aliquot propoſitiones ſubiiciemus, *Prima propoſitio*, neque reſpectu diuinæ cognitionis, neq; reſpectu Angelicæ, vlla poteſt admitti prænotio. De diuina cognitione probatur, cognitio diuina eſt tota ſimul, omniaque Deus vno actu intelligit, vt ipſi Theologi docent: Ergo reſpectu diuinæ cognitionis, nulla admitti prænotio poteſt. Confirmatur: vnum cognoſcere ex prænotione alterius, ſupponit fuiſſe ignorantiam illius rei, quæ ex altera præcognita in notitiam venit: ſed in Deo nulla cogitari poteſt ſine crimine ignorantia: ergo reſpectu Dei diuinæq; cognitionis nequit vlla admitti prænotio.

De Angelica verò cognitione, certa etiam eſt propoſitio ſecundùm Theologos: Angelis ab initio ſuæ creationis datæ ſunt rerum omnium ſpecies, & imagines per quas res ſimul vno intuitu cognoſ-

cunt, & non vna cognitione alterius : ergo nullus datur locus prænotioni, comparatione Angelicæ cognitionis.

Secunda propositio, respectu cognitionis humanæ supernaturalis, nulla datur prænotiō.

Probatur, tota illa cognitio petitur ex illustratione diuina, & lumine cælesti à Deo concesso : Ergo nullam supponit prænotionem, qua comparetur, sicque illius respectu nulla datur prænotio.

Tertia propositio, cognitio quæuis intellectiua, siue fuerit simplex apprehensio, siue iudicium, siue discursus, & raciocinatio ex antegressa sensuum cognitione fit: Etenim nihil est in intellectu, quod prius in sensu aliqua ratione non fuerit, vt benè docet Aristoteles, & fatentur omnes.

Quarta propositio, simplex rei apprehensio non fit ex alia antecedenti cognitione intellectiua.

Ratio est clarissima, cum enim simplex rei apprehensio sit prima intellectus operatio, nuda, & expers omnis iudicii, nullam antecedentem supponit ex qua fiat.

Quinta propositio, iudicium intellectus, seu secunda eius operatio, de quocumque sit, debet necessariò nasci ex antecedēti cognitione intellectus: verbi gratia, iudicium istud *homo est animal*, necessariò fit ex antecedente cognitione hominis & animalis, nemo enim perfectè tenere potest, & affirmare *hominem esse animal*, nisi prius cognouerit, quid sint *homo & animal*.

Occurres, cognitio primorum principiorum, *quodlibet est, vel non est: totum est maius sua parte*, est judicatiua, pertinetque ad secundam mentis operationem: atqui non fit ex antegressa cognitione in

tellectiua si quidem prima principia sunt per se nota, & sola terminorum expositione intelliguntur: ergo non omne iudicium intellectus, seu secunda mentis operatio fieri debet ex aliqua antecedenti cognitione intellectus. Respondeo concessa maiori negatione minoris, quantumcumque enim clara sunt principia, nihilominus vnicuique patere non possunt, nisi termini probè intelligantur, verbi gratia, etsi notissimum sit illud principium *totum est maius sua parte*, non potest tamen illi assensus præberi, nisi prius cognoscantur termini isti, quibus constat *totum, pars, maius*, quia ex eorum intelligentia tota axiomatis euidentia dependet: proindeq; semper fiunt ex aliqua antegressa cognitione intellectus.

Sexta propositio, discursiua cognitio, seu tertia mentis operatio fit ex aliqua præ-existente cognitione scilicet ex cognitione propositionum quibus constat, ignotis enim propositionibus quò modo argumentatio, seu discursus illis constans cognosci poterit?

Articulus 1. quotuplex sit prænotio & præcognitum.

Hîc tantùm agimus de prænotione per se, quæ confert ad assequendam cognitionem subsequentem: sicq; illam diuidimus in prænotionem *præparantem, dirigentem, & efficientem.*

Prænotio præparans nihil est aliud, quàm ipsa præuia cognitio sensus, quę intellectui viam aperit ad intellectiuam cognitionem accipiendam, cùm ex dictis, nihil sit in intellectu quod non prius fuerit in sensu,

Dirigens est præuia cognitio extremorum alicuius propositionis, quam probandam assumit intellectus, vt potè *hominis & animalis*, si intendat in-

tellectus probare hanc propositionem, homo est animal: dicitur autem hæc prænotio dirigens, eò quod dirigat intellectum, vt probè teneat quid sit probaturus, ac demonstraturus: Tandem *prænotio efficiens* est cognitio præmissarum alicuius demonstrationis, vi, & efficacia cuius proximè elicitur cognitio conclusionis.

Rursus prænotio dirigens adhuc statuitur in duplici differentia: Alia dicitur *quòd res sit*, seu *an sit*: alia *quid sit*.

Prior est qua cognoscimus existentiam rei alicuius. Posterior duplex, vna *quid nominis*, altera *quid rei*.

Prænotio *quid nominis*, est illa qua præcognoscitur quid rei alicuius propositæ nomen significet: prænotio verò *quid rei*, qua quidditas rei, seu essentia præintelligitur.

Occurres, prænotionem *an sit*, contineri in prænotione *quid sit*, quia impossibile est vt sciamus quid res sit, nisi eam existere supponamus.

Respondeo primò, falsum esse prænotionem, *an sit* in prænotione, *quid sit*, includi, maximè in nostra sententia, quæ statuit essentias ęternas ante existentias, quæ sunt tantum in tempore. Siquidem iuxta istam sentētiam, clarissimum est pręnotionem *quid sit*, non includere prænotionem, *an sit*.

Respondeo secundò, quòd licet prænotio quid *sit*, includeret prænotionem *an sit*, nihilominus tamen non esset frustranea prænotio *an sit*: propterea quòd non inuoluit prænotionem *quid sit*, potestque de aliquo haberi, de quo nō habetur pręnotio *quid sit*, cùm multa sciamus existere, quorum tamen entitas, seu quid sint, penitus ignoramus.

Superest vt quemadmodum multiplex pręnotio.

num genus tradidimus, ita etiam breuiter exponamus quotnam sint ipsa præcognita, quæ nihil aliud sunt quàm res de quibus habentur prænotiones, seu de quibus constat an sint, vel quid sint.

In cognitione definitiua tria ista præcognita constituenda sunt, genus, differentia, & definitum: in demonstratiua verò tria alia pariter admittenda, subiectum, attributum, & principia, seu axiomata: de quibus quid sit prænoscendum breuiter, & ordine aperiemus.

ARTICVLVS TERTIVS.

An, & quot dentur prænotiones de subiecto Demonstrationis.

OBseruandum primò nomine subiecti hîc intelligi, id quod per aliquod medium demonstratur, quodque in modis directis primæ figuræ ponitur in minori propositione tanquam minus extremum, & est subiectum in conclusione: exemplo res fiat apertior: Si quis proponat demonstrandum *an homo est risibilis*, homo dicetur subiectum demonstrationis, quia rationale assumetur medium ad risibilitatem de illo demonstrandam, hoc modo: *omne rationale est risibile.* Denique tanquam minus extremum accipitur in minori, cùm medio scilicet rationali, sic *omnis homo est rationalis* ex quibus hæc inferetur conclusio, *ergo omnis homo est risibilis*, in qua vt pote directa & in primo perfecto primæ figuræ modo, scilicet, barbara *homo* habet rationem subiecti.

Obseruandum secundò subiectum illud quod assumitur probandum in demonstratione, posse

que id genus, etſi nullam planè actualem exiſtentiam in rerum natura habeant: imò verò ſcientia, & demonſtratio ſunt tantùm de rebus æternis & ſpectatis ſecundum eſſentiam, proindéque ab exiſtentia, quæ eſt tẽporalis, abſolutis; ergo non eſt neceſſe, vt aliquod ſubiectum demonſtretur, quodcumque ſit, illud ipſum actu in rerum natura exiſtat.

Obiicies primò ex Ariſtotele in ſuis Categoriis, capite de relatis, nulla ſcientia datur abſque ſcibili ſeu obiecto: igitur de obiecto cuiuſcumque ſcientiæ & demonſtrationis ſubiecto, præcognoſcendum eſt quòd ſit.

Reſpondeo ad antecedens diſtinctione: nulla ſcientia eſt ſine ſcibili ſeu obiecto, *actu* aut *poteſtate exiſtente*, concedo, actu verò exiſtente nego: Nam & quadratura circuli, ſecundùm Ariſtotelem & alios Philoſophos, veri obiecti ſcientifici rationem obtinet, licet tamen nullam habeat actualem exiſtentiam in rerum natura, ſed ſolùm poſſibilem, & aptitudinalem.

Obiicies ſecundò ex capite primo libri primi poſteriorum, conceptis verbis docet Ariſtoteles de ſubiecto præcognoſcendum eſſe quòd ſit.

Reſpondeo primò ſecundùm Ariſtotelem, præcognoſcendum eſſe quòd ſit, & exiſtat, ſiue actu, ſiue poteſtate, non tamen tantùm actu.

Reſpondeo ſecundò ſecundùm eumdem Ariſtotelem, de ſubiecto præcognoſcendum eſſe quòd ſit, vel ſaltem fuerit, non abſolutè, ſed tantum ſi agatur ordinario modo quo ſcientiæ acquiruntur, ſcilicet per ſenſus, quia nihil ſenſus apprehendere poteſt niſi actu exiſtat, atque adeò ad ſcientiam illam acquiſitam debet præſupponi exiſtentia ſubiecti: ſiue quæ fuerit, ſiue quæ ſit à parte rei.

Bb

Denique obiicies ad hoc, vt de aliquo ſubiecto vel obiecto(iſta enim duo vocabula hic indiſcriminatim vſurpantur, ſubiectum, obiectum,) propriæ paſſiones demonſtrẽtur in aliqua ſcientia, illud obiectum neceſſariò exiſtere debet. Atqui de ſubiecto ſcientiæ propriæ demonſtrari paſſiones debent, ergo illud debet neceſſariò exiſtere, & ſic de illo præcognoſcendum eſt quòd ſit.

Reſpõdeo negando maiorem, ſi per neceſſariò exiſtere intelligatur actu exiſtere, quippe vt paſſiones de ſubiecto demonſtrentur, ſatis eſt quòd illud habeat aptitudinem exiſtendi: quod verò actu exiſtat, non requiritur: & ſic de homine non exiſtente, ſed conſiderato ſecundùm eſſentiam nudam poteſt demonſtrari quòd ſit riſus, & diſciplinæ capax, vtique quia habet aptitudinem exiſtendi.

Tertia propoſitio.

DE ſubiecto ſcientiæ, ſiue ſit adæquatum, ſiue partiale tantùm, præcognoſcendum eſt quòd ſit, ſaltem poteſtate. Probatur, ſcientia non agit de rebus impoſſibilibus, aliàs fruſtra laboraret in earum paſſionibus demonſtrandis, cùm rei impoſſibilis nulla vera paſſio eſſe poſſit: ergo de ſubiecto, vel obiecto cuiuſcumque ſcientiæ præcognoſcendum eſt, quòd ſaltem exiſtat poteſtate.

Verùm difficultas haud leuis eſt, vtrum ſcientia de ſuo obiecto, ſiue totali, ſiue partiali, poſſit demonſtrare quod exiſtat actu, vel poteſtate. Vt ſoluatur difficultas, adiungatur

Quarta propoſitio.

POſſibilis exiſtẽtia obiecti ſcientifici per Deum, tanquam per cauſam exemplarem, finalem,

& efficientiam demonstrari potest.

Probatur, Deus continet exemplar & ideam cuiuscumque rei, habetque vim actiuam illam producendi propter se, ergo si benè penetretur Deus per illam possibilis existentia cuiuscumque rei demonstrari poterit, quatenus eius exemplar habet in sua diuina mente, illamq; producere potest propter se, quia nullius rei exemplar existit in diuina mente, nec ad illam propter se producendam habet Deus aliquam actiuam potentiam, nisi possit existere.

Quinta propositio.

Scientia nequit demonstrare actualem subiecti sui totalis, & adæquati existentiam, neque demonstratione à *priori*, neque à *posteriori*.

Priusquam probetur hęc conclusio secundùm vtramque partem: obseruandum est (quòd infrà plenius docebimus) demonstrationem à *priori*: quæ alio nomine *propter quid* dicitur, eam esse in qua effectus, vel proprietas demonstratur per causam: vt capacitas ridendi, per capacitatem ratiocinandi: demonstrationem verò à *posteriori*, seu *quia*, illam dici in qua ostenditur causa per effectum, vel proprietatem, vt rationalitas per risibilitatem. Hinc facilè probatur propositio contra Scotum: Non potest obiecti totalis alicuius scientiæ actualis existentia demonstrari, nisi eadem demonstratione omnium partialium obiectorum existentiæ simul demonstrentur: atqui impossibile est simul demonstrare actuales existentias omnium obiectorum partialium alicuius scientiæ, siue demonstratione à priori, siue à posteriori, quia cum

sint diuersæ existentiæ, diuersis quoque demonstrationibus debent demonstrari: igitur neque demonstratione à priori, neque à posteriori demonstrari potest actualis existentia obiecti totalis & adæquati alicuius scientiæ.

Sexta propositio.

SCientia potest demonstrare à posteriori de obiecto suo partiali, quòd sit actu, seu actualem existentiam habeat: Probatur ex Aristotele, qui primo libro Physicorum, materiæ existentiam demonstrat, & 1. lib. de cœlo. cap. 4. probat cœlum existere, darique elementarem ignem.

Accedit ratio, dantur aliqua euidétia signa actualis existentiæ alicuius obiecti partialis, putà cœli, nimirum quantitas, magnitudo, motus, influxus, & alia idgenus quæ efficaciter euincunt actualem eius existentiam: ergo potest scientia de obiecto suo partiali per huiusmodi signa exteriora, & à posteriori, actualem eius existentiam demonstrare.

Postrema propositio.

DE subiecto demonstrationis non est absolutè præcognoscendum quid sit, seu quæ sit eius essentia.

Probatur, si præcognoscendum esset in demonstratione essentia, vel quidditas subiecti, numqaum fieret demonstratio, nisi in ea tota esset subiecti essentia: atqui plerumque contingit contrarium, siquidem interdum aliqua affectio de subiecto demonstratur per vnam tantùm essentiæ partem, vt de homine quantitas per materiam: imò interdum affectio demonstratur de subiecto, non per eius essentiam, sed per causam, vel efficientem, vel fina-

lem, vt bona vniuersi dispositio, ex eo quod à prima & sapientissima causa, nempe Deo manauerit, & hominis capacitas ad beatitudinem, eo quod ad eum finem fuerit destinatus: ergo non est absolutè pręcognoscendum de subiecto demonstrationis quid sit, seu quę sit eius essentia.

Dixi id non esse necesse, fieri enim potest vt in demonstratione præcognoscatur de subiecto quid sit, maximè si fuerit demonstratio propter quid, & à priori, in qua propria passio demonstratur de subiecto per propriam & veram causam.

Probatur, talis causa est essentia subiecti: exempli gratia, animal rationale quod est causa risibilitatis quę de homine demonstratur, est ipsa hominis essentia: atqui eiusmodi causa debet præcognosci, quia per illam propria passio demonstratur de subiecto, quod fieri non posset, aliàs aliquid ignotum per ignotum probaretur: ergo in demonstratione à priori pręcognosci potest quid sit subiectum, seu quę sit eius essentia.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quænam sint attributi prænotiones.

ATtributum hoc loco sumitur pro illa parte conclusionis probandę, quę de subiecto prædicatur: exempli gratia, proponatur hæc conclusio demonstranda, ***homo est risibilis***, risibile dicetur attributum, quia de homine, tanquam de subiecto, in tali propositione prædicatur. Hoc posito sit.

Prima propositio.

SAltem de attributo pręcognoscendum est quid nominis.

Probatur, impossibile est vt per demonstrationẽ aliquid de alio probemus, si in illius nominis ignoratione versemur: atqui per demonstrationem attributum de subiecto probatur, exempli gratia, risibile de homine: ergo de illo præcognoscendum est quid nominis.

Secunda propositio.

DE attributo non est præcognoscendum quòd sit actu, sed solùm quòd sit potestate.

Probatur prior pars, attributum non existens potest demonstrari de subiecto, modò etiam illud actu non existat, vt risibile potestate existens de homine secundum solam essentiam, & potestate existente: ergo de attributo non est præcognoscendũ quòd actu existat.

Posterior verò pars, nimirum possibilem existentiam attributi præcognoscendam esse, breuiter etiã ostenditur. Attributum demõstrationis non debet esse aliquid cui repugnet existere, aliàs non posset demonstrari de subiecto, quod saltem aptitudine supponitur existens: ergo de illo præcognoscenda est saltem possibilis existentia.

Postrema propositio.

DE attributo demonstrationis præcognoscendum est *quid rei*, seu quæ sit eius essentia. Hæc propositio pugnat contra multos, sed cum veritate maximè consentit. Hocque modo.

Probatur. Attributum conclusionis demonstrãdæ in maiori propositione prædicatur de medio, ergo iam supponitur nota eius essentia.

Antecedens probatur: hæc sit conclusio de-

monstranda, v.g. *omnis homo est admirationis capax*, per hanc demonstrationem: *omne animal rationale est admirationis capax: omnis homo est animal ratiole: ergo omnis homo est admirationis capax*. Capax admirationis, prædicatur in maiori de medio, scilicet animali rationali. Igitur attributum demonstrandę conclusionis prædicatūr in maiori de medio demonstrationis, & consequenter nota esse debet eius essentia.

ARTICVLVS QVINTVS.

De prænotionibus principiorum.

VT constet de quibus principiis hoc loco sermo sit, præstat quædam de principiis generatim prælibare.

Principium igitur aliud est simplex, aliud complexum.

Simplex seu incomplexum duplex, vnum rei, quod naturam alicuius ingreditur, vt materia, & forma in rebus Physicis: essentia & existentia, actus & potentia in Metaphysicis: Aliud cognitionis, cuiusmodi sunt proprietates, & effectus quibus intermediis in notitiam causarum deducimur.

Complexum verò principium nihil est aliud, quam aliquod axioma, & propositio communis, vel per se ingrediens demonstrationem ipsam, vel à qua omnes demonstrationis propositiones dependeant. Illud adhuc est in duplici differentia, vnum communissimum, quod & primum, & Methaphysicum nuncupatur, vt *impossibile est idem simul esse & non esse.*

Aliud peculiare & alicui scientiæ proprium, vt *totum est maius sua parte: natura est principium motus & quietis*. His præmissis hoc tantùm loco sermo est de complexis principiis seu generalibus propositionibus, quid de illis præcognoscendum sit.

Prima propositio.

De principiis præcognoscendum est *quid nominis.*

Probatur contra Ægidium & Caietanum: impossibile est vt cognoscamus quòd illa principia sint vera, nisi, quid eorum nomina significent, fuerit præcognitum: atqui de principiis prænoscendum est quòd sint vera, vt infra videbitur, ergo de illis prænoscendum est quid nominis.

Quòd si Aristoteles huius prænotionis mentionem nullam faciat, est quia illam tanquam notissimam præsupponit, cùm vera esse principia non appareant, nisi eorum explicentur termini.

Secunda propositio.

De principiis præcognoscendum est quòd sint. Probatur, de principiis præcognoscendum est quòd sint vera, ergo & quòd sint.

Consequentia clara est, quia vera esse principia est propriè ipsa esse principia.

Probatur antecedens, tota demonstratio fulcitur hisce principiis, & ideò tantùm assentimur conclusioni, quod ex principiis istis verè sequi videatur, siuè proximè, si fuerint præmissæ demonstrationis, siuè remotè, si fuerint tantùm fundamenta ipsarum præmissarum: ergo de ipsis principiis debemus præcognoscere quod vera sint, & consequenter quod sint.

ARTICVLVS SEXTVS.

An & quot dentur de medio & consequentia prænotiones.

TRia fuerunt supra assignata demonstrationis præcognita, subiectum, attributum, & principia: hæc quidem sunt in ingressu demonstrationis: alia duo præcognoscēda sunt in ipso demonstrationis progressu: medium quod assumitur ad probationem propositæ conclusionis, & consequentia quæ sequitur ex præmissis.

Prima propositio.

DE medio prænoscendum est *quid nominis*, & quod possit esse.

Probatur: medium assumitur, vt per illud attributum demonstretur conuenire subiecto: exempli gratia, assumitur animal rationale tanquam medium, vt demonstretur risibile homini competere, sicut patet ex hac iam allata demonstratione,

Omnes animal rationale est risibile,
Omnis homo est animal rationale:
Ergo omnis homo est risibilis.

Igitur quid designet nomen ipsius medii & quod possit existere, necessariò præcognoscendum est.

Secunda propositio.

NOtitia consequentiæ distincta est à notitia prę missarum.

Probatur præmissarum notitia antecedit cognitionem consequentiæ, quæ non est nisi posita cognitione præmissarum, & facto examine formæ

syllogisticæ: ergo cognitio consequentiæ debet esse distincta à cognitione præmissarum.

Tertia propositio.

SI argumenti forma fuerit aliquantulum obscurior, aut certè argumentantis ingenium non satis in arte syllogizandi exercitatum, præter notitiam consequentis, seu eius quod ex præmissis sequitur, requiretur alia distincta notitia consequentiæ: secus tamen si clara sit, & manifesta argumenti forma, vel argumentantis ingenium fuerit acutissimum, & apprimè in arte syllogistica exercitatum.

Prior pars probatur, si ipsa argumenti forma obscura sit, vel, argumentantis ingenium minus exercitatum, circa consequens poterit dubitare, an sit verum, & circa consequentiam, an sit secundùm leges syllogisticæ artis, ergo requiretur duplex notitia, eáque distincta, quæ duplicem illam eamque distinctam, de consequenti, & consequentia dubitationem superare possit.

Pars item posterior probatur, si clara fuerit argumenti forma, vel argumentantis ingenium acutissimum, statim iudicabit bonam esse consequentiam, & vi huius iudicii, & cognitionis, simul cognoscet veritatem consequentis: ergo in eo casu cognitio consequentiæ non erit distincta à notitia consequentis.

ARTICVLVS POSTREMVS.

Vtrum assensus conclusionis necessariò consequatur ex præmissarum assensibus.

NAscitur hui9 articuli difficultas ex prima propositione superioris articuli, in qua dictũ est notitiam conclusionis esse distinctam à notitia præmissarum,& ex ea sequi: cùm enim istæ notitiæ inuoluant assensus,qui præmissis istis & conclusioni præbentur,rectè inquiritur,An ille posterior assensus conclusionis necessariò sequatur ex præcedentibus assensibus præmissarum , ita vt necessitetur intellectus ad assentiendum conclusioni, & reuera nequeat per imperium voluntatis assensum illum cohibere

Duæ sunt de proposita difficultate sententiæ.

Prior asserit, positis, præmissarũ assensibus posse intellectum conclusionis assensum cohibere.

Posterior sententia id negat, veritas hæc est, quã duplex exponet propositio.

Prima propositio.

POsitis præmissarum assensibus potest voluntas indirectè intellectum impedire ab assensu conclusionis.

Hæc propositio sola explicatione probatur: voluntatem indirectè impedire intellectum ab assensu conclusionis, nihil est aliud quàm intellectum à tali conclusione diuertere, vel alteri rei & cogitationi applicari : atqui positis præmissarum assensibus potest voluntas intellectum diuertere à cogitatione conclusionis , cumque alteri cogitationi applicare,vt vltro fatebuntur omnes: ergo positis

illis præmiſſarum aſſenſibus poteſt voluntas indirectè intellectum impedire ab aſſenſu concluſionis.

Secunda propoſitio.

POſitis aſſenſibus præmiſſarum directè nequit voluntas impedire intellectum ab aſſenſu concluſionis; hæc concluſio deſumitur ex Ariſtotele ſeptimi Ethicorum cap.3.vbi ait intellectum abſolutè ferri in concluſionem iudicatis præmiſſis, eamque amplectuntur & defendunt D. Thom. prima parte quæſt.82.itemque Scotus in primum ſententiarum.

Probatur ratione; Voluntas non habet maiorem efficacitatẽ & potentiam ad impediendos actus intellectus,& aliarum facultatum,quàm ad proprios impediẽdos: Atqui non poteſt volũtas directè proprium ſuum actum impedire , quo verſatur circa abſolutiſſimum bonum omnis expers malitiæ: ergo nec ſimiliter poterit impedire actum intellectus, qui ſe habebit circa verum abſolutiſſimũ, & omnis expers falſitatis, quia vt ſe habet voluntas ad bonũ, ita intellectus ad verum. Atqui concluſio deducta ex præmiſſis iam conceſſis, apparet abſolutiſſimè vera, ita vt omni planè falſitate carere videatur: ergo nequit volũtas ſaltem directè,impedire aſſenſum intellectus circa talem concluſionem, poſitis præmiſsarum aſsenſibus.

Confirmatur, voluntas nequit præſente vehementi aliquo delectabili, vel propoſito aliquo vrgentiſſimo malo,impedire appetitum, quò minus vel deſiderii, vel fugę actum eliciat, vt aduerſarii poſsunt experiri:ergo nec videtur, ſaltem directè, poſse efficere vt intellectus cohibeat aſsenſum ali-

cuius apertissimæ veritatis, qualis est veritas conclusionis positis præmissarum assensibus.

Obiicies pro contraria sententia, quod potest maius, videtur posse & minus: atqui voluntas potest impedire assensum intellectus de primis principiis, quorum veritas adhuc apertior est, quam conclusionis, etiam positis præmissarum assensibus: ergo poterit similiter impedire assensum intellectꝰ de conclusione, positis præmissarum assensibus.

Quidquid sit de maiori quæ satis videtur dubia, cùm homo possit ratiocinari, quod maius est quàm hinnire, hinnire tamen nequeat: respondeo negando minorem, vel illam absolutè sumptam distinguendo: voluntas potest impedire assensum intellectus de primis principiis benè penetratis indirectè intellectum diuertendo, concedo: directè verò non diuertendo intellectum, sed illi simpliciter imperando, vt non præbeat assensum, nego: & sic ad conclusionem, respondeo pari distinctione, voluntas poterit impedire assensum intellectus de cõclusione, positis præmissarum assensibus, indirectè verum est, directè verò, falsum.

QVÆSTIO TERTIA.
ET QVARTA.

De essentia & affectionibus Prænotionum.

EX iis omnibus quæ dicta sunt quæstione prima, licet hanc prænotionis propriè dictæ (de qua loquimur) elicere definitionem. *Prænotio est prænia notio per se ad alterius rei notitiam comparandã ordinata.* Dicitur *prænia notio*, ad distinctionem angelicæ cognitionis, quę potest esse tota simul, & rerum antecedentium, & consequentium ex com-

muni doctrina Theologorũ, tractatu de Angelis. Additur *per se ad notitiã alteri⁹ rei ordinata*, ad distinctione prænotionis per accidens, vt supra expositũ est.

Affectiones prænotionis paucissimæ afferuntur, hæc vna sufficiet, quæ est virtute multiplex, quòd scilicet ab eius veritate subsequentis cognitionis veritas omnino pendeat, omnisque certitudo demõstrationis ab illius certitudine desumatur. Hæc de prænotione.

SECTIO SECVNDA.

De ipsa Demonstratione.

QVÆSTIO PRIMA.

De nomine & varia acceptione.

DEmonstratio à demonstrando, seu exhibendo dicitur, dupliciterque accipitur, primò pro quacumque rei exhibitione, quæcumque illa sit, & quocumque modo fiat: secundò, & propriè, pro syllogismo aliquo conflato ex veris, certis, & necessariis propositionibus, quo sensu à nobis perpetuò vsurpabitur.

QVÆSTIO SECVDNA.

De existentia demonstrationis.

CVm veræ dentur scientiæ, vt infra probabitur, iure Peripatetici contra Schepticos demonstrationis existentiam admiserunt: ad quam etiam astruendam faciunt infinitarum propè demonstrationum exempla, ex omnibus scientiis passim de-

sumptis in Physica: exempli gratia, ***Omne corpus naturale est mobile, cœlum est corpus naturale, ergo est mobile*** Item ex Metaphysica, ***Omne ens est vnum: substantia est ens, ergo substantia est vna.*** Idem videri potest in cæteris scientiis.

Diuisiones demõstrationis hæ sunt, Prima quam supra iam insinuauimus traditur in demonstrationem ***propter quid*** & domonstrationem ***quia***: demonstratio ***propter quid*** aliter vocatur demonstratio ***cur, quamobrem, à causa, secundùm naturam, à priori, & potissima,*** eo quod à causa ad effectum, vel ab essentia ad proprietatem, atque adeò à priori progrediatur.

Demonstratio verò ***quia***, quæ aliter vocatur ***à posteriori, ab effectu, & secundùm nos,*** est ea quæ causam per effectum, vel essentiam per proprietatem demonstrat: vt Deum per crearuras, facultatem ratiocinandi, per capacitatem ridendi. Vtramque demonstrationem legitimam esse, & veram parere scientiam, facilè ostenditur: ac primò quidem id patet de demonstratione ***propter quid,*** cùm per illam effectus per causam cognoscatur, vt hominis risibilitas, per ratiocinandi potentiam, in quo propria ratio scientiæ consistit.

Quantùm vero est de demonstratione ***quia***, probatur: maior pars demonstrationum Physicarum est à posteriori, progrediendo ab effectu ad causam: vt quod cœlum sit corpus naturale, eo quod moueri possit; atqui Physica est vera scientia, & per demonstrationem parta, ergo demonstratio eiusmodi, ***quia***, seu ***à posteriori***, veram & propriè dictam scientiam parit: & consequenter legitima est.

Confirmatur: illa demonstratio videtur legitima, quæ constat propositionibus veris, certis, &

pter quid, gignit cognitionem per causam realem, demonstratio verò, *quia*, per causam cognitionis.

Sunt alii prȩter demonstrationem *quia*, *& propter quid* tertiã adiungunt, quam vocant *potissimam*, in eo ab aliis distinctam, quod per demõstrationem *quia*, rem esse cognoscamns, verbi gratia hominem esse risibilem, per demonstrationẽ *propter quid*, cur sit, verbi gratia, quia est rationalis: At verò per demonstrationem *potissimam* vtrumque intelligamus & quod res sit, & cur sit, vt hominem esse risibilem, quia est rationalis.

Verùm hæc sententia communiter improbatur, eò quod entia, nimirum demonstrationes, sine necessitate multiplicet: Etenim demonstratio *propter quid* verè est potissima, ostendens quod res sit, & cur sit, cùm fieri nequeat vt causam cur res sit cognoscamus, ignorantes rem ipsam esse, exempli gratia, hominem esse risibilem, quia est rationalis, ignorantes quod ipse sit rationalis.

Secunda diuisio est demonstrationis *quia*, in demonstrationem à causa remota, quæ etiam dici pōtest *à priori*: & demonstrationem à posteriori, seu ab effectu: de vtraque disputat Aristoteles capite decimo primi libri Posteriorum, & vtriusque exempla profert, prioris quidem illud, *omne quod respirat est animal: sed paries nō respirat, ergo paries nō est animal.* In qua demonstratione ostendimus parietem non respirare, eo quod non sit animal, quod non animal, remota tamen causa est non respirationis, proxima verò pulmonum carentia: sicut esse animal non est propinqua causa respirationis, sed habere pulmones. Posterioris verò demonstrationis, nimirum ab effectu & à posteriori, duo statuit exempla, statim initio capitis; Primum

est illud quod probat planetas esse propè nos, quia non scintillant, quod posterius, ex priori tamquam ex causa proficiscitur, causa enim cur non scintillent illi planetæ est, quia sunt propè nos. Demonstratio eiusmodi est, *stellæ quæ nō scintillant, sunt propè nos. planetæ non scintillant: ergò planetæ sunt propè nos.*

Posterius exemplum est in quo ex orbiculari illuminatione lunæ, quæ est effectus rotunditatis eius, ipsam illius rotunditatem demonstrat sic: *quod orbiculariter illuminentur, debet esse rotundum, luna orbicularitet illuminatur: ergo luna debet esse rotunda.*

Tertia demonstrationis diuisio, vel potius subdiuisio est, demonstrationis *propter quid,* in quatuor species secundùm quatuor causarum genera. Prima est à causa materiali, vt, *Omne compositum ex materia est corruptibile: omnis equus est compositus ex materia: ergo omnis equus est corruptibilis.* Secunda est à causa formali, vt, *Omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis: ergò omnis homo est risibilis.* Tertia est à causa efficiente vt, *Quidquid à Deo efficitur bonum est: atqui omnis creatura à Deo efficitur: ergo omnis creatura bona est.* Quarta est à causa finali, vt, *Quod ad bonum finem ordinatur, illud bonum est: atqui virtus ad bonum finem ordinatur: ergo virtus bona est.* His addunt nonnulli demonstrationem à causa virtuali, quando per suam causam, non quidem propriè dictam, sed virtualem tantùm demonstratur, vt Dei æternitas per eius immutabilitatem, tanquam per causam, non quidem realem, sed virtualem tantùm, hoc modo. *Omne immutabile est æternum: Deus est immutabilis: ergo Deus est æternus.*

QVAESTIO TERTIA.

De essentia Demonstrationis.

DVobus modis Demonstrationẽ definiuit Aristoteles, primo Posteriorum cap. 2. prior definitio est à causa finali, *Demõstratio est Syllogismus faciens scire*: id est ordinatus ad sciẽtiam animis nostris ingenerandã. Altera definitio est à causa materiali, *Demonstratio est Syllogismus constans propositionibus veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis.* Quas omnes conditiones demonstrationi inesse ostendit Philosophus, quasque facilitatis causa quibusdam articulis examinabim⁹, vnà cum aliis conditionibus, vt quòd ipsa demonstratio sit ex necessariis, quod requirit capite quarto, ex sempiternis, quod exigit capite secundo, cùm ait demonstrationem tantùm esse rerum æternarum & ex propriis, quod eodẽ capite postulat & probat.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Demonstratio constare debeat præmissis veris.

PArs affirmans est Aristotelis, vt patet ex allata demonstrationis definitione, quam loco citato sic probat: quod non est, non scitur, id est falsi nulla est scientia, vt explicat Philoponus: ergo est tantum veri proindéque demonstratio tantum poterit ex veris procedere. Confirmatur, præmissæ demonstrationis debent esse causæ conclusionis verissimę, & scientificæ, vt patebit infrà: idquę non tantùm ratione formæ, sed etiam ratione materiæ, quia in

conclusione demonstrationis non tantùm requiritur assensus consequentiæ, seu formæ, sed etiam consequentis seu materiæ, ergo præmissæ illæ demonstrationis debent esse veræ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum præmissæ Demonstrationis debeant esse sempiternæ veritatis.

Affirmat Aristoteles, nec ab eius mente aliena est Platonis sententia, quantùm ad cōclusionem, sed solùm quantum ad fundamentum illius conclusionis. Plato enim concedebat æternam veritatem præmissis demonstrationis, non quidem ratione arctissimæ connexionis attributi cum subiecto, sed ratione idearum vniuersalium, à quarum veritate omnium propositionum veritatem pendere affirmabat: Peripatetici verò aliud habent fundamentum suæ conclusionis, hocque nostrum, vt opinor, optimum est: vt fiant propositiones sempiternæ veritatis, quæ sint præmissæ demonstrationis, sufficit quòd rerum essentiæ sint æternæ: atqui de facto rerum essentiæ ęternæ sunt, vt indicauimus leuiter in disputatione de vniuersalibus, & validissimè in Metaphysica contrariis rationibus penitus eneruatis, probabimus, ergo fieri possunt propositiones sempiternæ veritatis, quæ sint præmissæ demonstrationis. Maior probatur, si homo exempli gratia ab æterno sit secundùm essentiam, ab ęterno hæ propositiones formari potuerunt, homo est animal, homo est rationalis, homo est risibilis, & cæteræ: ergo si rerum essentiæ sint æternæ, formari possunt propositiones sempiternæ veritatis,

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum præmissæ Demonstrationis debeant esse necessariæ.

PArs affirmans est Aristotelis, & omniũ Peripateticorum, vt patet ex primo Posteriorũ capite quarto, & quinto, vbi expressis verbis docet demõstrationem tantùm esse necessariorum: fundamẽtalis ratio hæc est: conclusio demonstrationis debet esse necessaria, tam necessitate cõsequentiæ, seu formæ, quàm consequentis, seu materię: aliàs cùm omnium syllogismorum sit æqualis formæ, & consequentiæ necessitas, illi omnes cõclusiones ęqualiter necessarias sibi vendicarẽt, quod nullus dixerit: atqui cõclusio demõstrationis non esset necessaria, tã necessitate consequentię, quàm cõsequentis, si pręmissę nõ essent necessarię, vt omnes cõcedũt: ergo præmissæ demonstrationis debent esse necessariæ.

Confirmatur ea potissimum ratione, demonstratiuus syllogismus à topico & sophistico secernitur, quòd demonstratiuus constet præmissis necessariis topicus probabilibus tantùm, sophisticus fucatis tantùm & fallacibus; ergo præmissę demonstrationis debẽt esse necessariæ. Difficultas verò est, quęnam sit illa necessitas pręmissarum demonstrationis: cui vt satisfiat, quędam ex dialecticę pręludiis de necessario, & variis eius speciebus breuiter sunt repetenda, aliáque ad nostrum institutum pertinentia adiungenda.

Notandum igitur primò illud propriè dici necessarium quod in suo esse ita manet, vt eo carere non possit. Notandum secundò, necessariam ge-

neratim loquendo esse in duplici differentia: aliud incomplexum, seu simplex, aliud complexum seu compositum: Incomplexum est res aliqua simplex immutabiliter in suo esse permanens, sicque in varias species diuiditur in necessarium simpliciter & absolutè: & necessarium hypotheticum. Necessarium simpliciter & absolutè dicitur, quod nulla posita conditione necessarium est, & necessariò in suo esse permanet: siue omnium, vt solus Deus: siue tantùm ab intrinseco, vt Angelus qui quidem nullum habet in seipso corruptionis principium, ab extrinseco tamen, putà Deo, destrui, & annihilari potest. Necessarium verò hypotheticū, est illud quod licet absolutè non sit necessarium, posita tamen aliqua conditione necessarium est, vt respirare ad vitam cōseruandam: quia autem illud quod supponitur est causa necessarii, hinc fit vt tale necessarium dicatur à causa: sicque pro quadruplici causa quadruplex constituitur. Primum est à causa materiali: quo pacto dicimus necessariò annulum esse durum, quia ex auro, vel ferro componitur: Secundum est à causa formali, quo pacto necessariò dicimus hominem esse risibilem, quia habet talem formam, nimirum animam rationalem, à qua ipsa oritur ridendi procliuitas. Tertium est à causa efficiente, vt actum aliquem esse bonum, quia à bona causa putà bono Angelo, proficiscitur: Quartum denique est à causa finali, idque vel simpliciter, vel tantum secundùm quid, & ad melius esse: simpliciter, vt respirare ad vitam sustinendam: secundùm quid, vt ad iter faciendum equum sumere,

Necessarium verò complexum complectitur omnes propositiones quas vocant sempiternæ verita-

tis, quibus attributum & ſubiectum ita connectuntur, vt diſſolui nullo modo poſſint, ſiue tam ex parte ſubiecti, quàm attributi abſolutè, vt cũ dico, homo eſt rationalis, quia neque ſubiectum ſine attributo, neque attributum ſine ſubiecto eſſe poteſt, ſiue ex parte vtriuſque, ſed tantum ſecundùm legem ordinariam, vt cùm dico, homo eſt riſibilis; nam reuera tanta connexio eſt inter hominem & riſibile, vt ſaltem ex lege ordinaria ſeparari non poſſint: ſiue denique ex parte tantùm ſubiecti, vt cum dico, homo eſt animal; ſiquidem animal ſine homine eſſe poteſt numquã tamen homo ſine animali. Quibus poſitis, hęc certa ſit.

Prima propoſitio.

VT præmiſſæ demonſtrationis dicantur neceſſariæ, duplex exigitur neceſſitas: prior ſimplex & incomplexa connexionis vtriuſque.

Probatur, vt aliqua propoſitio ſit, & dicatur neceſſaria, attributum, & ſubiectum debent eſſe entia aliqua neceſſaria, quę ſemper, & vbique ita ſe habeant, vt attributum affirmetur ineſſe ſubiecto, & ſic prioris neceſſitatis defectu hæc propoſitio non habetur propriè neceſſaria, Petrus eſt homo, quia licet neceſſaria ſit connexio Petri cum homine, ita vt Petrus quandiu eſt, debeat eſſe homo, non eſt tamen Petrus aliquod ens neceſſarium, & quod ab æterno ſit, ſaltem ſecundùm eſſentiam, quo fit vt de illo non ſemper formari poſſit propoſitio, Petrus eſt homo. Ergo, vt præmiſſę demonſtrationis cenſeantur neceſſarię, primò requiritur neceſſitas incomplexa attributi, & ſubiecti, deinde complexa connexionis vtriuſque.

Cæterùm vt firmior ſit iſta doctrina de neceſſitate præmiſſarum demonſtrationis, tres ſunt explicandæ conditiones, quas requirit Ariſtoteles ad propoſitionem neceſſariæ: Prima eſt, vt attributum dicatur de omni: Secũda, vt dicatur per ſe. Tertia, vt ſit vniuerſale primũ, ſeu conueniat ſubiecto, ſecundum quod ipſum, ſeu reduplicatiuè.

Quod ſpectat ad primam, pro eius intelligentia notandum primò duplex eſſe *dici de omni*: vnũ *prioriſticum*, quod explicatur in libro priorum analyticorum: Alterum *poſterioriſticum*, quod in libris poſteriorum analyticorum exponitur.

Dici de omni prioriſticum eſt, cùm propoſitionis ſubiecto præponitur ſignum vniuerſale, *omne*, ſiue interim attributum ſemper, & omni conueniat, vt *omnis homo eſt animal*; ſiue non, vt *omnis homo eſt albus*.

Poſterioriſticum verò dicitur, cùm attributũ cõuenit omni ſubiecto, ſiue præfigatur terminus vniuerſalis, vt, *omnis homo eſt animal*, ſiue non vt *homo eſt animal*.

Notandum ſecundò generatim loquendo aliquod attributum dici de omni tribus modis: Primò quando conuenit alicui ſubiecto, & omnibus eius inferioribus ſemper & neceſſariò: Secũdò quando attributum cõuenit alicui ſubiecto, & omnibus eius inferioribus neceſſariò, non tamen ſemper, ſed ſtatutis à natura temporibus, vt Lunæ conuenit eclypſim pati, quotieſcumque inter ipſam & ſolem terra interponitur. Tertiò, quando attributum conuenit quidem omni ſubiecto & eius inferioribus, nõ tamen neceſſariò, & omni tempore, ſed tantùm vt plurimum, & certis, præfinitiſque à natura temporibus: vt menſe Iulio vigere calorem,

His ita constitutis, quando requirit Aristoteles ad propositionem necessariam, vt dicatur de omni, illud *dici de omni* non est accipiendum *prioristicè*, quia ille modus non est necessarius, vt patet in exemplis allatis, *omnis homo est albus*: nec etiam *posterioristicè* tertio modo, quia modus ille est tantum probabilis, nō necessarius, sed posterioristicè primò vel secundo modo, ita vt dicatur propositio necessaria, in qua attributum conuenit omni subiecto, siue semper & necessariò, vt animal homini, siue certis tantùm, & statutis à natura temporibus, sed necessariò: vt deficere, vel eclipsim pati Lunæ competit, quando terra interiicitur inter ipsam & solem, siue ponatur particula *omnis*, siue non. Ad has propositiones necessarias reuocantur illæ quæ de Deo fiūt, vt Deus est iustus, Deus est bonus, in quibus licet attributa dicantur de vno singulari nempe Deo, nihilominus de se habentur pro iis quæ de omni contento sub ipso subiecto prædicantur, quia si (quod fieri repugnat) sub Deo plures dii constituerentur, illa omnia attributa de ipsis prædicarentur.

Quod attinet ad secundam conditionem, vt scilicet attributum propositionis necessarię dicatur per se de subiecto: pro illius explicatione.

Notandum est aliquod attributum dici de subiecto per se, quatuor modis: primò quando est de essentia subiecti, siue sit tota eius definitio, vt respectu hominis esse animal rationale, siue pars tantum, vt cum dicis, *homo est rationalis, homo est animal homo est viuēs, homo est corpus, homo est substātia, homo est ens*, qui omnes gradus pertinēt ad essentiam hominis, & saltem implicitè in eius definitione continentur.

Secundus modus dicendi per se est proprietatis,

siue specificæ, siue genericæ, siue transcendentis de subiecto, & ita propositiones istæ habentur in secundo modo dicendi per se, *homo est risibilis, homo est mortalis, homo est bonus*, & similes.

Tertius modus dicendi per se, est existentiæ independentis, seu per se, scilicet substantię, estque tantùm peculiaris substantiuis, siue singularibus, siue vniuersalibus, quia solæ substantiæ per se subsistunt, singulares per se primò, vniuersales verò per se secundò & sic istæ propositiones sunt per se tertio modo *Petrus existit, homo existit, animal existit, & aliç.* Non item istę, *albedo existit, scientia existit*, quia albedo & scientia per se non existunt, sed tantùm in alio, albedo in ligno, scientia in intellectu.

Postremus modus dicendi per se, est causalitatis, quando effectus dicitur de illa sua causa à qua per se proficiscitur: vel, vt alii dicunt, quando subiectum continet & exprimit causam per se prædicati: vt cernere est in his omnibus propositionibus, *suffocatus interit, pictor pingit*, & similibus, nam suffocatus exprimit suffocationem, quę est causa per se interitus, pictor pingendi artem, à qua ipsa pingendi actio per se perficitur. Hinc istæ reiiciuntur propositiones, miniméque habentur per se quarto modo, *deambulans interit, homo pingit*, quia neque deambulans continet causam per se interitus, sed solùm per accidens, nimirum deambulationem. Nec etiam homo, vt homo est, picturæ causam per se exprimit, sed tantùm causam per accidens, quia ab homine, quatenus est homo per se, non oritur actio pingendi: sed per accidens tantum, quatenus pictor est. Hoc notato aperiendum ęst, de quibus propositionibus loquatur Aristo-

teles cùm illas ad demonstrationem requirit. Sit igitur.

Secunda propositio.

IN demonstratione *quia*. non requiritur propositio per se, seu in qua attributum dicatur per se de subiecto: probatur, vna ex præmissis eiusmodi demonstrationis *quia*, talis est vt subiectum prædicetur de sua proprietate: atqui subiectum non prędicatur de sua proprietate in nullo modo dicendi per se, vt patet inductione facta per illos omnes modos: ergo &c. Maior ostenditur exẽplo huius demõstrationis, in cuius maiori propositione subiectum prædicatur de sua proprietate, verbi gratia *rationale de risibili*, hoc modo, *omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est rationalis.*

Tertia propositio.

IN nulla demonstratione admittuntur propositiones per se, in tertio modo dicendi per se.

Probatur, propositiones quæ adhibentur in demonstratione debent esse sempiternæ veritatis, ex superioribus: atqui propositiones per se in tertio modo non sunt eiusmodi, sunt enim de rebus spectatis secundùm existentiam quam per se participant, quo pacto æternæ esse nequeunt: ergo &c.

Quarta propositio.

IN demonstratione possunt adhiberi propositiones per se in 1. 2. & 4. modo dicendi per se.

Probatur, omnes propositiones quæ sunt in his tribus modis dicendi per se, sunt sempiternæ

veritatis, vt *omnis homo est animal rationale*, quæ est propositio per se inprimo modo: *omnis homo est risibilis*, quæ est propositio per se in secundo modo, & *omnis suffocatus interit*, quæ est propositio per se in quarto modo, ergo &c.

Quod spectat ad vltimam conditionem propositionis necessariæ, illa est, vt eius attributum sit vniuersale primum, vt videre est apud Aristotelem primi Posteriorum cap. 4. & 5. Quid verò per attributum *vniuersale primum*, intelligat, non constat inter omnes. Breuiter tamen concludimus per attributum vniuersale primū Aristotelem intelligere attributum reciprocū, quod dicitur de omni subiecto *secundum quod ipsum, quatenus tale est, & reduplicatiuè*, quo pacto complectitur definitionem essentialem, differentiam constitutiuam, & proprietatem quarti modi Porphyriani, quæ omnia cum subiecto reciprocātur, & de eo quatenus ipsa sunt, & reduplicatiuè loquendo prædicantur, vt, *homo est animal rationale, quatenus animal rationale, homo est rationalis, quatenus rationalis, homo est risibilis, quatenus risibilis.* Hinc constat eiusmodi conditionem non requiri in propositionibus cuiuscumque demonstrationis, sed accuratissimæ tantum, cùm hæc sit vera demonstratio, *Omne sensibile est viuens, omnis homo est sensibilis, ergo omnis homo est viuens.* Licet interim nulla propositio habeat attributum vniuersale primum seu reciprocum: sicut hæc demonstratio accuratissima constat propositionibus: *Omne animal rationale est intellectu praditum, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est intellectu praditus.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Demõstratio constare debeat præmissis primis, immediatis, indemonstrabilibus, & per se notis.

NEquis turbetur statim in ingressu huius difficultatis, sciat primò eandem propositionem simul primam, immediatam, indemonstrabilem, & per se notam haberi, primam dici, quod nihil habeat se priùs quo demonstretur: immediatam, quòd careat medio, per quod demonstretur: indemõstrabilem, quod demonstrari nequeat: & denique per se notam, quod non indigeat probatione, aut demonstratione.

Notandum secundò propositionem immediatã, primam, indemõstrabilem, & per se notam duobus modis dici: scilicet natura sua, & nobis. Propositio natura sua prima, immediata, indemonstrabilis & per se nota dicitur quæ nullam ex sua natura antecedentem causam agnoscit qua ostendi demonstrarique possit, quales sunt istæ propositiones, *homo est rationalis, homo est animal rationale,* quia nullam habent ex sua natura causam, per quam demonstrantur, sed solùm possunt à posteriori per effectus, & proprietates demonstrari. Propositio verò prima, immediata, indemonstrabilis, & per se nota nobis dicitur, quę sic innotescit ex sola terminorum expositione, vt siue causam habeat, siue non, inutile planè esset ad demonstrationem confugere, qua magis fieret nobis perspicua, quo pacto hoc axioma metaphysicum *quodlibet est, vel non est*, dicitur primum, immediatum, indemonstrabile, & per se nobis notum.

Notandum tertiò propositionem immediatam triplicem posse constitui: prout medio trifariã carere potest: Primò enim potest carere omni medio, & à priori, & à posteriori: vt principia prima, quæ nihil prius obtinent quod sit medium, à priori, nec aliquid posterius, quod tanquam medium notius nobis possit adhiberi ad demonstrandam illorum veritatem: & hinc ponitur primum genus propositionis immediatæ. Secundò potest carere medio à priori, non tamen à posteriori, vt ista propositio ***homo est animal rationale***, quæ ex dictis nullam agnoscit causam, per quam, tanquam per medium à priori demonstretur, potest tamen habere risibile pro medio, quo à posteriori demonstretur, vt iam sępius demonstratum est: ex ista parte secundum ponitur genus propositionis immediatæ, nimirum à priori.

Tertio, aliqua propositio potest carere medio à posteriori, illud tamen habere à priori, vt ista ***homo est risibils***, etsi enim rationale à priori sumi queat pro medio, ad demonstrandam propositionem illam, nullum tamen est medium à posteriori quo demonstrari possit. Et hinc tertium statuitur genus propositionis immediatę, nempe à posteriori.

Notandum quartò bifariam adhuc propositionem esse immed iatam seu carentem medio à priori: primò quia car et medio rei, seu in essendo: quale est rationale respectu risibilis. Secundò quia caret medio cognitionis, seu in cognoscendo, quale est primum principium metaphysicum; ***quodlibet est, vel non est.*** respectu principiorum scientiarum inferiorum.

Notandum postremò, propositionem aliquam dupliciter dici indemõstrabilé, primò simpliciter,

& abſolutè, quando nullo pacto, neque à priori, neque à poſteriori demonſtrari poteſt: & hæc coincidit cum illa quam diximus omni medio carere, tā à priori, quàm à poſteriori. Secundò, propoſitio dicitur indemonſtrabilis ſecundùm quid, quæ licet abſolutè demonſtrari poſſit, ſiue à priori, ſiue à poſteriori, accipitur tamē probata: & ſic talis habetur, ac ſi eſſet indemonſtrabilis, & carens medio, vt ſunt iſtæ, *Omnis homo eſt rationalis, omnis homo eſt riſibilis*: quæ licet per ſe mutuò probari poſſint, accipiuntur tamen, vt probatæ, & pro indemonſtrabilibus habentur, eo tempore quo ipſam demonſtrationem ingrediuntur. His notatis ſit.

Prima propoſitio.

AD veras demonſtrationis præmiſſas vniuerſim loquendo, non requiritur vt ſint omnibus modis primæ, immediatę, indemonſtrabiles, & per ſe notæ.

Probatur, propoſitio omnibus modis prima, immediata, indemonſtrabilis, & per ſe nota debet eſſe tā in eſſendo, quàm in cognoſcendo prima, immediata, indemonſtrabilis, & per ſe nota: ita vt nullum ſit prius medium, vel in eſſendo, vel in cognoſcendo, quo demonſtrari, & notificari poſſit: atqui hoc non requiritur ad præmiſſas demonſtrationis, vniuerſim, & abſolutè loquendo, ergo &c. Maior patet, minor probatur. Hæ ſunt veræ demonſtrationes: *Omne animal rationale eſt riſus capax : omnis homo eſt animal rationale: ergo omnis homo eſt riſus capax*. Item è conuerſo, *Omne riſus capax eſt animal rationale: omnis homo eſt riſus capax:, ergo omnis homo eſt animal rationale*: Cùm tamen prioris demonſtrationis minor propoſitio non careat omni me-

dio, sed possit habere medium à posteriori, quo demonstretur, vt reuera demonstratur per posteriorem demonstrationem, in qua pariter minor propositio, *omnis homo est risus capax*, medium à priori habere possit, nempe rationale, quo etiam demonstretur.

Confirmatur minor, in scientiis subalternis principia quæ adhibentur tanquam præmissę demonstrationum, sunt conclusiones scientiarum subalternantium; ergo illæ pręmissæ non erunt omnino primæ, immediatę, indemonstrabiles, & per se notę: sed saltem poterunt à superioribus scientiis, scilicet subalternantibus, demonstrari.

Requiritur tamen ad præmissas demonstrationis, vt saltem sint aliquo modo, scilicet secundùm quid, primæ, immediatæ, indemonstrabiles, & per se notę.

Probatur: pręmissę demonstrationis tales esse, & ita notæ debent, vt propter illas assentiamur conclusioni: ergo licet ex se absolutè demonstrari possint, debent tamen haberi probatæ, ac proindè cùm applicantur ad demonstrationem, haberi tanquam indemonstrabiles, quod est secundùm quid esse primum, immediatum, indemonstrabile, & per se notum. vt patet ex vltima obseruatione.

Dixi, saltem præmissas demonstrationis debere esse secundùm quid, primas, immediatas, indemonstrabiles & per se notas: fieri enim potest, licet non sit necesse, vt sint simpliciter indemonstrabiles, si nimirùm aliquod primum, & notissimum principium metaphysicum adhiberetur in demonstratione.

ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS.

An præmissæ Demonstrationis debeant esse priores ac notiores conclusione.

VT breuis facilisque sit huius difficultatis solutio, notandum est (quod iam indicauimus) aliquid prius esse, & notius alió dupliciter: scilicet *natura sua*, & *nobis*.

Priori modo causa dicitur prior & notior effectu; & essentia, proprietate ab ea fluente.

E contra verò posteriori modo effectus prior est, & notior causa, itemque proprietas ipsamet essentia, à qua manat: hoc notato, sit

Prima propositio.

IN omni demonstratione propositiones debent esse vel nobis, vel natura priores ipsa conclusione.

Probatur, omnis demonstratio aut procedit à causa ad effectum, & ab essentia ad proprietatem, & sic eius præmissæ sunt natura priores ipsa conclusione: aut è contra, à proprietate ad essentiam, & ab effectu ad causam progreditur: & sic præmissæ nobis seu respectu nostri sunt priores conclusione: ergo, &c.

Denique inferius docebimus præmissas esse causã conclusionis, siue in essendo, siue in cognoscendo, atqui omnis causa debet esse prior suo effectu; causa in essendo prior natura sua, causa in cognoscendo prior nobis, ergo, &c.

Secunda propositio.

OMnino requiritur vt præmissæ demonstrationis sint, vel nobis, vel natura, notiores ipsa conclusione, vt docet Aristoteles primi physicorum textu quarto, asserens hanc nobis insitam esse consuetudinem, vt à notioribus ad minus nota progrediamur, inde cùm à notitia præmissarum demonstrationis procedamus ad intelligentiam conclusionis: manifestum est ex mente Aristotelis, præmissas demonstrationis ipsa conclusione notiores esse debere.

Accedit ratio Aristotelis primi Posteriorum capite secundò: *Illud est magis tale, propter quod aliud est tale*, verbi gratia, quia propter ignem manus est calida, ignis magis, & potiori iure dicitur calidus: atqui propter præmissas nota est nobis conclusio; in tantùm enim nobis aliqua innotescit conclusio, illique assentimur, in quantùm de præmissarum veritate certi sumus, ergo præmissæ demonstrationis debent esse notiores conclusione.

Huius Aristotelicæ rationis totum robur in allato axiomate consistit, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale*: quare, quia aliquas patitur difficultaces non erit omnino firma præsens ratio, nisi illæ prius soluantur.

Prima est: quod si illud axioma esset validum, benè sequeretur, homo propter vinum est ebrius, ergo vinum magis est ebrium.

Item, propter formam c omp ositum naturale est perfectum: verbi gratia, homo, proter animam rationalem; ergo forma est toto naturali composito perfectior, quod apertè falsum est: cùm in ipso toto composito omnis perfectio formæ includa-

tur & præterea perfectio materiæ.

Tertiò, filius est homo propter patrem: ergo pater est magis homo, quod absurdum est, & omnibus aduersatur.

Ad tres istas difficultates simul respondeo illas duntaxat euincere aliquando axioma allatum non esse verum, quod vltrò admittimus, quia ad hoc vt veritatem obtineat, tria requirimus.

Primum, vt illud quod est causa cur aliud sit tale, possit quoq; esse tale, seu eam formam in se habere, per quam aliud dicitur tale: quæ conditio non reperitur in primo exemplo: propter vinum homo est ebrius, ergo vinum est magis ebrium, quia vinũ non est capax ebrietatis.

Secundò requiritur, vt illud propter quod aliud tale dicitur, vel quod est causa cur illud tale habeatur sit adæquata ratio, & causa illius vt loquũtur, barbarè tamen, talitatis; in qua conditione deficit secundum exemplum; Propter formam cõpositum est perfectum: ergo ipsa forma est perfectior, quia forma non est adæquata ratio, & causa perfectionis compositi, sed inadæquata tantum & partialis.

Tertiò requiritur ad veritatem præfati axiomatis, vt illud propter quod aliqua talia sunt, suscipiat magis & minus, aliàs numquam vnum alio magis minusque tale dici poterit: cuius conditionis defectu non habet veritatem tertium exemplum, filius est homo propter patrem: ergo pater est magis homo, quia homo in quo pater, & filius comparantur & propter quem dicũtur homines, non potest magis & minus suscipere.

Cæterum axioma illud habet tres allatas conditiones in re proposita, de præmissis, & conclusione

demonſtrationis, vt inferat præmiſſas eſſe notiores concluſione, eo quod ſint id propter quod concluſio nota eſt : Nam & præmiſſæ, & ipſa concluſio ſunt capaces notitiæ per quam res aliqua dicitur nota. Deinde præmiſſæ ſunt totalis cauſa notitiæ concluſionis, quæ eſt ſecunda conditio. Tertiò, notitia in qua comparantur, & propter quam dicuntur notæ, eſt capax intenſionis & remiſſionis, quia interdum maior eſt & euidentior, interdum minor & obſcurior: & eſt tertia poſtremaque conditio; proindeque ex eo validè concluditur præmiſſas demõſtrationis notiores eſſe concluſione, quia tantùm concluſio nota eſt, quia notæ ſunt præmiſſæ.

ARTICVLVS SEXTVS.

An præmiſſæ demonſtrationis debeant eſſe cauſa concluſionis, vel illius cauſam continere.

Notandum eſt primò cauſam (ſicut ſuprà de medio diximus) aliam eſſe rei, ſeu in eſſendo, vt eſt rationalitas reſpectu facultatis ridendi, aliam tantùm cognitionis, vt riſibilitas comparatione rationalitatis.

Notandum ſecundò, cauſam rei eſſe duplicem, vnam realem, virtualem alteram. Realis eſt de qua diſputant Phyſici, & quam in quatuor ſpecies materialem, & formalem, efficientem, & finalẽ communiter diſtribuunt. Virtualis verò eſt ea quæ licet non ſit cauſa à parte rei, habet tamen vim cauſæ: quo ſenſu diximus ſuprà immutabilitatẽ Dei eſſe cauſam virtualem æternitatis eiuſdem : quia licet immutabilitas nõ ſit realis cauſa æternitatis, ſiqui-

dem inter causam, & effectum requiritur distinctio naturæ quæ nulla est inter immutabilitatem Dei, & eius æternitatem: habet tamen ipsa immutabilitas vim causæ realis respectu æternitatis, adeò vt, si aliqua causa posset assignari diuinæ æternitati, nulla alia ab immutabilitate afferri posset. Quibus positis, sit.

Prima propositio.

Requiritur vt præmissæ demonstrationis sint causæ, vel contineant causam conclusionis, quacumque ratione id fiat: siue causa illa fuerit in essendo, siue in cognoscendo, siue realis, siue virtualis tantùm.

Expressa est Aristotelis sententia primi Posteriorum cap. 2. vbi requirit ad præmissas demonstrationis, vt sint causę conclusionis, ex eoq; infert priores, notioresque esse debere ipsa conclusione.

Accedit ratio Aristotelis eodem loco, per pręmissas demonstrationis cognitas scimus seu habemus scientiam conclusionis, vnde & demonstratio sumpta pro solis pręmissis communiter definitur, Syllogismus faciens scire: ergo cùm scientia sit cognitio rei per causam, pręmissę demonstrationis debent esse causa conclusionis: vel certè causam continere.

Obiicies, dari aliquas demonstrationes quę in pręmissis non continent causam conclusionis, siue in essendo, siue in cognoscendo, vt illę quibus, vel vna proprietas per priorem demonstratur, vt risibilitas per capacitatem admirandi, hoc modo: *omne admirationis capax est risibile: ōnis homo est admirationis capax; ergo omnis homo est risibilis*: vel quibus scientia demonstratur per obiectum, & poten-

tia per actum: vt *omnis sceentia circa corpus naturale vt naturale est, occupata, est speculatiua: Physica est eiusmodi, ergo Physica est speculatiua. Item, omnis facultas intelligens est spiritalis: intellectus est facultas intelligens: ergo intellectus est spiritalis,*

Respondeo harum omnium demonstrationum præmissas continere de facto causam conclusionis, siue realem, aut in essendo, aut in cognoscendo, siue virtualem tantùm.

Nam quod spectat ad primam demõstrationem, in qua per capacitatem admirandi in præmissis positam, probatur de homine ridendi potentia in cõclusione: reuera ipsa admirandi capacitas habet rationem causæ ad minimùm virtualis, respectu risibilitatis, quia quærenti quare homo sit risibilis, rectè causam assignamus quia est admiratiuus: sicquę præmissę eiusmodi ad minimùm continent causam virtualem conclusionis,

Quod verò attinet ad duas posteriores demonstrationes, in quarum prior scientia per obiectum, in posteriori, potentia per actum, nempe facultas spiritalis, per actum intelligendi demonstratur.

Communis responsio est istas demonstrationes procedere à causa formali extrinseca, seu præmissas continere causam formalem extrinsecam cõclusionum: Nam obiectũ scientiæ, & actus respectu potentiæ, cõmuniter dicuntur habere rationem causæ formalis extrinsecæ; causæ quidem formalis, quia sicut forma determinat materiam; sic obiectum scientiam: verbi gratia, corpus naturale, vt naturale, est physicum: & actus potentiam: verbi gratia, actus intelligendi, intellectum: extrinsecè verò, quod nec obiectum pertineat ad essentiam

ſcientiæ, nec actus ad eſſentiam potentiæ, vt alibi commodius demonſtrabitur.

Secunda propoſitio.

PRæmiſſæ demonſtrationis à priori continent cauſam in eſſendo concluſionis: è contra demonſtrationis à poſteriori præmiſſæ continent ſolam cauſam in cognoſcendo ipſius concluſionis.

Vtraque pars eſt euidens, probatur prior, demonſtratio à priori ea eſt, quæ infert in concluſione effectum per cauſam, vel proprietatem per eſſentiam in præmiſſis poſitam, vt conſtat ex hac demonſtratione: ***Omnis natura rationalis habet vnam voluntatem: homo eſt natura quædam rationalis: ergo homo habet vnam voluntatem.*** In qua demonſtratione oſtendimus voluntatem ineſse homini per naturam rationalem in præmiſſis contentam, ſeu ex eo quòd habeat naturam aliquam rationalem, à qua tanquam à fonte, & cauſa propriè dicta emanat voluntas: ergo præmiſsæ demonſtrationis à priori continent cauſam in eſsendo concluſionis.

Poſterior pars ſimiliter probatur, demonſtratio à poſteriori eſt illa in qua probatur cauſa per effectum, vel eſsentia per proprietatem in præmiſsis poſitam, vt potè rationalitas per ridendi facultatem, quæ ſumitur tanquam medium, & ſub ea ratione, in præmiſſis collocatur: Atqui effectus comparatione cauſæ, & proprietas, reſpectu ſuę eſsentię, ſunt tantùm cauſæ cognitionis, ergo præmiſsæ demonſtrationis à poſteriori tantùm poſsunt continere cauſam in cognoſcendo ipſius concluſionis.

ARTICVLVS SEPTIMVS, ET POSTREMVS

De medio Demonstrationis

Medium demonstrationis est pars adeò necessaria ad demonstrationem, vt sine illa parte imperfecta sit, & manca ipsamet demonstratio: Quapropter illud explicandum hoc loco suscipimus, quærimusque quodnam illud sit, tam in demonstratione à priori, quàm à posteriori.

Notandum verò est ad solutionem huius quæstionis, proprietatem de aliquo subiecto demonstrabilem esse duplicem: vnam internam, alteram externam. Interna est quæ manat ab ipsamet rei essentia, illamque naturaliter consequitur, vt facultas ridendi hominis. Externa verò est quæ non manat ab essentia rei, sed prouenit ab aliqua causa extrinseca, vt est eclipsis lunæ, quæ ex ipsa lunæ essentia non oritur, illamque non consequitur, sed potiùs ab aliquo principio ipsi lunæ extrinseco, nimirum interpositione terræ inter solem, & ipsam lunam. Hoc notato.

Primò certum est medium demõstrationis à posteriori esse propriam affectionem subiecti, vel effectum quo essentia, & causa demonstratur: hoc enim satis ostensum est in superioribus; certum etiam est prædicata vniuersalia, scilicet genera inferiora, posse esse media ad vniuersaliora de minus vniuersalibus demonstranda, vt pote animal ad ostendendam de homine substantiam, in hac demonstratione: *Omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia.*

Tota igitur difficultas remanet de illa demonstra-

tione à priori per quam propria paſſio demonſtratur de ſubiecto, vt aptitudo ridendi de homine, vtrũ in illa aſſumi debeat definitio ſubiecti, nimirum hominis, aut eius eſſentialis differentia: an ſecus oporteat proferre definitionem ipſius proprietatis, ſcilicet riſibilitatis. Oppoſitæ ſunt de hac difficultate ſententiæ. Cui autem earum aſſentiendum ſit, ſequentibus propoſitionibus aperiemus.

Prima propoſitio.

SI paſſio externa demonſtretur de ſubiecto, non eſt accipienda ipſa definitio ſubiecti pro medio, ſed ipſa potiùs cauſa extrinſeca: hinc qui vellet demonſtrare eclipſim lunæ, ſeu lunam deficere, non deberet aſſumere definitionem lunæ pro medio, ſed ipſam externam cauſam ecclipſis lunaris, nimirum interpoſitionem terræ inter ſolem & lunam.

Secunda propoſitio.

VT demonſtretur interna paſſio de ſubiecto, nõ eſt ſumenda ipſius proprietatis definitio.

Probatur, in demonſtratione per quam interna paſſio de ſubiecto demõſtratur, illud medium aſſumendum eſt, quod reddit cauſam cur ipſa ſuo inſit ſubiecto, ſed definitio proprietatis non adfert cauſam cur inſit ſubiecto, ſed ſolùm declarat quid ſit, verbi gratia definitio riſibilis, ſcilicet eſſe aptum ad ridendum, non adfert cauſam cur inſit homini, ſed ſolùm exprimit quid ſit: ergo, &c.

Tertia propoſitio

POteſt in eiuſmodi demonſtratione qua probatur interna paſſio de ſubiecto, aſſumi pro medio ſola eſſentialis, & conſtitutiua differentia ſub-

iecti: vt ad demonstrãdam risibilitatem de homine sola essentialis, & constitutiua hominis differentia, nimirum rationale, vt patet ex hac demonstratione, quam nemo negat esse legitimam: *Omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis*: in qua sumitur rationale pro medio vt probetur risibile inesse homini.

Quarta propositio.

Rectè sumitur pro medio demõstrationis à priori, in qua interna passio de subiecto demonstratur ipsa essentialis definitio subiecti, v. g. animal rationale ad demonstrandam de homine risibilitatem tamquam de subiecto: Siquidem nullus negat istam demonstrationem esse legitimam: *Omne animal rationale est risus capax, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risus capax.* In qua demonstratione assumitur definitio hominis, nimirum animal rationale, pro medio.

Confirmatur ratione, illud est aptissimum medium illius demonstrationis, in qua probatur interna passio de subiecto per veram causam, à quo ipsa passio immediatè dependet: Atqui talis est definitio subiecti, verbi gratia definitio hominis, *esse animal rationale*, vt ab ea interna eius passio, nimirum risibilitas immediatè pẽdeat: ergo aptissimum medium illius demonstrationis, in qua interna passio de subiecto probatur, est ipsa essentialis definitio subiecti.

QVÆSTIO POSTREMA.

De affectionibus Demonstrationis,

ARTICVLVS PRIMVS.

De figuris & modis ad conficiendã demonstrationẽ idoneis, vbi denegatione & affirmatione demonstrationis.

QVod spectat ad figuras, & modos demonstrationis, sit.

Prima propositio.

ILli figurarũ modi, siue primæ, siue secundæ, siue tertiæ figuræ, non sunt ad demonstrationes cõficiendas idonei, qui habẽt conclusionem particularem, siue affirmatiuam, siue negatiuam, vel qui habent in tertia syllaba vnam ex his duabus vocalibus, i, & o.

Probatur, illi modi non sunt apti ad demonstrationem conficiendam, in quibus non elicitur conclusio vniuersalis, quia numquam conclusio demonstrationis alia est quàm vniuersalis, vt potè scientificæ (semper excipimus demõstrationes quæ de Deo fiunt) igitur inepti sunt ad demonstrationẽ illarum figurarum modi qui habent conclusiones particulares, siue affirmantes, siue negantes. Hinc excludũtur duo illi modi directi primæ figuræ, darij & ferio, & omnes indirecti excepto celantes: duo item isti secundæ figuræ, festino, baroco, & omnes tertiæ figuræ.

Secunda propositio.

REliqui primæ & secundæ figuræ modi retineri possunt ad conficiendas demonstratio-

nes omnium tamen optimus est primus primæ figuræ modus, nimirum, barbara : prior pars patet exemplis in barbara: *Omne animal rationale est disciplinarum capax, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est disciplinarum capax.* In reliquis modis exempla facilè inueniri possunt; & puto supra assignata fuisse.

Posterior verò pars propositionis, nimirum *barbara*, primum primæ figuræ modum esse omnium aptissimum ad demonstrationes conficiendas, facilè ostenditur, tùm quia illo omnes scientiæ frequentissimè vtuntur : tùm maximè quia illo solo concluditur quid res, & cur sit, cùm solus habeat conclusionem affirmatiuam: per alios verò tantum quid non sit, & cur non sit, cùm habeant conclusiones negatiuas.

Ex his apertè sequitur, primò quod docet Aristoteles primi posteriorum cap. vndecimo, primam figuram esse omnium aptissimam ad demonstrationem, cùm in ea detur modus omnium optimus, nimirum, barbara: & præterea alius, scilicet, celarent, cęteros euidentia superet, & ad ipsum illi alii reuocari possint.

Sequitur secundò, aliam dari demonstrationem affirmatiuam, cuius nimirum conclusio est affirmatiua, aliam negatiuam, quæ negatiuè concludit, Priorem autem tantum præstare posteriori, quantum affirmatiua negationi, & cognitio quid res sit, cognitioni quid non sit, antistat.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De regressu Demonstrationis, seu circulo.

QVemadmodum in Mathematicis circulus dicitur, cùm ab vno púncto fit reditus ad ipsũ;

sic in materia demōstrationis circulus dicitur cum ab ipsis præmissis,à quibus fuerat ductum ratiocinationis initium, ad easdem fit reditus : vt si quis post hanc confectam demonstrationem, *Omne ens est bonum, substantia est ens, ergo substantia est bona,* statim rediret ad præmissas, & assumpto bono pro medio,quod erat maius extremum,sic ratiocinaretur. *Omne bonum est ens, substantia est bona: ergo substantia est ens.*

Cogitant aliqui circulum eiusmodi duplicem: Vnum quem vocant vniformem, vt si facta aliqua demonstratione à priori, per similem demonstrationem à priori regrederemur.

Alterum vocant non vniformem,cùm scilicet in diuerso genere demonstrandi,effectum, & causam per se mutuò demonstramus, vt cùm exempli causa, à priori risibile de homine demonstramus per rationale: & à posteriori idem rationale de homine probamus per risibile.

Huius posterioris circuli vsus frequens est apud Aristotelem,potissimum primi posteriorum capite decimo, vbi ostendit stellas errantes non micare, quia propè à terra deferuntur: & vice versa propè à terra deferri, quia non micant. Item lunam esse rotundam,quia orbiculariter illuminatur : & retrorsum ipsam orbiculariter illuminari, quia rotunda est. Eodem circulo vtitur 8. Physicorum cap. 6. textu 2. cum ex æternitate motus infert æternitatem motoris, & postea ex motoris æternitate colligit æternitatem motus.

Quod verò spectat ad circulum vniformem, ille non modò non datur, sed est omnino impossibilis. Primò quia illius nullum extat exēplum apud aliquem, ex infinitis propemodum philosophis.

Secundò, quia (& hæc est ratio Aristotelis locô citato) idem simul natura prius esset & posterius, notius & ignotius; prius & notius, cum assumeretur pro medio à priori, posterius verò & ignotius, cum per medium similiter à priori demõstraretur.

Dices, idem sequi incommodum ex non vniformi circulo, quia idem etiã erit notius, & ignotius: prius & posterius alio, quatenus ad eius probationem assumetur, aut per illud probabitur, vt rationale per risibile, & vicissim risibile per rationale.

Respondeo, in hoc non vniformi circulo sequi tantùm idem esse notius & ignotius, prius & posterius alio, non in eodem genere, vt in circulo vniformi, quod solum incommodum est, sed in diuerso, notius & prius natura: posterius autem & ignotius nobis, quod non videtur magnum absurdum, cùm effectus communiter dicatur prior & notior causa secundum nos, natura tamen posterior & ignotior.

Addo præterea, facta vna demonstratione effectus per causam, aliunde posse contingere, vt effectum eiusmodi magis penetremus, & intelligamus quàm statim fuerit perceptus per primam illam demonstrationem: sicque postea talem effectum, euidentiorem factum, adhiberi tanquam medium in secunda demonstratione, ad probationem causæ, & consequenter tunc reddi notiorem ipsa causa, qua tamen ignotior erat in prima demonstratione. Vnde patet numquam ignotius, vt ignotius est, poni tanquam medium in demonstratione, sed postquam ex ignotiori factum est notius, quacumque ratione id contigerit.

Hinc prima colligitur conditio ad circulum, quatenus vsui esse potest inter disserendum, vt sci-

licet conclusio quæ tanquam ignotior deducta est ex præmissis notioribus primæ demonstrationis notior reddatur, antequàm collocetur in præmissis secundæ demonstrationis.

Secundò requirit Aristoteles ad circulum, vt ipse fiat in terminis reciprocis, quales sunt rationale & risibile: & sic licet demonstremus animal de homine per rationale, hoc modo: *Omne rationale est animal: omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est animal:* non tamen possumus probare rationale de homine per animal, sic, *omne animal est rationale, omnis homo est animal, ergo omnis homo est rationalis.* Huius rei ratio est, quia animal & rationale nō sunt termini rèciproci. Hactenus de ipsa demonstratione.

SECTIO TERTIA, ET POSTREMA,

De effectu Demonstrationis, nimirum scientia.

QVAESTIO PRIMA.

De nomine ac varia acceptione scientiæ.

GEneratim loquendo scientiæ nomen multis modis accipitur; primò pro omni cognitione intellectus, siue certa, siue tantùm probabili.

Secundò pro sola certa cognitione intellectus, siue illa sit infusa, siue acquisita, siue per causā, siue nō & eo modo alios omnes certos intellectus habitus cōplectitur, sicque nō est ad nostrum propositum.

Tertiò vsurpatur strictissimè, pro sola scientia theoretica, quo modo probabile est illam sumpsisse Aristotelem in metaphysicis, cùm ait scientiam debere considerare causas per se, id est theoreticè, & sine relatione ad opus. Quamquam potest aliter.

Secundò, quia (& hæc est ratio Aristotelis loco citato) idem simul natura prius esset & posterius, notius & ignotius; prius & notius, cum assumeretur pro medio à priori, posterius verò & ignotius, cum per medium similiter à priori demõstraretur.

Dices, idem sequi incommodum ex non vniformi circulo, quia idem etiã erit notius, & ignotius: prius & posterius alio, quatenus ad eius probationem assumetur, aut per illud probabitur, vt rationale per risibile, & vicissim risibile per rationale.

Respondeo, in hoc non vniformi circulo sequi tantùm idem esse notius & ignotius, prius & posterius alio, non in eodem genere, vt in circulo vniformi, quod solum incommodum est, sed in diuerso, notius & prius natura: posterius autem & ignotius nobis, quod non videtur magnum absurdum, cùm effectus communiter dicatur prior & notior causa secundum nos, natura tamen posterior & ignotior.

Addo præterea, facta vna demonstratione effectus per causam, aliunde posse contingere, vt effectum eiusmodi magis penetremus, & intelligamus quàm statim fuerit perceptus per primam illam demonstrationem: sicque postea talem effectum, euidentiorem factum, adhiberi tanquam medium in secunda demonstratione, ad probationem causæ, & consequenter tunc reddi notiorem ipsa causa, qua tamen ignotior erat in prima demonstratione. Vnde patet numquam ignotius, vt ignotius est, poni tanquam medium in demonstratione, sed postquam ex ignotiori factum est notius, quacumque ratione id contigerit.

Hinc prima colligitur conditio ad circulum, quatenus vsui esse potest inter disserendum, vt sci-

licet conclusio quæ tanquam ignotior deducta est ex præmissis notioribus primæ demonstrationis notior reddatur, antequàm collocetur in præmissis secundæ demonstrationis.

Secundò requirit Aristoteles ad circulum, vt ipse fiat in terminis reciprocis, quales sunt rationale & risibile: & sic licet demonstremus animal de homine per rationale, hoc modo: *Omne rationale est animal: omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est animal:* non tamen possumus probare rationale de homine per animal, sic, *omne animal est rationale, omnis homo est animal, ergo omnis homo est rationalis.* Huius rei ratio est, quia animal & rationale nō sunt termini reciproci. Hactenus de ipsa demonstratione.

SECTIO TERTIA, ET POSTREMA,

De effectu Demonstrationis, nimirum scientia.

QVAESTIO PRIMA.

De nomine ac varia acceptione scientiæ.

GEneratim loquendo scientiæ nomen multis modis accipitur; primò pro omni cognitione intellectus, siue certa, siue tantùm probabili.

Secundò pro sola certa cognitione intellectus, siue illa sit infusa, siue acquisita, siue per causā, siue nō & eo modo alios omnes certos intellectus habitus cōplectitur, sicque nō est ad nostrum propositum.

Tertiò vsurpatur strictissimè, pro sola scientia theoretica, quo modo probabile est illam sumpsisse Aristotelem in metaphysicis, cùm ait scientiam debere considerare causas per se, id est theoreticè, & sine relatione ad opus. Quamquam potest aliter.

explicari locus iste Aristotelis, scientia debet considerare causas per se, id est sine relatione ad opus externum, quod non obstat quominus habeat relationem ad opus internum, vt Logica, & Moralis.

Postremò sumitur scientiæ nomen medio, & proprio modo, pro sola cognitione intellectus certa, necessaria, & euidenti rei per propriam suam causam, & hoc modo tota præsenti sectione de scientia loquemur.

QVAESTIO SECVNDA.

De existentia Scientiæ

ARTICVLVS PRIMVS.

An detur de facto Scientia.

HIc est quod miremur ad persuadendam rerum ignorantiam, inanem veterum Philosophorum conatum, cùm ipsi in rerum intelligentia consequenda noctes diebus coniungerent.

Quid profuit Scepticis tot labores in peruestiganda rerum veritate pertulisse, si de quacumque re proposita mentem suam aperire non audebant, sed ancipites semper, & paribus examinati ponderibus in omni re manerent? Quid scientiis repletus Democriti puteus illi contulit, si ipsius os obstrusum semper mansit, nec vnquam aperiri potuit, vt ex eo aliqua scientiæ guttula hauriretur, vel si fuerit apertum, pertuso Danaïdum dolio hausta fuit?

Ne itaque tam insanum de scientia ferre iudicium videamur, cum tota familia celeberrima Peripateticorum, ipsius scientiæ existentia, hisce validissimis rationum momentis, & argumentis demonstranda est.

Primum

Primum hoc est, nullus naturalis appetitus debet esse frustraneus: si quidem Deus, & natura nihil moliuntur frustra, atqui sciendi appetitus nobis est naturalis, ex Aristotele statim initio primi libri Metaphysicorum: ergo debent dari scientiæ quibus expleatur.

Fortasse respondebunt aduersarij, nos quidem naturali desiderio in rerum cognitionem ferri, non tamen in eam, quæ omnem dubitationem expellit, sed tantùm in eam quæ propius ad veritatem videtur accedere.

Verùm illi experientiæ manifestissimæ aduersantur, experimur enim quacumque cognitione acquisita, incertà, & imperfecta, nostrum intellectum non acquiescere, sed adhuc certiorem, & euidentiorem naturaliter appetere, donec illam consequatur quæ ipsi ita certa, & euidenter appareat, vt in ea sistat, & vlteriorem non requirat.

Secundum argumentum, datur scientia, si dentur res, quæ certò, necessariò, & euidenter per propriã causam agnoscantur: atqui multæ res sunt eiusmodi: ergo, &c. Maior est certa, & magis patebit infrà ex scientiæ definitione, Probatur verò minor, cognoscere hominem esse risibilem, quia rationalis, est cognoscere rem per causam, quia causa cur homo sit risibilis, alia non est, quàm quia est rationalis. Itẽ, cognoscere cælos moueri posse quia sunt corpora naturalia, est habere euidentem, & certam cognitionem motus cælorum per propriã causam: idem de aliis iudicandum: atqui hæc omnia cognoscimus; ergo res multas certò, & euidenter per proprias causas intelligimus.

Respondent aduersarij negando minorem scilicet dari cognitionem certam & euidentem alicuius

rei. Rationem addunt, quæ est Achilles omnium argumentorum, quibus suam sententiam conantur persuadere. Nam inquiunt, omnis nostra cognitio intellectiua deriuatur à sensu: ergo certior esse non potest quàm cognitio sensitiua: Atqui sensus nulla est cognitio certa, sed sæpius ipse falsa rerum imagine delusus, falsum intellectui renuntiat: ergo nec intellectus cognitio certa esse potest.

Assumptum seu minor patet multis exemplis, nam primò sensus baculum in aqua fractum iudicat, cùm tamen sit integerrimus, solem apprehendit magnitudine vnius pedis, licet interim totius terræ molem multoties exsuperet, videt quæ de facto sunt alba, & nigra per medium rubrum, rubra: littora quoque ipsa circumferri videntur nauigantium oculis, quamuis immota maneant: alia plura sunt id genus exempla satis cuique obuia, in quibus apparet sensus nostros grauissimè falli.

Verùm refellitur sufficienter ista responsio solutione argumentandi qua corroboratur. Ad antecedens itaque dico, intellectus cognitionem ita dependere à sensu, vt tamen intellectus ipse maneat semper superior, habeatque virtutem corrigendi sensum, si errauerit, & deprehendendi causam eiusmodi erroris, quod contingit vbi oculus solem vnius pedis magnitudine constantem percipit: tunc enim intellectus reprehendit oculum, deprehenditque causam erroris, scilicet nimiam solis ab oculo distantiam.

Addo prætereà non semper sensum errare, sed multa certò cognoscere, maximè vbi istæ conditiones reperiuntur: primò si obiectum sit proprium, vt est color, respectu visus, & sonus, auditus comparatione: non autem, commune, cuius

conditionis defectu fit, vt minor oculis appareat ſolis magnitudo, quàm ſit à parte rei, & littora mo- ueri videantur, cùm tamen omnino immota ſint, quia magnitudo, & motus ſunt ſenſibilia cõmunia.

Secunda conditio eſt, vt obiectum ſit in debitã diſtantia, cuius etiam conditionis defectu ſtellę mi- nores apparent, quàm reuera ſint, quia nimiùm ab oculo diſtant.

Tertia eſt, vt medium non ſit vitiatum, cuius de- fectu color albus viridis apparet, ſi vitium viride inter ipſum, & viſum interponatur.

Poſtrema conditio eſt, vt ſenſus nullo vitio labo- ret: ſi enim paruo aliquo humore inficiatur, facilè decipietur, vt patet in morbidis, quibus dulcia iu- dicantur amara.

Sed quæres, quomodo fiat vt intellectus cognoſ- cat ſenſum non errare circa obiectum affectum omnibus his conditionibus.

Reſpondeo facilè cognoſcere, tum propria vi, & acumine, tum etiam continuo experimento quo deprehendit ſenſum eodem ſemper modo ſuum obiectum percipere, nec vnquam deficere, vbi om- nes illæ conditiones ſtatuuntur.

Confirmatur iſta reſponſio, & argumento ad ho- minem conuincitur aliquam dari cognitionem cer- tam: ſiquidem, aut aduerſarij qui illam inficiantur certò eam non dari cognoſcunt, ſicque ſuæ igno- rantiæ certam cognitionem obtinent: aut non co- gnoſcunt certò, & ita non eſt cur illis fidem adhi- beamus, cùm ipſis non ſit certum, quod contra om- nium opinionem conantur introducere.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quotuplex detur scientia, seu de scientiæ diuisionibus vbi de abstractione scientiarum à materia.

SCientia propriè sumpta, de qua hîc sermo est, primò diuiditur in habitualem, & actualem. Habitualis est ille mentis habitus, quo intellectus noster ad res ipsas certò per causam cognoscendas inclinatur, vt physica habitualis, quatenus intellectum inclinat ad cognoscendum corpus naturale, & eius proprietates per causam demonstrandas. Actualis verò scientia est ipsa actio intellectus, qua rem certò per causam cognoscit, vt eadem physica si accipiatur pro actuali cognitione corporis naturalis, & affectionum eiusdem.

Secunda diuisio est in scientias theoreticas, & practicas, de qua diuisione actum est in Logicæ præludiis. Circa illam

Vna difficultas occurrit quę hoc loco prętermitti non debet: vtrum esse speculatiuum, & practicũ sint essentiales differentiæ scientiarum, an accidentariæ tantùm.

Respondeo tantùm esse accidentarias, probóque: speculatiuum & practicum desumuntur à fine, qui est causa extrinseca scientiæ, non autem interna, & essentialis: ergo esse practicum & theoreticum sunt tantùm accidentariæ differentiæ scientiarum, non autem essentiales.

Probatur antecedens, ex eo solùm sciẽtia dicitur speculatiua, quòd pro fine habeat cognitionem veritatis, practica verò quòd pro fine habeat opus: ergo à fine scientiæ repetuntur istæ differentiæ, esse speculatiuum, & practicum. Confirmatur, idem intellectus essentialiter simul est theoreticus, &

practicus ex dictis loco citato: ergo eſſe theoreticum,& practicum,non videntur eſſe eſſentiales,ſed accidentariæ tantùm differentiæ.

Tertia diuiſio eſt ſcientiæ ſpeculatiuæ in phyſicam,metaphyſicam,& mathematicas.

Probatur, tot ſunt ſcientiæ ſpeculatiuæ, quot ſunt modi quibus abſtrahunt à materia:atqui modi illi tres ſunt, primus eſt à materia ſingulari tantùm,qui conuenit phyſicæ,quatenus agit de rebus materialibus, illas in vniuerſum conſiderando, proindéque à ſingularibus abſtrahendo. Secundus à materia ſingulari,& ſenſibili, qui mathematicis tribuitur,propterea quòd obiectum ſuum, nimirum quantitatem realiter materiæ coniunctam cõtemplantur, abſtrahendo à ſingularitate materiæ, & ſingularitate ipſius quantitatis ſenſibilis. Tertius denique eſt à materia ſingulari, ſenſibili & intelligibili, qui metaphyſicæ communiter conceditur, quatenus non tantùm conſiderat obiectum ſuum abſque ſingularitate,ſed abſque quantitate ſiue cõiunctæ materiæ,quo pacto eſt ſenſibilis,ſiue ſeparatæ materiæ,qua ratione eſt intelligibilis. Vt autem appareat quid hæc variæ abſtractionis à materia ratio conferat ad colligendam ſcientiæ theoreticæ diuiſionem,in phyſicam,mathematicam,& metaphyſicam,ſit

Prima propoſitio.

QVamuis phyſica à materia ſingulari, & mathematica à materia ſingulari, & ſenſibili dicantur abſtrahere: metaphyſica tamen in rigore ſermonis,& ratione omnium de quibus agit, non dicitur abſtrahere à materia ſingulari ſenſibili

& intelligibili. Prior pars est euidens ex dictis. Posterior probatur, de Deo Metaphysica verba facit, qui maximè singularis est: ergo Metaphysica in rigore sermonis, & ratione omnium de quibus agit, non abstrahit à materia singulari.

Secunda propositio.

RECtè Metaphysica dicitur abstrahere à materia sensibili & intelligibili. Probatur, abstrahere à materia sensibili, & intelligibili, nihil aliud est, quàm non agere de materia quantitate affecta, siue in particulari, siue in vniuersum: atqui metaphysica nulla ratione agit de quantitate, sed tantum de rebus, quæ vel sunt planè immateriales, & quantitatis expertes, vel saltem communes rebus materialibus & immaterialibus, vt in metaphysica docebimus: ergo propriè loquendo metaphysica dicitur abstrahere à materia sẽsibili, & intelligibili: à singulari etiam absolutè, si per materiam singularem non intelligatur obiectũ singulare, quòd addo propter Deum, de quo tanquam de obiecto per se agit metaphysica, sed intelligatur aliquod singulare ex ipsa materia compactum: quo sensu ipsamet metaphysica de nulla materia singulari differit, sicque absolutè à materia singulari dicitur abstrahere.

Tertia propositio.

QVamuis primum & proximum principium distinctionis scientiarum non desumatur ab abstractione à materia, sed à diuersis obiectis formalibus, vt probabimus infrà, secundùm tamen triplicem abstractionem à materia supra illatam, nimirum à materia singulari tantum, à materia singulari, & sensibili simul, & materia singulari,

ſenſibili & intelligibili,poteſt colligi diuiſio ſcientiæ theoreticæ in tres ſpecies :phyſicam, cui competit prima abſtractio:mathematicas , quibus ſecunda propria eſt: & metaphyſicam , quæ ſibi tertiam abſtractionem vendicat.

Probatur , quia nulla ſcientia ſimul duplici iſta abſtractione poteſt abſtrahere à materia : vnde ſequitur, vt tot debeant eſſe ſciētiæ ſpeculatiuę, quot ſunt illæ abſtractiones à materia, nimirum tres.

Poſtrema diuiſio eſt ſcientiarum practicarum in moralem & logicam, quas ferè à carceribus ad calcem eluſtrauimus.

ARTICVLVS TERTIVS.

De acquiſitione ſcientiarum.

DVo in hoc articulo examinabimus. Primùm an reuera ſcientiæ de nouo acquirantur. Secundum quo modo acquiruntur.

Quod ad primũ ſpectat, ſatis celebrata eſt Platonis ſcientia, nullam de facto ſcientiam recenter cōparari, ſed nos tantùm eius , quam priùs habuimus recordari : atque adeo omnem noſtram ſcientiam eorum tantùm eſſe reminiſcentiam, quæ priùs cognita fuerunt, poſteà verò obliuioni ſunt tradita.

Hoc aiebat Plato , falsè perſuadens ſibi animas longè eſſe antiquiores corporibus, & priuſquam in ipſa corpora detruderentur fuiſſe omni ſcientiarum genere ornatas ; earum verò iacturam feciſſe, poſtquàm in corpora in pœnam peccati immerſa ſunt; verùm contra iſtud falſiſſimum Platonis dogma vera hæc totaque Peripatetica ac Chriſtiana ponatur.

Propositio vnica.

SCientia nostra nõ est tantùm reminiscentia eorum, quæ priùs nobis fuerunt explorata, antequam scilicet anima detruderetur in corpus, sed de nouo acquiritur.

Probatur primò, quia fides catholica docet Deũ animas nostras creando infundere, & infundendo creare, adeò vt nullo instanti ipsis corporibus præexistant.

Probatur secundò, si omnis nostrà cognitio esset tantùm recordatio & reminiscentia eorum, quæ prius fuerunt scita, sequeretur scientiam non omninò pendere à sensibus, & aliquem posse rei notitiam, & scientiam obtinere, cuius tamen nullam fuisset adeptus sensuum ministerio cognitionem: quod hinc falsum apparet, quòd cæco à natiuitate non alia de causa denegetur scientia de coloribus, quàm quia colores per sensum numquam potuit deprehendere: Igitur nulla nostra scientia est tantùm reminiscentia eorum, quæ prius nota sunt, sed verè acquiritur, aut saltem supernaturaliter infunditur.

Probatur vltimò, non est credibile veram corporis formam detrimentum pati ex vnione cùm corpore, & propria materia, quia potius vnionẽ illam, tanquam summam perfectionem naturaliter appetit: ergo cùm anima nostra sit vera corporis forma, non potest detrimentum pati ex eo quòd coniungatur cum corpore: atque adeò si ante vnionem cũ corpore scientiis omnibus exornata fuerat, illas etiam debet in corpore retinere, sicque omnes indifferenter homines debent esse omnibus scientiis æqualiter præditi, quod repugnat experientiæ.

Obiicies primò, istud sophisma Platonicum quod refert Aristoteles primi Posteriorum capite 1. quod scimus, aut prius nobis cognitum erat, aut incognitum: si cognitum: ergo frustrà eius scientiam, & cognitionem quæremus: si incognitum, adhuc nihil prodest illud quærere: quia licet occurrat non cognoscitur: Quemadmodum si aliquis seruum suum fugitiuum sibi ex facie ignotum quæreret, operam suam ludere crederetur, quia vbi illum inueniret, minimè tamen agnosceret: ergo nullam scientiam de nouo acquirimus, sed solum præteritæ recordamur.

Huic argumento respondet Aristoteles loco citato, nos quærere distinctam eius cognitionem cuius confusam prius habebamus: quod ita explicari potest. Cum nos ad rei alicuius scientiam contendimus, solemus à principiis nobis notis ad conclusionem scientificam minus notam procedere: adeo vt facta demonstratione conclusionem eiusmodi scientificam explicitè & distinctè teneamus, quę tamen confusè & virtute tantùm in principiis seu præmissis demonstrationis cognoscebatur.

Ad exemplum de seruo fugitiuo qui quæritur, respondeo illud nobis fauere: Nam si ponamus illum seruum nobis virtute saltem, & per aliqua signa esse notum, quemadmodum conclusio scientifica supponitur nota, antequam explicitè cognoscatur, nihil dubium est quin explicitè cognoscatur, si occurrat, cùm tamen prius confusè tantum notus esset: atq; adeo posse similiter rem aliquam vel conclusionem sciri, hoc est explicitè cognosci, quamuis prius tantum confusè, & virtute, nimirùm in præmissis cognosceretur.

Obiicies secundò, si aliqua scientia de nouo ac-

quirantur, vel sensuum ministerio, vel ope alicuius magistri & præceptoris: neutrum, dici potest: ergo scientiæ nulla via acquiri possunt.

Minor probatur quantum ad priorem partem, si enim sensuum ministerio ad rerum cognitionem assurgeremus, nihil nisi sensibile posset à nobis sciri: quod apertè falsum est, cum de Deo & Angelis scientiam habeamus, qui tamen sensus nostros planè effugiunt.

Probatur etiam eadem minor, quantum ad posteriorem partem: nihil sciri potest absque beneficio phantasmatum in phantasia volitantium, vt docent physici: atqui ope, & industria magistri non possumus acquirere phātasmata, sed solum externa quædam signa accipere: ergo de facto præceptoris industria nullam scientiam consequi possumus: & consequenter nullus modus assignari potest quo scientiæ inueniantur, proindeque illę nobis debent esse à natura congenitæ.

Hæc obiectio petit vt agamus de modo quo sciētiæ acquiruntur, quod nobis in posteriori huius articuli parte propositum fuit. Vt igitur illam explicemus, obiectionis propositæ minorem negamus secundùm vtramque partem, asserimusque tam sensuum ministerio, seu experientia, quàm ope magistri scientias comparari.

Communis est omnium sententia, qui hos duos inueniendarum scientiarum, & artium modos constituunt, inuentionem, & disciplinam: inuentionem per sensum, & experientiam, de qua actum est in præludiis: disciplinam verò, quando docente præceptore ex eius ore scientiam haurimus.

Ad id quod in obiectione refertur ad probationem minoris, secundùm priorem partem multa à

nobis cognosci sine sensu, vt potè Deum & Angelos, dico si non per se, saltem per accidens, & effectus in sensus incurrere, & sic illorum interuentu cognosci, & prætereà ex eo non sequi, quòd per sensus nihil cognoscatur, cùm præter Deum & Angelos multa cognoscantur materialia, quæ sub sensus cadere possunt.

Ad illud verò quod pro confirmatione eiusdem minoris secundùm posteriorem partē affertur, præceptoris opera non excitari phantasmata in imaginatione discipuli, sicque per disciplinam nullam sciētiam comparari: dico fieri posse, vt discipulus formet phantasmata, & imagines eorum quæ præceptor docet, maximè si suam mentem vt decet, perspicuis facilibúsque exemplis aperiat.

QVÆSTIO TERTIA.

De essentia scientiæ.

HÆc sciētiæ definitio petitur ex Aristotele primi Posteriorum cap. 2. *Scientia est cognitio rei per propriam & necessariam causam.*

Verùm quia scientia propriè dicta, alia est habitualis, alia actualis, vtraque propria definitione explicanda est. Habitualis ita communiter exprimitur: *scientia est habitus intellectus certus, verus, & euidens rei necessariæ per propriam causam.*

Dicitur primò *habitus intellectus*, ad distinctionem habituum voluntatis, & aliarum potentiarum.

Dicitur secundò *certus*, ad differentiam fidei humanæ, & opinionis, quæ incertæ sunt.

Additur tertiò, *verus*, ad discrimen erroris, & hæresis.

Quartò ponitur, *euidens*, vt secernatur scientia à

fide supernaturali, quæ licet sit verissima, & certissima, est tamen obscura, & ænigmatica.

Denique dicitur *rei necessariæ per propriam causam*, quâ particulâ ab intelligentia discriminatur, quæ est cognitio primorum principiorum, quorũ nulla datur causa, siue rei, siue cognitionis. Eâdem particula, scientia per demonstrationem acquisita, quæ hîc definitur, à scientia per definitionem partâ seiungitur, quæ licet sit cognitio certa, necessaria, & euidens, non tamen assignatur per causam, vt suo loco declarabitur. Actualis autem scientiæ definitio per proportionem ad habitualem dari debet. *Scientia est cognitio intellectus vera, certa, & euidens rei necessariæ per propriam causam* Per causam dico, siue in essendo, si acquiratur per demonstrationem à priori: siue in cognoscendo, si habeatur per demonstrationem à posteriori: vt diximus superiori sectione de demonstratione.

QVÆSTIO IV. ET POSTREMA.

De affectionibus scientiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

De obiecto scientiæ.

OMnes ferè scientiæ affectiones ex ipso eius obiecto sumũtur, idcirco suppositis illis quæ in Logicæ præludiis de obiecto materiali, & formali, totali, & partiali, principali, & minùs præcipuo dicta sunt, hoc tantùm loco quæremus quænam sub scientiam cadere possunt, quod quibusdam propositionibus explicabimus.

Prima propositio.

Non omnia sub scientiam cadere possunt, vt docet Aristoteles primi Posteriorum cap. 2. & leui negotio probatur.

Dantur prima principia indemonstrabilia, & omni causâ tam in essendo, quàm in cognoscendo carentia: ergo saltem illa principia sub scientiam de qua agimus, scilicet per demonstrationem, cadere non possunt, cùm talis scientia eorum sit duntaxat, quæ per causam cognosci queant.

Secunda propositio.

MVlta sunt scibilia quorũ nulla vnquam scientia comparata fuit: exemplo res ipsa constat. Si quidem quadratura circuli verè scibilis est, nullus tamen vnquam eius scientiam adeptus est: Vis item magnetis ad trahendũ ferrum, est scibilis, cùm tamen adhuc lateat. Idem de æstu, reciprocatione maris, & aliis quàm plurimis abditioribus naturæ arcanis iudicium ferri debet: ergo multa sunt scibilia, quorum nulla vnquam scientia acquisita fuit.

Tertia propositio.

ENs rationis potest esse obiectum alicuius scientiæ realis, etenim secundùm Mathematicos, Arithmetica scientia quædam realis est, quamuis obiectum eius sit ens rationis, scilicet numerus formalis, vt diximus in Categoriis agendo de Quantitate.

Obiicies, entis rationis nulla est causa necessaria, ergo de ente rationis nulla quoq; erit scientia, quę

definitur cognitio rei per veram, & necessariam causam.

Respondeo, negatione antecedentis, causa enim hæc est necessaria numeri, exempli gratia, quaternarij, quod ex quatuor vnitatibus componatur, ita vt hinc fieri possit demonstratio hunc in modum: *Quod componitur ex quatuor vnitatibus, est numerus quaternarius, collectio quæ fit per intellectum ex quatuor hominibus, componitur ex quatuor vnitatibus: ergo collectio illa est numerus quaternarius.*

Quinta propositio.

ENtia per accidens, & aggregationem, vt sic, nō cadunt sub scientiam, sicque nullius scientiæ obiectum esse possunt, docet Aristoteles sexto Metaphysicorum cap. 2. & satis apertè probatur. Id solum sub scientiam cadere potest, quod habet veras aliquas proprietates, sibi necessariò conuenientes, habetque vnam aliquam essentiam, per quam ipsæ proprietates demonstrātur: atqui entia per accidens, vt sic, non sunt eiusmodi cùm non sint vnū verum ens, sed multa simul entia, quibus proinde nulla vera essentia, nullæque veræ proprietates assignari possint: ergo, & cætera

Dixi entia per accidens, vt sic: duobus enim modis ens per accidens dici potest, vt in præludiis Metaphysicæ vberius probabitur. Primò, quatenus consideratur ratione distinctarum partium, quibus componitur, seu materialiter: & sic dicitur esse simpliciter multa, nulliusque scientiæ obiectum esse potest: tum quod non possit demonstrari, vt ostensum est, tum etiam quod vna definitione nequeat definiri, quod ad verum scientiæ obiectum requiritur: tum denique quod ratione diuersarum illarū

partium ad diſtinctas ſcientias pertineat.

Secundò poteſt accipi non præcisè, ratione partium ſuarum diſtinctarum, ſed quatenus habet aliquam vnitatem, ſeu formaliter: vt exercitus quatenus habet vnitatem ordinis, ſicque ſumptum ens per accidens, ſolum dicitur multa ſecundùm quid, & poteſtate: poteſtq; eſſe obiectum alicuius ſcientiæ, vt familia œconomicæ, & reſpublica politicæ.

Quinta propoſitio.

Singularia ſimpliciter creata nullius ſcientiæ obiectum eſſe poſſunt, docet Ariſtoteles expreſſis verbis primi Poſteriorum capite 24. vbi requirit abſolutè vniuerſalitatem in obiecto cuiuſcumque ſcientiæ ſaltem naturalis. Fauet ratio, nulla cognitio certa & neceſſaria haberi poteſt de ſingularibus: ergo nulla eſt ſcientia. Recta eſt conſequentia, omnis ſcientia debet eſſe cognitio certa, & neceſſaria. Antecedens verò patet, vt de aliquo detur cognitio certa & neceſſaria, debet illud certum eſſe & neceſſarium: atqui ſingularia ſimpliciter certa non ſunt & neceſſaria, ſed infinitis propè mutationibus obnoxia: igitur de illis nulla certa, & neceſſaria cognitio haberi poteſt.

Confirmatur, quod non poteſt demonſtrari, non poteſt ſciri. nám ſcientia per demonſtrationem acquiritur, maximè illa de qua agimus: atqui nullum ſingulare ſimpliciter creatum poteſt demonſtrari, eſt enim tantùm demonſtratio de vniuerſalibus, vtpotè neceſſariis: ergo nullum ſingulare ſimpliciter creatum ſciri poteſt.

Dixi primò in concluſione *ſingulare creatum*, nam de ente ſingulari increato nempe de Deo, ſcientiam vel ſaltem cognitionem aliquam certam, & neceſſariam haberi nihil vetat.

Ratio eſt, quia ita Deus eſt ſingularis; vt tamen omninò exuat conditionem illam, nimirum incertitudinem, propter quam ſingularia creata eximuntur à proprio ſcientiæ obiecto, induatque perfectiſſimam rationem propter quam vniuerſalia propria ſcientiarum obiecta cenſentur, videlicet immutabilitatem, & conſtantiam. Ideoque eum ſub ſcientiam cadere nihil obſtat.

Dixi ſecundo, *ſingulare ſimpliciter creatum*, hoc eſt in ſenſu ſimplici; nam de Chriſto ſcientiam dari poſſe communis eſt ſcientia Theologorum; non tantùm quatenus Deus eſt: ſed etiam quatenus homo. Ratio eſt, quia vt ipſe Chriſtus Dominus, non tantùm vt Deus, ſed vt homo Deus, ſubeſt diuinæ reuelationi, qua tenet Eccleſia ipſum in ſuo eſſe immutabiliter permanſurum, certitudinem aliquam, & immutabilitatem ſortitur, propter quam ſub ſcientiam, vel ſaltem ſub certam aliquam cognitionem cadere poteſt. Eodem modo loquimur de Incarnatione, fatentur enim illam, in particulari ſimpliciter non cadere ſub ſcientiam quia ſimpliciter poteſt non eſſe: nihilominus quatenus ſubiacet diuinæ reuelationi, habere certitudinem, & infallibilitatem, propter quam certò cognoſci queat.

Inferes, ergo ſaltem de ſingularibus perpetuis, ſeu quæ numquam deficient, vt ſunt angeli, cæli, & animæ noſtræ rationales, poterit dari ſcientia.

Reſpondeo negando hanc conſequentiam. Singularia enim illa ſaltem ab extrinſeco, corruptioni obnoxia ſunt, ſicque non ſunt ſatis certa; vt de illis cognitio habeatur certa, ſicut de Chriſto, & Incarnatione, quatenus ſubſunt diuinę reuelationi, quia ſic nec ab intrinſeco, nec ab extrinſeco aliter ſe habere poſſunt, alias falleret falleretúrque diuina reuelatio,

uelatiô, quod impoſſibile eſt.

Inſtabis, ergo ſaltem de illis omnibus ſingularibus, videlicet Angelis, animabus rationalibus, & aliis, poterit eſſe ſcientia, quatenus ſubiacent diuinę reuelationi.

Reſpondeo admittendo intentum, qua in concluſione ſingularia tantùm ſimpliciter creąta, hoc eſt in ſenſu ſimplici, remouimus ab obiecto ſcientiæ, nô autem in ſenſu compoſito, quatenus diuinę reuelationi ſubiacent, quia conſtat ipſa immutabiliter eſſe permanſura. His propoſitionibus quid non ſit obiectum ſciẽtię declaratum eſt: ex iiſdem quod ſit, facilè colligitur videlicet, ***Ens per ſe vniuerſale, aut ſaltem vniuerſalis conſtantiam obtinens, demonſtrabile, & quod habeat cauſam aliquam, vel in eſſendo, vel in cognoſcendo per quam demonſtretur, ſiue à priori, ſiue à poſteriori.***

Additur & alia conditio, vt in obiecto ſcientię aliquid habeat rationem materiæ, & aliquid rationem formæ. Quod obtinet rationẽ materiæ, materiale, quod rationem formæ, obiectum formale nuncupatur: verbi gratia, actiones voluntatis ſunt materiale obiectum Ethicæ, & dicuntur obtinere rationem materiæ, quatenus verò dirigibiles ad bonum, formale, & dicuntur ſortiri rationem formæ.

Ratio eſt, quia quemadmodum in phyſica materia eſt indifferens ad multa, & per aduentum formæ ad vnum determinatur, vt per aduentum animæ rationalis ad hominem: ſic materiale obiectum alicuius ſciẽtiæ eſt indeterminatum vt à pluribus ſcientiis pertractetur: verbi gratia, operationes volũtatis à philoſopho morali, & phyſico: per formale verò reſtringitur ad aliquam peculiarem ſcientiã, vt prędictæ actiones voluntatis ad moralem, per hanc ra-

tionem quæ vocatur obiectum formale, *quatenus dirigibilis*, ad bonum per præcepta bene viuendi, vel ad physicam per hanc aliam, quatenus sunt actiones vitales à voluntate promanantes.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De vnitate, & distinctione Scientiarum.

CVm scientiæ ab eo à quo vnitatem, ab eodem suam distinctionem sumant, quia esse vnum, est esse à quolibet alio diuisim, & distinctim, propterea simul de vnitate, & distinctione scientiarum agimus, & ad vtriusque explicationem.

Notandũ primò, aliam esse vnitatem realem, per se, & metaphysicam, aliam per accidẽs, & moralem: Hæc dicitur, quæ conuenit entibus per aggregationẽ, quatenus in vna ratione consentiunt: quemadmodum ciues dicuntur quid vnum, quia ordinem habent ad vnã ciuitatẽ constituendã, in qua iisdem legibus, & moribus viuunt: vnitas verò per se, & metaphysica illa est, quæ competit rebus vnius naturæ, & essentiæ, vt homini, leoni, & cæteris.

Notandum secundò, vel ex ante dictis repetendum triplicem rursus constitui vnitatem numericam, vt Petri, specificam, vt hominis, genericam denique, vt animalis: eodem pacto de distinctione, & vnitate philosophandum.

His positis, priusquàm ea quæ dubia sunt proponamus, hoc vnum apud omnes certissimum statuẽdum est, sciẽtiarum numericam vnitatem & distinctionem à subiecto in quo recipiuntur, nimirum ab intellectu peti, adeò vt vna dicatur numero scientia, quæ in eodem intellectu numero residet, & nu-

mero diuerſæ habeantur, quæ ſunt in intellectibus numero diſtinctis.

Duæ ſuperſunt difficultates explicādæ: Altera an ſcientiis totalibus vt potè logicæ, phyſicæ, & aliis, cōueniat vnitas per ſe & metaphyſica, an verò tantùm per accidens & moralis, ſeu clariùs; an totalis ſcientia, verbi gratia phyſica ſit vnus ſimplex mẽtis habitus, an verò aggregatus ex multis partialibus habitibus.

Altera difficultas eſt, vnde ipſarum ſcientiarum vnitas, ſiue ſpecifica, ſiue generica, ſiue per ſe, ſiue per accidens deſumatur.

Quod ſpectat ad primam difficultatem,

Prima ſententia eſt, ſcientiam totalem nihil aliud eſſe, quàm complexionem, & aggeriem multarum ſpecierum intelligibilium, quarum interuentu poteſt intellectus multis concluſionibus aſſenſum præbere.

Secunda ſententia eſt, totalem ſcientiam eſſe vnum ſimplicem habitum, quo omnibus illius ſcientiæ concluſionibus aſſentimur, & non eſſe ex multis partialibus compoſitum: hæc ſententia diuo Thomæ, & multis ex eius ſchola cōmuniter adſcribitur.

Tertia & omnium probatiſſima ſententia his propoſitionibus continetur, quibus duæ ſuperiores ſententiæ refelluntur, & ipſa quoque tertia explicatur.

Prima propoſitio.

SCientia totalis non eſt complexio, & congeries multarum ſpecierum intelligibilium ab intellectu agente fabricatarū, ad repræſentationem obiectorum: Propoſitio eſt diui Thomæ prima ſecundæ

quæstione 54. articulo 4. Caietani & Medinæ ibidem contra primam sententiam.

Probatur, omnis habitus intellectus se tenet ex parte ipsius intellectus, estque vis aliqua, & facilitas quę adiungitur ad meliùs faciliusque operandum: At species intelligibiles non se tenēt ex parte intellectus, sed ex parte obiectorũ, vt eorum absentiam suppleant ex omnibus Philosophis, vt etiam trademus in physica, igitur quiuis habitus intellectus, ac consequenter habitualis scientia debet distingui à speciebus intelligibilibus, ergo, cùm totalis sciētia sit habitus aliquis intellectus, malè dicetur cōplexio specierum intelligibilium.

Secundò, species intelligibiles antecedunt scientiam, non modo totalē, sed etiam partialem: igitur sciētia totalis non est cōfundēda cũ speciebus intelligibilibus, sed ab illarum congerie distinguenda.

Probatur antecedens, sciētia, siue totalis, siue partialis, producitur per actus intellectus scientificos, quibus consequēter posterior est: ergo cùm species intelligibiles antecedant actus ipsos intellectus, ex communi omnium consensu debent etiam necessariò antecedere omnem scientiam, siue totalem, siue partialem: iuxta illud axioma, *quod est prius priori, est prius posteriori.*

Secunda propositio.

SCientia totalis non est vnus simplex habitus, sed ex pluribus partialibus collectus.

Hęc propositio est contra secundam sententiam, & docetur à Scoto, & eius discipulis: à nobis verò probatur. Habitus distincti constituendi sunt, vbi occurrunt diuersæ difficultates ad agendũ, quia, vt

iam dictum est, ad superandas difficultates habitus tantùm conceduntur: Atqui in qualibet sciẽtia totali, verbi gratia, in physica, multæ distinctæ reperiuntur ad agendũ difficultates: ergo in totali scientia, vt potè physica, multi, iique distincti habitus constituendi sunt: ergo scientia totalis non potest esse vnus simplex habitus, sed debet esse ex pluribus partialibus aggregatus.

Hæc posterior consequentia vera est, minor verò propositi syllogismi probatur. Multi optimè possũt quædam eorum quæ continẽtur in ambitu physicæ tenere, & iis assentiri, vt potè principiis, causisque rerũ naturaliũ; alia verò ignorare quæ sunt in totali eiusdem scientiæ obiecto comprehensa, vt quantitatem, tempus, motum, placita de cœlo, de anima &c. ergo in scientia totali, verbi gratia, in physica multę eæquè distinctę occurrunt ad agendum difficultates.

Confirmatur ratione penè simili, sed ab absurdo ducta: si totalis scientia, verbi gratia, physica, esset vnus simplex habitus, per quem intellectus inclinaretur ad assentiendum omnibus ipsius physicæ cõclusionibus, nulla ratione aliquis diceretur habere habitum scientiæ, nisi omnes ipsius cõclusiones teneret, & haberet facilitatẽ illis assentiendi, sed hoc dici non potest, ergo ille qui facilè & prõptè potest quibusdam physicæ conclusionibus assentiri, debet sine dubio acquisiuisse physicæ habitũ, qui quidem illi talẽ facilitatem contulerit. Igitur scientia totalis, verbi gratia, physica, non est vnus simplex habitus, sed tantùm per aggregationem multorum partialium habituum.

Obiicies, si scientia totalis non sit vnus simplex habitus, sed tantùm per aggregationem, scientia to-

quæstione 54. articulo 4. Caietani & Medinæ ibidem contra primam sententiam.

Probatur, omnis habitus intellectus se tenet ex parte ipsius intellectus, estque vis aliqua, & facilitas quę adiungitur ad meliùs faciliusque operandum: At species intelligibiles non se tenet ex parte intellectus, sed ex parte obiectorũ, vt eorum absentiam suppleant ex omnibus Philosophis, vt etiam trademus in physica, igitur quiuis habitus intellectus, ac consequenter habitualis scientia debet distingui à speciebus intelligibilibus, ergo, cùm totalis sciẽtia sit habitus aliquis intellectus, malè dicetur cõplexio specierum intelligibilium.

Secundò, species intelligibiles antecedunt scientiam, non modo totalẽ, sed etiam partialem: igitur sciẽtia totalis non est cõfundẽda cũ speciebus intelligibilibus, sed ab illarum congerie distinguenda.

Probatur antecedens, sciẽtia, siue totalis, siue partialis, producitur per actus intellectus scientificos, quibus consequẽter posterior est: ergo cùm species intelligibiles antecedant actus ipsos intellectus, ex communi omnium consensu debent etiam necessariò antecedere omnem scientiam, siue totalem, siue partialem: iuxta illud axioma, *quod est prius priori, est prius posteriori.*

Secunda propositio.

Scientia totalis non est vnus simplex habitus, sed ex pluribus partialibus collectus.

Hęc propositio est contra secundam sententiam, & docetur à Scoto, & eius discipulis: à nobis verò probatur. Habitus distincti constituendi sunt, vbi occurrunt diuersæ difficultates ad agendũ, quia, vt

iam dictum est, ad superandas difficultates habitus tantùm conceduntur: Atqui in qualibet sciẽtia totali, verbi gratia, in physica, multæ distinctæ reperiuntur ad agendũ difficultates: ergo in totali scientia, vt potè physica, multi, iique distincti habitus constituendi sunt: ergo scientia totalis non potest esse vnus simplex habitus, sed debet esse ex pluribus partialibus aggregatus.

Hæc posterior consequentia vera est, minor verò propositi syllogismi probatur. multi optimè possũt quædam eorum quæ continẽtur in ambitu physicę tenere, & iis assentiri, vt potè principiis, causisque rerũ naturaliũ; alia verò ignorare quæ sunt in totali eiusdem scientiæ obiecto comprehensa, vt quantitatem, tempus, motum, placita de cœlo, de anima &c. ergo in scientia totali, verbi gratia, in physica multę eæquè distinctę occurrunt ad agendum difficultates.

Confirmatur ratione penè simili, sed ab absurdo ducta: si totalis scientia, verbi gratia, physica, esset vnus simplex habitus, per quem intellectus inclinaretur ad assentiendum omnibus ipsius physicæ cõclusionibus, nulla ratione aliquis diceretur habere habitum scientiæ, nisi omnes ipsius cõclusiones teneret, & haberet facilitatẽ illis assentiendi, sed hoc dici non potest, ergo ille qui facilè & prõptè potest quibusdam physicæ conclusionibus assentiri, debet sine dubio acquisiusse physicæ habitũ, qui quidem illi talẽ facilitatem contulerit. Igitur scientia totalis, verbi gratia, physica, non est vnus simplex habitus, sed tantùm per aggregationem multorum partialium habituum.

Obiicies, si scientia totalis non sit vnus simplex habitus, sed tantùm per aggregationem, scientia to-

talis non erit vera species qualitatis, quæ vnum ens per se esse debet, quod tamen absurdum est.

Respondeo talem cōsequutionem videri veram, nec absurdum quod inde sequeretur apparere.

Si instes scientiam totalem esse verā habitus speciem, proindeque veram speciem qualitatis. Respondeo, scientiam totalem esse quidem verum intellectus habitum per aggregationem multorum partialium: non autem veram speciem, sed omnes peculiares habitus quibus conflatur, esse veras illius species.

Si vltra vrgeas, ergo in vnica scientia totali, vtpote physica, multæ erunt scientiæ: ergo non dabitur vna physica, sed multiplex. Occurres, in eadem sciētia totali, vt in physica, multas dari sciētias partiales, non tamē dici multas physicas propter coordinationem quam omnes partiales physicę habitus habent ad vnam physicam constituendam: Sicut licet singuli ciues sint partes ciuitatis, propterea tamen non dicitur multiplex ciuitas, sed simpliciter vna ratione scilicet coordinationis, quam habent omnes ciues ad eandem ciuitatem constituendam.

Iterum obiicies, vnica fides, eaque simplicissima, sufficit ad assentiendum multis conclusionibus de fide: ergo & vnicus sciētiæ habitus simplex sufficiet vt inclinet intellectum ad præbendum assensum multis conclusionibus scientificis.

Neganda est consequentia, ob insignem disparitatem quæ cernitur inter habitum fidei supernaturalis infusę (de qua in obiectione agi debet,) & habitus scientiæ acquisitos, ille enim habet semper idē medium, candemque rationem assentiendi omnibus conclusionibus de fide, nimirùm diuinā reuelatio-

nem: quò fit vt vnicus ſufficiat ad aſſentiendũ hiſce omnibus concluſionibus de fide: habitus verò ſciẽtifici totales multa ac diuerſa media ſortiũtur, nam phyſica, verbi gratia, vt aſſentiatur huic concluſioni, cœlum eſt mobile, aſſumit corpus naturale pro medio, vt probet hominem eſſe riſibilem recurrit ad animal rationale tanquam ad medium, idemque obſeruat in aliis omnibus ſuis concluſionibus: vnde eſt quòd vnicus non ſufficiat, vt per illum intellectus aſſentiatur omnibus concluſionibus quæ in ipſa phyſica continentur.

Tertia propoſitio.

Adiungitur ad explicandum modum, quo omnes partiales habitus concurrunt ad conſtitutionem vnius totalis, ſcilicet per ordinem ad vnam rationem formalem obiecti: adeò vt vnica dicatur ſcientia totalis, quæ cõflatur ex illis omnibus habitibus, qui tendunt in idem obiectum, ſub eadem ratione formali cõſideratum: verbi gratia, phyſica ſit vna ſcientia totalis, quæ componitur ex illis omnibus habitibus partialibus, qui ordinãtur ad cognitionem corporis naturalis, quatenus naturale eſt, ſiue eius demonſtrando principia, & cauſas, ſiue demonſtrando partes, & proprietates.

Idem de alis ſcientiis meritò dici poteſt.

Alij aliter explicant modum, quo totalis ſcientiæ habitus ex multis partialibus cõponitur: quatenus ſcilicet illi conueniunt in eadẽ abſtractione à materia: vt phyſica ſit vnica ſcientia totalis, conflata ex multis partialibus habitibus, quia habet vnam ſemper eandemque abſtractionem à materia ſingulari, quòd de aliis ſcientiis dici volunt.

Hic tamen grauiter aberrant, nam ſi ſcientia to-

talis diceretur conflari ex illis omnibus partialibus habitibus, qui eadem abſtractione à materia conueniunt, phyſica & medicina eſſent vna eademque ſcientia totalis, quia vnicum habent abſtractionis modum, nimirum à materia ſingulari. Item omnes mathematicæ diſciplinæ in vnam ſcientiam coaleſcerent, quoniam illis omnibus vna & eadem tribuitur abſtractio à materia ſingulari, & ſenſibili, quæ tamen omnia abſurda ſunt.

Quæres an in eadem ſcientia totali tot ſint habitus partiales diſtincti, quot ſunt concluſiones.

Reſpondeo negatiuè, proboque, nunquam multiplicatur habitus, niſi propter difficultates, quę occurrunt in operando; atqui ad aſſentiendum multis concluſionibus, non occurrit multiplex difficultas, maximè cùm vna ex alia deducitur, verbi gratia, ſi quis nouerit hanc concluſionem: *Omnis homo eſt riſibilis*, facilè, & abſque aliquo notabili negotio, quod peculiarem habitum poſtulet, iſtam aliã percipiet: *Omnis homo eſt admirationis capax*, *omnis homo eſt rationalis*; & ſi quæ ſint eiuſmodi ex illa prima conſequentes: ergo in eadem ſcientia totali non ſunt tot habitus partiales, quot concluſiones.

Occurrit Suarez ſecũdo tomo Metaphyſicę diſputatione quadrageſima quarta, ſectione vndecima, numero quadrageſimo ſexto, ſingulas concluſiones diuerſas diuerſis modis cognoſci, & per diuerſas complexiones terminorũ etiam ſi vna ex alia conſequatur, verbi gratia aliter connectendos eſſe terminos, vt hæc inferatur cõcluſio *homo eſt rationalis*, quàm vt iſta percipiatur, *homo eſt riſibilis, ergo eſt rationalis*, ideoque in aſſenſibus harum concluſionum diuerſas eſse difficultates, & conſequenter diuerſos habitus.

Respondeo harum conclusionum, quarum vna consequitur ex alia, licet sit diuersa complexio terminorum, vnam tamen facili negotio ex alterius notitia cognosci, nec ex illa diuersa cõnexione terminorum diuersam exurgere difficultatem assentiendi illis conclusionibus diuerse connexis: vt propterea distincti habitus requirãtur, sed vnum sufficere, quo instructus intellectus possit vnâ perceptâ conclusione alteri assensum præbere: verbi gratia hâc perceptâ conclusione, *cælum est corpus mobile*: huic alteri assentiri, *cælum est corpus naturale*.

Quod autem attinet ad posteriorem difficultatem vnde oriatur vnitas, & distinctio specifica, genericaque scientiarum, ostensum quidem est propositione tertia vnam specie scientiam esse, quæ conflatur ex partialibus habitibus, circa idem obiectum, sub eadem ratione formali cõsideratum occupatis: consequenter dicendum est distinctionem specificam petendam esse ex illo obiecto formali specie diuerso, ita vt scientiæ totales dicãtur specie distinctæ, quæ habent obiecta formalia specie distincta, vt physica, metaphysica, & aliæ. Vnde verò oriatur generica vnitas, & distinctio sciẽtiarum totalium, sequentibus propositionibus superioribus additis breuiter est aperiendum.

Quarta propositio.

SCientiarum totalium vnitas generica pendet ab vnitate generica obiecti formalis, & consequenter à diuersitate specifica eorumdem obiectorum formalium. Probatur, ab eo pendet vnitas generica scientiarum totalium à quo accipiunt vt sint vnius generis, & non tantùm vnius speciei infimæ; atqui ab vnitate generica obiecti formalis, & consequen-

ter à diuersitate specifica eorumdem obiectorum formalium scientię totales accipiũt quod sint vnius generis, & nõ tantùm vnius speciei infimæ, vt Physica, & Metaphysica, eò quòd obiectum formale illius sit hæc ratio considerandi corpus naturale, nimirum *quatenus naturale* huius verò, *ens, vt ens:* duo autem illa obiecta formalia tantum conueniant in generica ratione obiecti formalis: igitur, &c.

Quinta propositio.

GEnerica scientiarum distinctio inter se nulla est. Hanc propositionem licèt expressè nullibi inuenerim, doctissimorum tamen Philosophorum iudicio, principiis maximè consentaneam, etenim omnes scientiæ totales sunt tantùm diuersę speciei, quia sunt diuersæ tantum species infimæ, non autem diuersa genera.

Confirmatur, fieri non potest diuisio scientię vniuersim sumptæ, in genus scientiarum, sed illa fit proximè in species infimas, ergo &c.

Sed, inquies, scientia in genere diuiditur primò in speculatiuam & practicam: deinde speculatiua tanquam genus, in physicam, metaphysicam & mathematicam. Practica item tanquam alterum genus, in logicam & moralem; igitur possunt dari diuersæ genere scientiæ.

Respondeo negando consequentiam, hæ enim diuisiones scientię in communi non fiunt per differentias essentiales, sed tantum accidentarias, nimirum esse speculatiuum & practicum, vt supra docuimus. Instabis, hanc sciẽtiarum totalium specificam distinctionem assignatam ex diuersitate obiectorũ formalium, esse illis extrinsecam, quippe quæ ex aliquo ipsis extrinseco, nimirum obiecto desumitur,

ergo non magis posse inter se specie distingui, per diuersa obiecta formalia, quàm genere per speculatiuum, & practicum.

Respondeo ad antecedens, distinctionem specificam scientiarum totalium, non simpliciter peti à diuersitate specifica obiectorum formalium, sed ab ordine essentiali diuerso quem habent ad eiusmodi obiecta, proindeque hanc distinctioné essentialé dici posse: At verò scientias, vt scientiæ sunt, non habere ordinem essentialem ad obiectum, prout speculatiuè, vel practicè consideratur, sed solùm accidentalem, quia ipsis scientiis per accidens est quòd tale obiectum sit speculationis, vel praxis: atque adeò hanc differentiam genericam, quæ posset cogitari interuenire inter scientias ratione speculationis, & praxis semper esse accidentariam.

ARTICVLVS TERTIVS.

De subalternatione Scientiarum.

SVbalternatio perindè ac in aliis rebus, sic in ipsis scientiis est certus quidam ordo, & dispositio nferioris scientiæ sub superiori. Superior *subalternans* dicitur, inferior *subalternata* siue subiecta.

Porrò ex triplici capite, illa scientiarum subordinatio, & subalternatio, oritur: primũ ex parte principiorum, quando scilicet scientia superior seu subalternans, subministrat subalternatæ principia; siue tantùm communissima, quo pacto omnes penitùs scientiæ peculiariter subalternantur Metaphysicæ, quia ab ea accipiunt generalissima principia: siue subministret propria, & peculiaria, quo pacto Medicina subalternatur Physicæ, quia ab illa sumit

propria sua & accommodata principia, quæ in ipsa physica fuerant conclusiones.

Secundo, oritur scientiarum, & artium subordinatio à fine, cùm scilicet vnius finis refertur ad finem alterius, quomodo ars frænefactoria subordinatur equestri, hæc militari, & militaris ciuili, ex Aristotele primi ethicorum cap. 1.

Tertiò, oritur subalternatio ex parte obiectorũ, cùm scilicet obiectũ vnius scientiæ, continetur sub obiecto alterius, qua ratione Musica subalternatur Arithmeticæ, quia illius obiectum, nimirùm *numerus sonorus*, continetur sub numero absolutè sumpto, qui est obiectum Arithmeticæ. Duobus autem modis contingit obiectum alicuius scientiæ contineri sub obiecto alterius.

Primò enim potest contineri tanquã species sub genere, per additionem differentię, vel modi cuiusdam essentialis: quo sensu homo ponitur sub animali, & animal sub viuente: & hac ratione scientia de homine potest dici subalternata scientiæ de animali, & hæc scientia, de viuente.

Secundo modo obiectum vnius scientiæ potest esse sub obiecto alterius per additionem alicuius modi accidẽtalis: Sic numerus sonorus, qui est obiectum Musicæ, continetur sub numero absolutè sumpto, qui Arithmeticæ obiectum est, scilicet per additionem huius accidentariæ rationis, esse sonorum.

Idem de linea visuali, quæ est obiectum opticæ, dici debet respectu lineæ absolutè sumptæ, quæ Geometriæ obiectum est: & hoc modo oritur propriè scientiarum subalternatio.

Et his omnibus facilè deprehenditur quæ sint scientiæ subalternantes: nam imprimis dictum est

omnes ſcientias ſubalternari metaphyſicæ, ratione principiorum: in quantum omnibus illis ſcientiis generalia ſua principia Methaphyſica ſubminiſtrat.

Addo & ratione obiecti, quia omnia illarum ſciẽtiarum obiecta entia ſũt: & ideo ſub ente, quod eſt obiectum Metaphyſicæ comprehenſa: eodem iure & adhuc potiori, Muſica Arithmeticæ, Optica Geometriæ, Medicina Phyſicæ ſubalternantur. Nam Arithmeticæ obiectum eſt numerus ſecundum ſe ſumpt⁹, ſub quo cõtinetur ſonorus numerus, qui eſt obiectum Phyſicæ. Item obiectum Geometrię eſt linea in vniuerſum, ſub ipſa, linea viſualis, quę eſt Opticę obiectum, comprehenditur: rurſus Phyſicæ obiectum ſtatuitur naturale corpus, ſub quo ſanabile, quod obiicitur Medicinæ, continetur.

Addo & alio titulo Medicinam ſubalternari Phyſicæ, nimirũ ratione principiorũ, quia Medecinæ principia ex Phyſica deſumuntur, vt dictum eſt.

Denique Logica & moralis Philoſophia non immeritò Phyſicæ ſubalternari dicũtur ratione obiecti; cum obiectum Phyſicę comprehendat operationes intellectus, & voluntatis abſolutè ſumptas, ſub quibus continentur actiones intellectus dirigibiles ad verum, & actiones voluntatis ad bonum dirigibiles, quarum illæ ad Logicam, hæ verò ad Moralem ſpectant.

Difficultas eſt vtrum ipſæ ſcientiæ ſubalternatæ ſint verè & propriè dictę. Alii affirmant, alii negãt, ad contentionem illam ſedandam.

Notandum primò ſcientias ſubalternatas bifariam ſpectari poſſe, primò quatenus coniunguntur cum ſubalternantibus.

Secundò, quatenus ab ipſis Secernuntur: verbi gratia, Medicinam conſiderari poſſe, vel quatenus

coniungitur cum Physica, quando nimirum Medicus simul Physicus est, vel quatenus ab ipsa separatur, quando scilicet contingit Medicum Physicam ignorare.

Notandum secundò scientiam subalternam à subalternante ita posse separari, vt tamen conclusiones huius, quæ subalternatæ sunt principia teneantur per experientiã, & à posteriori, verbi gratia Medicinam ita posse separari à Physica, cui subalternatur, vt tamen ipsius Physicæ conclusiones, verbi gratia, *corpus conflatum ex quatuor elementis est corruptibile*, in ipsa Medicina innotescant, per experientiam & effectus. Hinc sit.

Prima propositio.

SI scientia subalternata ita separetur à subalternante, vt subalternata neque habeat euidentiam & suorum principiorum certitudinem per demonstretionem factam à scientia subalternãte, cum qua coniungitur, neque per experientiam, & effectus, reuera scientia subalternata non erit scientia, sed opinio tantum, vel fides humana, & hanc conclusionem intentam solum fuisse à prima sentẽtia quæ negat scientias subalternatas esse propriè scientias, probabile est, nosque eam facilè confirmamus: Scientia subalternata non tenet suas conclusiones nisi certitudine quadam morali, & in testificante quando suorũ principiorum non habet euidentiam & certitudinem, vel per demonstrationem factã à scientia superiori, & subalternante, cum qua coniungitur, vel per experientiam, & effectus, ergo nõ est scientia propriè dicta, quæ debet habere suas conclusiones omninò certas, & indubitatas, sed tantum opinio, vel fides humana.

Probatur antecedens, numquam conclusiones ex principiis deductæ sunt certiores&euidentiores ipsis principiis, sed principia subalternatæ scientiæ non sunt certa, nisi certitudine morali, & in testificante, quando ipsa scientia subalternata non habet illorum euidentiam, & certitudinem, vel per demonstrationem in subalternante factam, vel per experientiam & effectus, quoniam non aliter tenet illa esse certa, nisi quatenus sibi probabiliter persuadet ipsa fuisse in superiori scientia demonstrata, vel ei fidem adhibet qui sibi id factum fuisse affirmat, igitur scientia subalternata non aliter tenet suas conclusiones certas, nisi certitudine quadam morali, & in testificante, quãdo suorum principiorum certitudinem, & euidentiam non habet, siue per demonstrationem factam in scientia subalternante, cum qua coniungitur, siue per experientiam, & effectus.

Secunda propositio.

Scientia subalternata est vera & propriè dicta, si vel coniungatur cum subalternante: verbi gratia, Medicina cum Physica; vel habeat explorata sua principia per experientiam.

Probatur, vtroque enim modo habebit sua principia certissima, ideoque facilè poterit per veras demonstrationes conclusiones certissimas, & scientificas ex illis deducere: atque hoc tantùm intendisse posteriorem sententiam valde probabile est, sicque vtramque componere facillimum erit.

ARTICVLVS QVARTVS.

De comparatione ſcientiarum inter ſe.

SCientiæ comparari poſſunt inter ſe multis modis primò, ſecundum ordinem dignitatis, quænam alteri ſit præferenda. Secundò, ordine temporis, quænam ſecundùm tempus præceſſerit. Tertiò, ordine naturæ, quæ ſecundùm illum prior sit, & quæ poſterior.

Poſtremò, ratione methodi, qua debet explicari, quænam priùs doceri debeat. Hæc omnia breuiter exponemus ſequentibus propoſitionibus.

Prima propoſitio.

SCientiæ ſpeculatiuæ, generatim loquendo; ſunt digniores practicis.

Primò, quia id Ariſtoteles docet primi Metaphyſicæ capite ſecundo, & alibi ſæpius, cum aſſerit contemplationem nobiliorem eſſe praxi.

Secũdò, quia inter ſcientias ſpeculatiuas ponitur Metaphyſica, quę omnium ſciẽtiarum naturalium apex eſt & regina. Denique quia ſcientię ſpeculatiuæ nos per ſe in rerum notitiam promouent, in illaque conquieſcunt: practicæ verò per ſe rerum cognitionem non intendunt, ſed ſolum tradunt operandi modum.

Secunda propoſitio.

MEtaphyſica eſt omnium ſcientiarum naturalium ordine dignitatis prima.

Probatur, ſcientia omnium nobiliſſima eſt, quæ de rebus præſtantiſſimis diſſerit: at talis eſt Metaphyſica, quippe quæ de Deo, & eius attributis ipſiſque

que intelligentiis sermonem instituit, quod nulli aliarum scientiarum naturalium concessum est: ergo, &c.

Tertia propositio.

POst Metaphysicam primus dignitatis gradus Physicæ debetur: postremus Mathematicæ, inter scientias speculatiuas.

Eadem ratio est huius conclusionis ac superioris. Scientiæ nobiliores censentur pro nobiliori obiecto quod sortiuntur: atqui Physicę obiectum, nempe corpus naturale, nobilius est obiecto Mathematicæ, scilicet quantitate: ergo, &c.

Dubitabis de Mathematicis & scientiis practicis, nempe Logica, & Morali, quænam aliis præstant: hoc dubium vt soluatur, adiungatur.

Quarta propositio.

MAthematicæ ordine dignitatis secundùm quid, & aliquorum effectuum respectu sunt Logicâ, & Morali priores, scilicet ratione dignioris actionis, putà speculationis.

Alio verò respectu & certè potiori, posteriores, nempe ratione ignobilioris obiecti, quia nimirum obiectum Mathematicæ est quantitas longè ignobilior intellectu & voluntate, quorum illa Logicæ, hæc Moralis Philosophiæ obiectum est.

Quinta propositio.

ORdine naturæ scientiæ speculatiuæ in statu imperfecto sunt priores practicis, non tamen in statu perfecto.

Probatur: Illud est prius ordine naturæ quod prę-supponitur: Atqui scientiæ speculatiuæ in statu imperfecto practicis præsupponuntur, quia absolutè

obiectum suum cognoscunt: practicæ verò relatiuè & in ordine ad opus, cognitio autem relatiua absolutam præsupponit: in statu verò perfecto nulla habetur scientia speculatiua absque Logica quæ practica est, vt in præludiis huius scientiæ probatum est: Igitur, &c.

Sexta propositio.

ORdine temporis scientias speculatiuas antecedunt practicæ. Primò, quia id docet Aristoteles expressè primo Metaphysicæ, cùm vult prius inuentas fuisse scientias illas, & artes, quæ ad vitæ commodum, & vtilitatem conferebant, nempe practicas. Deinde verò in aliis, nempe speculatiuis acquirendis diligentem operam fuisse positam.

Secundò, quia saltem in statu perfecto, nulla scientia absque Logica obtineri potest, quo fit, vt saltem aliqua scientia practica dicatur temporis ordine prior speculatiuis.

Postrema propositio.

ORdine doctrinæ practicæ scientię primum locum obtinent: sequuntur mathematicæ, tum physica, postremũ sibi locum vẽdicat metaphysica.

Prima pars est euidens: Logica quæ est practica, ante omnes alias scientias tractanda est, cùm illis comparandis omnino sit necessaria: ergo saltem scientia aliqua practica dici potest ordine doctrinæ prior speculatiuis.

Aliæ verò partes huius propositionis, nimirum ordine doctrinæ de quo agimus mathematicas consequi scientias practicas, deindè physicam, postremò metaphysicam patet.

Nã cùm obiectũ mathematicæ, videlicet quan-

titas propius accedat ad sensus, quàm obiectum physicæ, vel metaphysicæ, citius cognoscitur, ideoque prius doceri debet: & pariter cum obiectũ metaphysicæ, scilicet ens abstractum ab omni materia, & accidente sensibili, magis à sensibus distet, quàm obiectum physicæ, nempe corpus naturale, certè physica addiscitur, & traditur ante metaphysicam.

ARTICVLVS QVINTVS.

De comparatione scientiæ cum opinione.

NOtandum primò opinionem, & scientiam in eo maximè discrepare, quòd opinio non tollat omnem errandi formidinem, sed probabilibus tantùm nitatur coniecturis, qualis est illa opinio, quam quis habet de amicitia inter duo contracta, eo quòd frequenter se mutuò alloquantur. Scientia verò omnem debeat formidinem expellere, cùm sit certissima, & euidentissima.

Notandum secundò formidinem in aliqua cognitione duobus modis contingere.

Primò, ex parte obiecti, quando scilicet obiectum est tantum probabile, & vt contingens apprehenditur.

Secundò, ex parte subiecti, quando obiectum quidem est in se necessarium, & medium necessarium, illa tamen obiecti, & medij necessitas non aduertitur à cognoscente, qui propterea semper dubitat an rem benè apprehenderit: ex vtraque formidine nascitur opinio, cùm scilicet rem tantùm probabilem per medium probabile cognoscimus, & cùm necessariam, ac per medium necessarium, non tamen pro tali iudicatum apprehendimus.

Notandum tertiò, scientiam, & opinionem bifa-

riam considerari posse, vel quatenus sunt actus, vel quatenus sunt habitus?

Quid sit scientia actualis, & quid habitualis, supra expositum fuit.

Opinio habitualis est habitus aliquis inclinãs nostrum intellectum ad eliciendum iudicium aliquod probabile, de re aliqua proposita, per medium probabile, siue reipsa, siue tantùm in apprehensione.

Actualis verò opinio est ipsum actuale iudicium probabile, per medium probabile de re proposita. His ita notatis.

Quæstio est, vtrum in eodem intellectu simul scientia & opinio esse possunt; quia verò in ea multa sunt certissima, illa priùs breuiter perstringemus

Primùm est habitum opinionis, & scientiæ circa diuersa obiecta in eodem intellectu esse posse: nam fieri potest vt aliquis habeat habitum scientificum physicæ, verbi gratia, multa tamen probabiliter teneat de moralibus.

Idem de actu scientiæ & opinionis, pari ratione dici potest.

Rursus certum est diuersis tẽporibus de eadem re, per idẽ mediũ posse dari actus sciẽtiæ & opinionis.

Probatur, fieri potest, vt res quæ priùs fuerat per medium necessariũ, atque adeo scientificè cognita, alio tamen tempore iudicetur tãtùm probabilis, & medium quod prius iudicabatur necessarium, postea duntaxat probabile videatur, ergo & cætera.

Nunc quæ maiorem præ se ferunt difficultatem aliquot propositionibus explicemus.

Prima propositio.

IMpossibile est vt eodem tempore, de eodem obiecto, per idem medium dentur scientia, & opi-

no, siue quoad actum, siue quoad habitum.

Probatur: impossibile est vt eodem tempore idem sit in intellectu ratio cognoscendi certò, & sine erroris formidine, & non cognoscendi certò, sed cum erroris formidine: ergo per idem medium, eodem tẽpore nequit intellectus inclinari ad rem cognoscendam certò, & scientificè, & cum aliqua erroris formidine, seu opinatiuè tantùm, nec consequenter simul habere actum cognitionis certum, id est, scientificum, & formidolosum, seu opinatiuum, ergo, &c.

Secunda propositio.

FIeri potest vt in eodem intellectu, respectu eiusdem rei, & eodem tempore sint actus scientiæ, & opinionis, per diuersa media.

Probatur: aliquando experimur nobis duo media simul occurrere, quibus ducamur in cognitionem alicuius rei: quorum vnum apparet certissimum, & scitur, alterum verò videtur tantùm probabile, & sola opinione tenetur: ergo, &c.

Tertia propositio.

FIeri potest vt in eodem intellectu, respectu eiusdem obiecti, eodem tempore, per diuersa media detur habitus scientiæ cum actu opinionis, vel vice versa, habitus opinionis cum actu scientiæ.

Probatur, in eodem intellectu, respectu eiusdem obiecti, & eodem tempore, possunt dari simul habitus scientiæ, & opinionis per diuersa media, quia hoc non magis repugnat in habitibus, quam in actibus: ergo vno habitu non operante, poterit alter operari, quia vnus non cogitur agere, ex eo quòd alter operetur: ergo dabitur habitus vn⁹, verbi gra-

tia scientiæ, cum actu alterius, puta opinionis, vel è contra habitus opinionis cum actu scientiæ.

ARTICVLVS SEXTVS. ET POSTREMVS.

De comparatione Scientiarum cum fide.

Fides habet aliquid per quod cum scientia & opinione conueniat, quòd scilicet sit cognitio intellectus, habet tamen aliquid quo ab illis maximè distinguatur.

Nam scientia, & opinio innituntur rationibus, illa necessariis & analyticis, hæc probabilibus, & topicis: fides verò solùm nititur authoritate dicentis.

Porro fides duplex, altera diuina, & supernaturalis, qua arcana & fidei nostræ mysteria tenemus, illisque assentimur propter reuelationem nobis à Deo, vel immediatè per se, vel mediatè per Ecclesiam factam: Altera humana, & naturalis, qua assentimur illis quæ à nobis renuntiantur, aut ob testimonium hominis renuntiantis.

Rursus fides bifariam accipitur, vel actualiter, vel habitualiter: vt de scientia, & opinione dictum est. Iam quæstio est quomodò scientia possit cum fide consistere, sit

Prima propositio.

Circa diuersa obiecta, in eodem intellectu siue eodem, siue diuerso tempore habitus actusque scientiæ, & fidei esse possunt. Siquidem aliquid per scientiam, aliud verò per fidem teneri potest, eodem, vel diuerso tempore.

Secunda propositio.

PEr idem medium, de eadem re scientia & fides neque habitualiter, neque actualiter sumptæ in eodem intellectu esse possunt: quia semper fidei medium est dicentis reuelatio seu authoritas, quæ non omninò semper certa est: scientię verò euidens ratio necessaria & demonstratiua esse debet, quæ quidem media diuersa sunt.

Tertia propositio.

HAbitus, & actus fidei simul esse possunt cum habitu, & actu scientiæ in eodem intellectu, de eadem re, per diuersa media.

Probatur, fieri potest vt inclinetur intellectus ad assentiendum alicui conclusioni, propter rationem aliquam demonstratiuam, & propter diuinam authoritatem, quæ nec falli, nec fallere potest, verbi gratia, inclinetur ad assentiendum, imò de facto assentiatur huic cōclusioni, Deus est vnus tantùm, & propter hanc rationem demonstratiuam, *Primus motor est vnus tantùm, Deus est primus motor, ergo Deus est vnus tantùm*; & præterea propter authoritatem Dei qui nobis idipsum reuelauit: ergo, &c.

Postrema propositio.

HAbitus scientiæ potest manere in eodem intellectu, eodem tempore cum actu fidei, siue humanæ, siue diuinæ, & è contra habitus fidei cum actu scientiæ: quia vno non operante habitu scientiæ, verbi gratia, potest alter habitus, nimirum fidei, operari, & suum actum elicere, verbi gratia cùm per scientiam non cognoscimus Deum esse vnum, adhibendo demonstrationem superius pro-

coniungitur cum Physica, quando nimirum Medicus simul Physicus est, vel quatenus ab ipsa separatur, quando scilicet contingit Medicum Physicam ignorare.

Notandum secundò scientiam subalternam à subalternante ita posse separari, vt tamen conclusiones huius, quæ subalternatæ sunt principia teneantur per experientiã, & à posteriori, verbi gratia Medicinam ita posse separari à Physica, cui subalternatur, vt tamen ipsius Physicæ conclusiones, verbi gratia, *corpus conflatum ex quatuor elementis est corruptibile*, in ipsa Medicina innotescant, per experientiam & effectus. Hinc fit.

Prima propositio.

SI scientia subalternata ita separetur à subalternante, vt subalternata neque habeat euidentiam & suorum principiorum certitudinem per demonstrationem factam à scientia subalternãte, cum qua coniungitur, neque per experientiam, & effectus, reuera scientia subalternata non erit scientia, sed opinio tantum, vel fides humana, & hanc conclusionem intentam solum fuisse à prima sentẽtia quæ negat scientias subalternatas esse propriè scientias, probabile est, nosque eam facilè confirmamus: Scientia subalternata non tenet suas conclusiones nisi certitudine quadam morali, & in testificante quando suorũ principiorum non habet euidentiam & certitudinem, vel per demonstrationem factã à scientia superiori, & subalternante, cum qua coniungitur, vel per experientiam, & effectus, ergo nõ est scientia propriè dicta, quæ debet habere suas conclusiones omninò certas, & indubitatas, sed tantum opinio, vel fides humana.

Probatur antecedens, numquam conclusiones ex principiis deductæ sunt certiores & euidentiores ipsis principiis, sed principia subalternatæ scientiæ non sunt certa, nisi certitudine morali, & in testificante, quando ipsa scientia subalternata non habet illorum euidentiam, & certitudinem, vel per demonstrationem in subalternante factam, vel per experientiam & effectus, quoniam non aliter tenet illa esse certa, nisi quatenus sibi probabiliter persuadet ipsa fuisse in superiori scientia demonstrata, vel ei fidem adhibet qui sibi id factum fuisse affirmat, igitur scientia subalternata non aliter tenet suas conclusiones certas, nisi certitudine quadam morali, & in testificante, quãdo suorum principiorum certitudinem, & euidentiam non habet, siue per demonstrationem factam in scientia subalternante, cum qua coniungitur, siue per experientiam, & effectus.

Secunda propositio.

Scientia subalternata est vera & propriè dicta, si vel coniungatur cum subalternante: verbi gratia, Medicina cum Physica; vel habeat explorata sua principia per experientiam.

Probatur, vtroque enim modo habebit sua principia certissima, ideoque facilè poterit per veras demonstrationes conclusiones certissimas, & scientificas ex illis deducere: atque hoc tantùm intendisse posteriorem sententiam valde probabile est, sicque vtramque componere facillimum erit.

ARTICVLVS QVARTVS.

De comparatione ſcientiarum inter ſe.

SCientiæ comparari poſsunt inter ſe multis modis primò, ſecundum ordinem dignitatis, quænam alteri ſit præferenda. Secundò, ordine temporis, quænam ſecundùm tempus præceſserit. Tertiò, ordine naturæ, quæ ſecundùm illum prior sit, & quæ poſterior.

Poſtremò, ratione methodi, qua debēt explicari, quænam priùs doceri debeat. Hæc omnia breuiter exponemus ſequentibus propoſitionibus.

Prima propoſitio.

SCientiæ ſpeculatiuæ, generatim loquendo; ſunt digniores practicis.

Primò, quia id Ariſtoteles docet primi Metaphyſicæ capite ſecundo, & alibi ſæpius, cum aſserit contemplationem nobiliorem eſse praxi.

Secūdò, quia inter ſcientias ſpeculatiuas ponitur Metaphyſica, quę omnium ſciētiarum naturalium apex eſt & regina. Denique quia ſcientię ſpeculatiuæ nos per ſe in rerum notitiam promouent, in illaque conquieſcunt: practicæ verò per ſe rerum cognitionem non intendunt, ſed ſolum tradunt operandi modum.

Secunda propoſitio.

MEtaphyſica eſt omnium ſcientiarum naturalium ordine dignitatis prima.

Probatur, ſcientia omnium nobiliſſima eſt, quæ de rebus præſtantiſſimis diſſerit: at talis eſt Metaphyſica, quippe quæ de Deo, & eius attributis ipſiſ-

que

que intelligentiis sermonem instituit, quod nulli aliarum scientiarum naturalium concessum est: ergo, &c.

Tertia propositio.

POst Metaphysicam primus dignitatis gradus Physicæ debetur: postremus Mathematicæ, inter scientias speculatiuas.

Eadem ratio est huius conclusionis ac superioris. Scientiæ nobiliores censentur pro nobiliori obiecto quod sortiuntur: atqui Physicę obiectum, nempe corpus naturale, nobilius est obiecto Mathematicæ, scilicet quantitate: ergo, &c.

Dubitabis de Mathematicis & scientiis practicis, nempe Logica, & Morali, quænam aliis præstant: hoc dubium vt soluatur, adiungatur.

Quarta propositio.

MAthematicæ ordine dignitatis secundùm quid, & aliquorum effectuum respectu sunt Logicâ, & Morali priores, scilicet ratione dignioris actionis, putà speculationis.

Alio verò respectu & certè potiori, posteriores, nempe ratione ignobilioris obiecti, quia nimirum obiectum Mathematicæ est quantitas longè ignobilior intellectu & voluntate, quorum illa Logicæ, hæc Moralis Philosophiæ obiectum est.

Quinta propositio.

ORdine naturæ scientiæ speculatiuæ in statu imperfecto sunt priores practicis, non tamen in statu perfecto.

Probatur: Illud est prius ordine naturæ quod presupponitur: Atqui scientiæ speculatiuæ in statu imperfecto practicis præsupponuntur, quia absolutè

obiectum suum cognoscunt: practicæ verò relatiuè & in ordine ad opus, cognitio autem relatiua absolutam præsupponit: in statu verò perfecto nulla habetur scientia speculatiua absque Logica quæ practica est, vt in præludiis huius scientiæ probatum est: Igitur, &c.

Sexta propositio.

ORdine temporis scientias speculatiuas antecedunt practicæ. Primò, quia id docet Aristoteles expressè primo Metaphysicæ, cùm vult prius inuentas fuisse scientias illas, & artes, quæ ad vitæ commodum, & vtilitatem conferebant, nempe practicas. Deinde verò in aliis, nempe speculatiuis acquirendis diligentem operam fuisse positam.

Secundò, quia saltem in statu perfecto, nulla scientia absque Logica obtineri potest, quo fit, vt saltem aliqua scientia practica dicatur temporis ordine prior speculatiuis.

Postrema propositio.

ORdine doctrinæ practicæ scientię primum locum obtinent: sequuntur mathematicæ, tum physica, postremũ sibi locum vẽdicat metaphysica.

Prima pars est euidens: Logica quæ est practica, ante omnes alias scientias tractanda est, cùm illis comparandis omnino sit necessaria: ergo saltem scientia aliqua practica dici potest ordine doctrinæ prior speculatiuis.

Aliæ verò partes huius propositionis, nimirum ordine doctrinæ de quo agimus mathematicas consequi scientias practicas, deindè physicam, postremò metaphysicam patet.

Nã cùm obiectũ mathematicæ, videlicet quan-

titas propius accedat ad ſenſus, quàm obiectum phyſicæ, vel metaphyſicæ, citius cognoſcitur, ideoqua prius doceri debet: & pariter cum obiectũ metaphyſicæ, ſcilicet ens abſtractum ab omni materia, & accidente ſenſibili, magis à ſenſibus diſtet, quàm obiectum phyſicæ, nempe corpus naturale, certè phyſica addiſcitur, & traditur ante metaphyſicam.

ARTICVLVS QVINTVS.

De comparatione ſcientiæ cum opinione.

NOtandum primò opinionem, & ſcientiam in eo maximè diſcrepare, quòd opinio non tollat omnem errandi formidinem, ſed probabilibus tantùm nitatur coniecturis, qualis eſt illa opinio, quam quis habet de amicitia inter duo contracta, eo quòd frequenter ſe mutuò alloquantur. Scientia verò omnem debeat formidinem expellere, cùm ſit certiſſima, & euidentiſſima.

Notandum ſecundo formidinem in aliqua cognitione duobus modis contingere.

Primò, ex parte obiecti, quando ſcilicet obiectum eſt tantum probabile, & vt contingens apprehenditur.

Secundò, ex parte ſubiecti, quando obiectum quidem eſt in ſe neceſſarium, & medium neceſſarium, illa tamen obiecti, & medij neceſſitas non aduertitur à cognoſcente, qui propterea ſemper dubitat an rem benè apprehenderit: ex qua que formidine naſcitur opinio, cùm ſcilicet rem tantùm probabilem per medium probabile cognoſcimus, & cùm neceſſariam, ac per medium neceſſarium, non tamen pro tali iudicatum apprehendimus.

Notandum tertiò, ſcientiam, & opinionem biſa-

riam considerari posse, vel quatenus sunt actus, vel quatenus sunt habitus?

Quid sit scientia actualis, & quid habitualis, supra expositum fuit.

Opinio habitualis est habitus aliquis inclinãs nostrum intellectum ad eliciendum iudicium aliquod probabile, de re aliqua proposita, per medium probabile, siue reipsa, siue tantùm in apprehensione.

Actualis verò opinio est ipsum actuale iudicium probabile, per medium probabile de re proposita. His ita notatis.

Quæstio est, vtrum in eodem intellectu simul scientia & opinio esse possunt; quia verò in ea multa sunt certissima, illa priùs breuiter perstringemus

Primùm est habitum opinionis, & scientiæ circa diuersa obiecta in eodem intellectu esse posse: nam fieri potest vt aliquis habeat habitum scientificum physicæ, verbi gratia, multa tamen probabiliter teneat de moralibus.

Idem de actu scientiæ & opinionis, pari ratione dici potest.

Rursus certum est diuersis tẽporibus de eadem re, per idẽ mediũ posse dari actus sciẽtiæ & opinionis.

Probatur, fieri potest, vt res quæ priùs fuerat per medium necessariũ, atque adeo scientificè cognita, alio tamen tempore iudicetur tãtùm probabilis, & medium quod prius iudicabatur necessarium, postea duntaxat probabile videatur, ergo & cætera.

Nunc quæ maiorem præ se ferunt difficultatem aliquot propositionibus explicemus.

Prima propositio.

IMpossibile est vt eodem tempore, de eodem obiecto, per idem medium dentur scientia, & opi-

no, siue quoad actum, siue quoad habitum.

Probatur: impossibile est vt eodem tempore idem sit in intellectu ratio cognoscendi certò, & sine erroris formidine, & non cognoscendi certò, sed cum erroris formidine: ergo per idem medium, eodem tēpore nequit intellectus inclinari ad rem cognoscendam certò, & scientificè, & cum aliqua erroris formidine, seu opinatiuè tantùm, nec consequenter simul habere actum cognitionis certum, id est, scientificum, & formidolosum, seu opinatiuum, ergo, &c.

Secunda propositio.

Fieri potest vt in eodem intellectu, respectu eiusdem rei, & eodem tempore sint actus scientiæ, & opinionis, per diuersa media.

Probatur: aliquando experimur nobis duo media simul occurrere, quibus ducamur in cognitionem alicuius rei: quorum vnum apparet certissimum, & scitur, alterum verò videtur tantùm probabile, & sola opinione tenetur: ergo, &c.

Tertia propositio.

Fieri potest vt in eodem intellectu, respectu eiusdem obiecti, eodem tempore, per diuersa media detur habitus scientiæ cum actu opinionis, vel vice versa, habitus opinionis cum actu scientiæ.

Probatur, in eodem intellectu, respectu eiusdem obiecti, & eodem tempore, possunt dari simul habitus scientiæ, & opinionis per diuersa media, quia hoc non magis repugnat in habitibus, quam in actibus: ergo vno habitu non operante, poterit alter operari, quia vnus non cogitur agere, ex eo quòd alter operetur: ergo dabitur habitus vn⁹, verbi gra-

Secunda propositio.

PEr idem medium, de eadem re scientia & fides neque habitualiter, neque actualiter sumptæ in eodem intellectu esse possunt: quia semper fidei medium est dicentis reuelatio seu authoritas, quæ non omninò semper certa est: scientię verò euidens ratio necessaria & demonstratiua esse debet, quæ quidem media diuersa sunt.

Tertia propositio.

HAbitus, & actus fidei simul esse possunt cum habitu, & actu scientiæ in eodem intellectu, de eadem re, per diuersa media.

Probatur, fieri potest vt inclinetur intellectus ad assentiendum alicui conclusioni, propter rationem aliquam demonstratiuam, & propter diuinam authoritatem, quæ nec falli, nec fallere potest, verbi gratia, inclinetur ad assentiendum, imò de facto assentiatur huic cōclusioni, Deus est vnus tantùm, & propter hanc rationem demonstratiuam, *Primus motor est vnus tantùm, Deus est primus motor, ergo Deus est vnus tantùm*; & præterea propter authoritatem Dei qui nobis idipsum reuelauit: ergo, &c.

Postrema propositio.

HAbitus scientiæ potest manere in eodem intellectu, eodem tempore cum actu fidei, siue humanæ, siue diuinæ, & è contra habitus fidei cum actu scientiæ: quia vno non operante habitu scientiæ, verbi gratia, potest alter habitus, nimirum fidei, operari, & suum actum elicere, verbi gratia cùm per scientiam non cognoscimus Deum esse vnum, adhibendo demonstrationem superius pro-

possimus tamen id per fidem tenere, sicque manente habitu scientiæ potest dari actus fidei, vel è contrà, cùm eadem sit ratio.

Obiicies, fieri nequit vt idem clarè & obscurè intellectus videat: ergo de eodem non potest habere actum fidei, & scientiæ, quia ille obscurus, hic verò euidens est.

Confirmatur illud apud sanctos patres visitatissimum, *fides non habet meritum vbi ratio humana præbet experimentum*, igitur fides, & scientia simul stare nequeunt.

Respondeo negando antecedens argumenti propositi, si modò diuersa media intellectui occurrunt, quorum vnum sit obscurum, quale est mediũ fidei, nempe testimonium reuelantis: alterum euidens, quale est medium scientiæ: sicut idem oculus per clarum & politum speculum colorem clarè, & perspicuè intuetur: obscurè verò, si speculum ipsum obscurum fuerit.

Ad confirmationem respondeo secundùm Theologos, & Patres, fidem non habere meritum vbi ratio humana præbet experimentum, si ipsa humana ratio sit vnica, & totalis causa cur fidei articulis assentiamur, verum est: falsum tamen sit non si totalis causa assentiendi. Sed ille assensus oritur etiam, imò potissimum à diuina reuelatione, testimonióque Dei reuelantis, quomodo conclusio per fidem & scientiam simul tenetur, ita vt scilicet præcipua assentiendi ratio sit diuina reuelatio: lege hac de re Diuum Thomam secunda secundæ, & commentatores eiusdem. Hæc de scientia & tota doctrina de Demonstratione.

SECVNDA DISPVTATIO DE SYLLOGISMO TOPICO, POTISSIMVM DE LOCIS TOPICIS.

TRIPLEX materia ex qua conflatur syllogismus, triplicem ponit syllogismorū speciem: demonstratiuum, seu ex necessariis constantem, de quo actum est: topicum, seu probabilem, de quo nunc agendum, & sophisticum seu fallacem de quo posteà. Porrò quia pauca circa naturam syllogismi topici occurrunt exponenda, tota ferè disputatio versabitur in assignandis, explicandisque locis, & maximis, ex quibus topica illa ducuntur argumenta.

Dicendum solùm breuiter quid sit, & quotuplex probabile, vt inde intelligatur quid sit syllogismus probabilis.

Probabile igitur generatim loquendo, illud dixeris, cui faciliùs assensum præbueris, quàm denegaueris, siue interim fuerit necessarium, siue non.

Statuitur probabile in duplici differentia: alterum per se, & vi sua: alterum per aliud, & aliena vi.

Probabile per se, & natura sua illud est, quod ita conuincit intellectum ad assentiendum, vt nullius rationis ope indigeat, nisi apud eos qui sūt omnino stolidæ mentis: hoc modo illa pronūtiata probabi

lia dicimus, *parentes sunt colendi: respublica melius à bonis, & sapientibus administrantur, quàm à malis & imperitis*, & pleraque alia id genus.

Probabile verò per aliud vocatur, quod vi sua fidem non facit, sed eget rationibus quibus roboretur ad fidem faciendam: sic multa probabilia cùm in Philosophia, tùm in Theologia dicuntur esse, quæ rationibus vltro, citroque adductis statuuntur, & tolluntur, vt *an Logica sit scietia: an vniuersalia per mentem fiant: an natura sit motus & quietis principium collectiuè: an conceptus entis simpliciter vnus:* hæc in Philosophia: in Theologia, *an fieri possit visio per speciem impressam: an videri possit essentia diuina sine personis, & similia*. Adde prætereà sapientum dogmata, quæ licet à vulgi sententia plurimũ aliena sint, vi tamen & pondere rationum probabilia persuadentur, vt *quòd vita sit exponenda pro reipublicæ salute, &c.* Hactenus de probabili: ex quo facilè intelligitur quid sit syllogismus probabilis: ille scilicet qui propositionibus probabilibus, seu intellectum ad assentiendum inclinantibus, non tamen conuincentibus coalescit: superest, vt locorum copiam faciamus, primumq; de locis Topicis, problemate dialectico, & dialectica propositione dissseramus: deinde singulos locos, & maximas suo ordine referamus.

SECTIO PRIMA,

DE LOGICIS TOPICIS.

Problemate dialectico & propositione dialectica in communi.

QVÆSTIO PRIMA.

De locis topicis in communi.

Quæ de locis topicis in communi dici debent, facilè hac quæstione complectemur.

Locus igitur topicus dicitur ex quo varia ducuntur argumenta topica, & probabilia.

Ipse duplex constituitur, vnus vocatur maxima, alter differentia maximæ.

Maxima est aliquod generale pronuntiatum, ex quo variæ conclusiones deducuntur, siue illud necessarium fuerit, siue tantum probabile: vt *cui conuenit definitio, conuenit & definitum*: *respublica melius regitur à probis, quàm ab improbis.*

Differentia verò maximæ sunt certa quædam problemata seu certæ quædam res, *vt genus, propriũ accidens, definitio*: ex quibus ipsæ maximæ, seu generalia pronuntiata depromuntur.

Rursus locus ille qui vocatur differentia maximę, duplex est, vnus artificiosus seu infirmus, qui nimirum ex ipsa arte & quæstione proposita eruitur, vt sunt loci à genere, à proprietate, à definitione, aliisque plurimis, ex quibus generalia axiomata desumuntur ad aperiendam & confirmandam quæstionem propositam.

Alter locus dicitur artificiosus, seu assumptus, qui non ex ipsa arte, seu quæstione proposita, sed aliundè depromitur, nimirum ex authoritate, siue diuina, siue humana, de quibus omnibus locis infrà copiosè.

QVÆSTIO PRIMA.

De Problemate dialectico, & dialectica propositione.

DE problemate dialectico, & dialectica propositione differit Aristoteles primi Topicorũ capite tertio, & quarto, & in eo problema seiungit à dialectica propositione, quod in problemate vtraque pars contradictionis proponatur discutienda:

vt animal estne genus hominis, necne (vel vt Aristotelis exemplo vtar) *esse animal gressibile, bipes* estne definitio hominis, *vel non.*

In propositione verò dialectica, vnica tantũ proponitur, vt *animal estne genus hominis*, vel: *an animal gressibile bipes sit definitio hominis.* Problematum autem quatuor species facit: nimirum genus, ad quod reducit differentiam genericam, cùm qua reciprocatur, proprium, accidens, & definitionem.

Colligitur autẽ numerus ille ex variis modis quibus problema proponitur: aut enim quæritur an aliquid sit genus, necne: verbi gratia, an animal sit genus hominis, necne, ac consequenter, an eius differentia sit differẽtia generica ipsius hominis, an secus: & est problema generis: aut quæritur, an sit ei' proprietas, an non: vt *sit ne visibile hominis proprietas, vel non*, & est problema proprij: aut quæritur sitne accidens, an non, vt *an scientia sit accidens animæ necne*, & est problema accidentis; vel denique inquiritur, an sit definitio, vel non, vt an animal gressibile bipes, sit definitio hominis, vel non, & adhuc astruitur quartum problema definitionis. Eundem quaternarium dialecticarum propositionum numerũ astruit suprà laudatus Aristoteles: eo quòd quodlibet problema ablata vna parte cõtradictionis fiat propositio dialectica, v.g. istud problema, an animal sit genus hominis, an nõ; fiat propositio dialectica: si hanc posteriorem partem abstuleris: *an non*, solamque priorem retinueris, *an animal sit genus hominis.* Difficultas verò est, quia præter illa quatuor problemata, & quatuor allatas propositiones dialecticas (de his enim par est ratio ac de problematis) alia plura videntur admittenda problemata: nimirum species, vt *homo sit species Socratis, an non*, diffe-

rentiæ ſpecificæ, vt, *an rationale ſit differentia ſpecifica hominis, necne*: niſi eam velis ad ſpeciem reducere ſicut Ariſtoteles differentiam genericam ad genus reuocauit, graduum tranſcendentium, vt *an ſit ens tranſcendens reſpectu ſubſtantiæ, an non.*

Cui difficultati reſpondetur omnia allata problemata ad vnum ex quatuor allatis reuocari ſcilicet ad problema generis, quia in illis eſt eadem tractandi ratio, eodemque ferè modo eruuntur argumenta dialectica.

Facilitatis tamen cauſa mallem hæc omnia facere diſtincta problemata, ſcilicet generis, differentiæ, ſiue genericæ, ſiue ſpecificæ, ſpeciei, proprij, accidentis, definitionis, ad quam deſcriptio reducitur, & graduum tranſcendentium, quia ex illis omnibus diſtinctæ propoſitiones ſumuntur: ex quo naſcitur hæc omnia problemata colligendi modus, aut id de quo problema proponitur, pertinet ad eſſentiam, aut non pertinet: ſi pertinet: aut reciprocatur, & eſt definitio, vel conſtitutiua differentia: ſi non reciprocatur, eſt, vel genus, ſpecies, vel gradus tranſcendens; ſi non pertinet ad eſſentiam rei, aut cum illa recurrit, vt riſibile, cum homine, & eſt proprium: aut non recurrit, & eſt accidens: eadem ratione tot ſunt retinendæ propoſitiones dialecticæ, quot ex ipſis problematis oriuntur, vt oſtenſum eſt.

Dices multa problemata ex allatis eſſe neceſſaria, vt problema generis, ſpeciei, definitionis, & alia, quia neceſſariò ſubiectis conueniunt; ergo malè dici dialectica.

Communis reſponſio eſt negandam eſſe conſequentiam, ratio eſt, quia ad problema dialecticum duntaxat requiritur, quòd habeat veriſimilitudinẽ, quam certè retinere poteſt etiam ſi certitudinem

obtineat talem, aut verisimilitudinem quam habet, dicunt communiter non sumi, vt necessariam, sed vt probabilem, adeò vt videatur illa accidentaria necessitas. Solutio est Collegij Conimbricensis, vel saltem ex illo satis deducitur in capite tertio primi Topicorum, quæstione vnica, articulo primo, versus finem.

SECTIO POSTERIOR.

De locis topicis in particulari.

QVÆSTIO PRIMA.

De locis insitis.

ARTICVLVS PRIMVS.

De locis à definitione.

TRactat hoc problema definitionis Aristoteles toto libro sexto topicorum, ex quo has maximas Logico vtilissimas, vnà cum aliis deducemus.

Prima maxima, cui conuenit definitio conuenit & definitum.

Secunda, cui conuenit definitum conuenit & definitio: exemplo vtraq; maxima illustratur, viuens sensibile est definitio animalis, animal verò definitum: hinc benè sequitur, homini competit esse viuens sensibile, ergo & esse animal, vel è contra, homo est animal, ergo viuens sensibile.

Tertia, de quo prædicatur definitio prædicatur & definitum, vel è conuerso. Hinc sequitur, homo prædicatur de Petro: ergo & animal rationale de eodem prædicatur: vel è contra, animal rationale enunciatur de Petro, ergo & homo de eodem enunciabitur.

Quarta, cui repugnat definitio, repugnat & definitum, vel è contra: verbi gratia, lapidi repugnat quòd ſit animal rationale: ergo & quod ſit homo: vel vice verſa.

Quinta, quod prædicatur de definitione, prædicatur & de definito, & è conuerſo: verbi gratia ſubſtantia prædicatur de animali rationali: ergo & de homine, vel de homine: ergo & de animali rationali.

Sexta, definitio non debet redundare: dicitur autem redundare, quando vna parte ablata tota integraque remanet: quomodo hæc hominis definitio dicitur redundare, homo eſt animal rationale, mortale, quia ablato mortali tota integraque remanet hominis definitio.

Septima, definitio quantum fieri poteſt debet eſſe breuis, niſi fortè breuitas perſpicuitati obſiſtat.

Octaua, definitio debet reciprocari cum definito, & è cõtra: verbi gratia animal rationale cum homine, & homo cum animali rationali. Definitio vera debet eſſe entis per ſe, vnius naturæ: hinc aggregata æquiuoca reiiciuntur. Poſtrema, definitio tantùm eſſe poteſt de vniuerſalibus. Tres iſtæ maximæ examinabuntur inferiùs, vbi agemus de conditionibus requiſitis ad obiectum definitionis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De locis à deſcriptione, & notatione nominis.

DEfinitio, deſcriptio, & notatio nominis in eo diſtinguũtur, quod definitio rei naturã per eſſentialia principia exprimat: deſcriptio duntaxat adumbret per proprietates, & accidentia: notatio denique nominis, ab etymologia deducatur.

Iam quod spectat ad descriptionem, de illa sit prima maxima. Descriptio melior est per affirmationem quàm negationem. Hinc monemur, vt quantum fieri poterit, affirmatiuis descriptionibus condendis studeamus.

Secunda descriptio, per ea tradi debet, quæ rem descriptam maximè notificant.

Tertia, in descriptione ea tantum adhiberi debēt, quæ vel rei descriptæ propria sunt, vt cùm homo describitur *animal risibile, & disciplinarum capax,* vel si per accidētia traditur, tot sunt profundenda, vt illorum congeries in nullo alio repériatur, aliàs descriptio non sufficienter rem descriptam notificaret, illamque ab aliis secerneret, Quod attinet ad notationem nominis, non aliæ maximæ circa illam proferuntur quàm quæ ex ipsa ethymologia repetuntur vt cui non competit regere non competit esse regem: cui non competit philosophari, non cōpetit esse philosophum, & aliæ propemodum infinitæ quæ ex vocabuli ethymologia eruuntur.

ARTICVLVS TERTIVS.

De locis à genere.

OMnes generis maximæ ex institutione Porphyriana satis intelliguntur, illasque expendit Aristoteles libro quarto Topicorū, Prima est, genus debet conuenire multis speciebus essentialiter, & de illis in quid prædicari.

Secunda, cui conuenit genus, aliqua eius species debet conuenire: verbi gratia quia conuenit Petro quòd sit animal, eidem conuenit quod sit homo, qui quidem est species animalis.

Tertia, genus de illis omnibus affirmatur de quibus

bus dicitur ſpecies, verbi gratia de omnibus hominibus particularibus, de quibus homo prædicatur.

Quarta, ſpecies debet eſſe extra conceptum generis, ſeu non debet ad eius eſſentiam pertinere.

Quinta, genus non debet in ſuo formali conceptu, id eſt eſſentia, differentias continere.

Sexta, differentię non debent in ſe continere conceptum generis, vt rationale & irrationale conceptum animalis. Duæ iſtæ maximæ deſumuntur ex dictis de genere, in introductione Porphyriana. Sūt & aliæ, vt quod generis differentiæ debeant eſſe oppoſitæ, ſicut ſunt rationale, & irrationale, genus reſpondeat materiæ, & differentia formæ, & ſimiles.

ARTICVLVS QVARTVS.

De Locis ex proprio deſumptis.

PRoblema proprij tractat Ariſtoteles libro quinto Topicorum, ex quo licet varias maximas depromere. Prima, proprium debet conuenire omni ſpeciei accidentariò & reciprocè, vt riſibile homini, & ſingulis hominibus.

Secunda, proprium prædicatur de ſubiecto in ſecundo modo dicendi per ſe, vt in diſputatione de demonſtratione docuimus.

Tertia, propriū fluit ex eſſentia rei, vt riſibilitas ex eſsētia hominis; ex quo ſequitur propriū eſſe poſterius illo ſuo ſubiecto à quo fluit, ordine naturæ.

Quarta, ſubiectum & proprietas ſimul tempore exiſtunt, vt riſibile, & homo.

Quinta, proprietas & ſubiectum genere differūt, vt videre eſt in exēplo citato de homine, & riſibili.

Sexta, proprietas eſt notior ſuo ſubiecto, quo ad

nos: ignotior tamen natura. Explicata est hæc maxima citato loco de demonstratione.

Septima, eadem proprietas potest illis conuenire, quæ in aliquo tertio consentiunt: verbi gratia, quia homo, & equus conueniunt in illo tertio, nimirum corpore, ideò habent sibi communem quantitatem, quæ est proprietas corporis & materiæ.

Octaua, proprietates oppositæ rebus oppositis tribuendæ sunt; ex qua maxima plures aliæ deducuntur.

Nona, si vnum oppositum sit proprietas habitus alterum oppositum erit priuationis proprietas: quia scilicet habitus, & priuatio opponuntur.

Decima, si affirmatiuum est proprietas affirmatiui, negatiuum erit negatiui proprietas: verbi gratia, quia finiti proprietas est posse mensurari, & partium ablatione absumi, infiniti proprietas erit non posse mensurari, nec partium ablatione exhauriri.

Vndecima, si coniugatum non est proprietas coniugati, alterum coniugatum non erit alterius coniugati proprietas: verbi gratia, si temperantia non est proprietas fortitudinis, temperans, quod est coniugatum temperantiæ, non erit proprietas fortis fortitudinis coniugati.

Duodecima, si quod magis videtur proprium, illud tamen proprium non est, id quod minus videbitur esse, non erit.

Decimatertia, si plura propria statuantur, illa sunt explicitè ponenda, nec vnum pro alio accipiendum.

Postrema, in exprimēdo proprio, non subiectum, sed genus subiecti adhiberi debet: verbi gratia, si quis velit exprimere quid sit risibile, nō debet proferre hominē, sed animal, quod genus est hominis,

dicereque, riſibile eſt animal aptum ad ridendum.

ARTICVLVS QVINTVS.

De Locis ex communi accidente deſumptis.

PRoblema accidentis explicat Ariſtoteles ſecundo libro Topicorum, ex quo variæ ſumuntur maximæ, ſicut ex Porphyrio in ſua Introductione.

Prima, accidens eſt quod abeſt, & adeſt ſine ſubiecti interitu.

Secunda, accidens eſt, quod eidem ineſſe contingit.

Tertia, accidens debet prædicari in quale.

Quarta, prædicatur accidentariò.

Quinta, non prædicatur reciprocè. Quæ omnia dicto loco explicata ſunt.

Sexta, accidens primò de indiuiduis dicitur, tum de ſpecie, & iis ſub quibus indiuidua continentur, ex Porphyrio, decimo capite ſuæ Introductionis: hanc maximam expoſuimus capite de accidente communi.

Septima, idem ſui ipſius accidens eſſe nequit.

Poſtrema, quod prædicatur inſtar generis, licet ſit accidens categoricum, accidens tamen prædicabile non eſt: exempli gratia, cùm ſcientia prædicatur tanquam genus de Logica, & Phyſica, eſt quidem accidens categoricum, quia pertinet ad genus qualitatis, non eſt tamē accidens prædicabile, quia prædicatur eſſentialiter de ipſa Logica, & Phyſica: cùm tamen accidens prædicabile debeat accidentariò prædicari de ſubiecto, ex dictis de accidente.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Locis à comparatione.

REctè post problema accidētis adiungimus maximas de comparatione,tum quia libro tertio Topicorum illas pertractat Aristoteles post explicatum secundo libro accidētis problema: tum quia comparatio ad problema accidentis pertinet, quoniam illa quę comparantur,videntur aliquo modo suscipere magis & minus,quod solùm conuenit accidenti:

Prima igitur sit maxima ex cōparatione desumpta,id censetur esse melius, cuius generatio melior est;corruptio deterior.

Secunda,id melius,cuius vsus est melior.

Tertia,rariora magis æstimantur quàm trita.

Quarta, quod est arduæ & difficilis acquisitionis postquàm comparatum est,habetur charius, eo quod acquisitu facilius est.

Quinta,illud absolutè alio melius est,quod in excessu positum melius est eo in excessu etiam posito.

Sexta,bonum cōmune priuato melius est, & anteponendum:sic in natura elementa proprio bono neglecto commune bonum procurant.

Septima,bonum magis diuturnum optabilius est bono minus diuturno,intellige cæteris paribus,&si duo illa bona in aliis conueniant.

Octaua, quod habet rationem finis, melius est eo quod habet rationem mediorum.

Nona,id quod propter se expetitur, optabilius est eo quod tantùm propter aliud expetitur.

Decima,propter quod vnumquodque tale, & il-

lud magis tale: verbi gratia, quia propter ignẽ manus eſt calida, potiori iure ignis dicitur calidus. Sed de hac maxima iam egimus agendo de Demonſtratione.

Vndecima, cauſa per ſe bonitatis melior eſt cauſa per accidens.

Duodecima, illud habetur melius, quod ſuæ bonitatis plures cauſas agnoſcit.

Decima tertia, animi bona meliora ſunt bonis corporis.

Decima quarta, bona naturæ probatiora ſunt fortunæ bonis.

Decima quinta, gloria reliquis bonis externis nobilitate præit.

Decima ſexta, bonum illud eſt anteponendum, ex quo maiora bona ſequuntur.

Decima ſeptima, ex quo minora mala ſequuntur, potiùs eligendum eſt, ex quo maiora ſequuntur.

Decima octaua, bonum cum alio coniunctum melius eſt, quàm ſeparatum 10. Ethic. cap. 2.

Decima nona, optabiliora ſunt illa bona, quæ cum voluptate coniunguntur, illis quæ non ſunt cum voluptate, ibidem.

Vigeſima, Vita iucunda cum prudentia coniuncta optabilior eſt alia, ibidem.

Vigeſima prima, voluptates ex honeſtis ortæ optabiliores ſunt illis, quæ ex turpibus oriuntur, eodẽ lib. cap. 3.

Vigeſima ſecunda, quod eſt maius maiori, eſt etiam maius minore, vt Cæſar eſt præſtantior Scipione, Scipio Hannibale, Cæſar ergo Hannibale perfectior erit.

Vigeſima tertia: quod minus habet adiunctionis contrarii, illud eſt magis tale: vt illud magis album

est,quod minus habet nigredinis.

Vigesima quarta, si quod magis videtur esse non est,quod minus videbitur esse non erit.

Vigesima quinta,si aliqua propositio probabilis vera est,aut falsa,alia æquè probabilis vera erit,aut falsa.

Postrema,si quod minus videtur posse fieri fit,id quod magis videbitur fieri,posse fiet.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

De Locis ab eodem,& diuerso.

IDem & diuersum multis modis sumuntur à Metaphysicis,sed his missis satis erit generatim constituere quæ eadem, quæue diuersa sunt,his maximis ex septimo Topicorum sumptis.

Prima est,quæ sunt eadem numero,simul oriuntur & pereunt,easdemque habent causas,

Secunda,ea propriissimè sunt eadem quæ numero non distinguuntur.

Tertia,quæ sub eadem specie constituuntur, ea sunt eiusdem speciei.

Quarta,quando multa specie non differunt,ideoque non ponuntur sub diuersis speciebus, illa sunt eadem in specie,

Quinta,ea sunt idem genere, quæ eidem generi subiiciuntur.

Sexta, quæ non differunt genere, ideoque non constituuntur sub diuersis generibus, illa sunt eadem genere.

Septima, si vnum coniugatum sit idem cũ aliquo coniugato,alterum coniugatum erit idem cum altero coniugato,vt si iustitia,& fortitudo idem sunt iustus,& fortis idem erunt.

Octaua, quæ ſunt eadem eſſentialiter, habent eaſdem definitiones eſſentiales, eademque attributa eſſentialia.

Nona, quæ ſunt eadem, eadem etiam habent contraria.

Decima quæ ſunt eadem in aliquo tertio, ſunt eadem inter ſe, de hac maxima ex profeſſo diſputant Theologi tractatu de Trinitate, eo quòd primò intuitu videatur militare cõtra veritatem Trinitatis, & euincere trium perſonarum identitatem inter ſe, eo quod omnino ſunt idem in eſſentia diuina, vnde varias huius axiomatis afferunt interpretationes, quas referre longnm eſſet, tandemque concludunt axioma nõ habere locum, niſi illud tertium in quo conueniunt ſit incommunicabile, & non ſupponat pro multis, qualis non eſt eſſentia diuina, in qua conueniunt tres perſonæ, quia illis communis eſt, & pro illis poteſt ſupponere.

Hanc ſuã interpretationem non reiicimus, aliam tamen, ſi non ita antiquam, ſaltem non minus veram ſubiicimus: axioma reuera non habere locum in perſonis diuinis collatis cum eſſentia, quia *in illa* non ſunt idem, ſed tantùm *cum illa*: non ſunt idem in illa quia in ea non includuntur, aliàs ipſa Dei eſſentia ſimul diceret Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, atque adeo cùm tota communicetur cuilibet perſonæ, quælibet perſona, verbi gratia, Patris, ſimul eſſet Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, quod non poteſt admitti ſine confuſione Trinitatis.

Dicuntur autem illæ perſonæ diuinæ idem cum eſſentia diuina: quia ſunt vna & eadem res, illamque in ſeipſis includunt, ſicut ſubſtantia, & accidens dicuntur quidem idem cùm ente communiſſimè

sumpto, quia ab illo, ex natura rei non distinguũtur illudque includunt, non tamen in ipso quia essentialiter in illo non continentur, quasi sit de ratione entis, vt ens, quod sit substantia, & accidens.

Vndecima, quæ sunt eadem formaliter, habent eandem differentiam essentialem.

Duodecima, quando duo sunt eadem, quæcumque de vno dicuntur, de altero quoque dicantur necesse est.

Decimatertia, quæ sunt eadem, debent eadem remanere, si ab illis idem auferatur.

ARTICVLVS DE LOCIS, A CAVSIS.

TRia sunt præmittenda antequam maximas de causis proferamus: primum (quod iam alibi indicauimus) causam esse quadruplicem materialem, formalem, efficientem, & finalem.

Secundò, materiam esse triplicem, *in qua, ex qua, & circa quam*, Materia in qua, est illa quæ formam aliquam in se recipit, vt lignum formam cathedræ, & intellectus scientiam.

Materia ex qua, illa est, quæ rei compositionem ingreditur, vt materia prima, quæ cum forma substantiali totum naturale compositum constituit. Materia denique, circa quam, ea est in qua tãquam in subiecto aliqua potentia, vel habitus occupatur, vt operatio intellectus in Logica, & corpus naturale in Physica.

Præmittendum tertiò formam esse triplicem, essentialem, vt est anima hominis, accidentariam, vt est calor respectu ignis, extremam denique, vt exemplar respectu operis, quod efficitur ab artifice ad ipsius exemplaris imitationem. His præmis-

ſis, in ſingulis cauſis peculiares maximas ordine proferemus.

MEMBRVM PRIMVM.

De Maximis à cauſa materiali.

PRima maxima eſt de materia ex qua, cui competit materia, eidem competere debet quod ex illa neceſſariò conſequitur, nimirùm quantitas.

Secunda, cui non competit materia, eidem non cõuenit quod ex ea ſequitur, nimirũ quãtitas. Hinc ſi velis oſtendere Angelos eſſe quantitatis expertes, ſatis fuerit demonſtraſſe eoſdem carere materia.

Tertia maxima eſt de materia in qua, quod recipitur in materia vel ſubiecto, ad modum illius ſubiecti recipientis recipitur, quod non ſic intellige, quaſi opporteat recipiẽs, & receptum eundem modum ſortiri, quia anima rationalis recipitur in materia extenſa, cùm tamen omni reali, & quantitatiua extenſione careat: ſed vt tantùm requiratur aliqua reſpondentia recipiẽtis & recepti, quæ etiam in anima rationali in materia recepta cernitur, quia per illam diffunditur, eique ſaltem virtute coextenditur.

Quarta maxima, ex eadem materia in qua deſumitur; materia eſt de ſe formarum auida, illaſque naturaliter appetit, primi Phyſicorũ, capite nono.

Quinta, materia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis.

Sexta, materia vna eſt contrariorum, quarti Phyſicorum capite ſexto. Quæ omnes maximæ in Phyſica dante Deo explicabuntur.

Septima accipitur à materia circa quam, ſeu ob-

iecto: ſcientiæ ſpecificationem deſumunt ab obiectis: quomodo hæc maxima intelligi debeat, conſtat ex dictis de ſcientia.

Poſtrema, facultates, & habitus eò ſunt præſtantiores cæteris paribus quò habent obiecta præſtantiora, ſic viſus eſt nobilior auditu, quia viſibile audibili nobilius eſt, & Metaphyſica reliquis ſcientiis naturalibus præfertur, quod obiectum omnium nobiliſſimum vendicet.

MEMBRVM POSTREMVM.

De maximis à cauſa formali.

PRima maxima ſit de cauſa formali eſſentiali: eò res præſtantior eſt eſſentialiter, quò digniorem habet formam ſubſtantialem.

Secunda, forma deſiderat naturali appetitu vnionem cum materia, ex quo inferunt Theologi neceſſariò futuram corporum reſurrectionem, ne in æternum animæ appetitus inanis relinquatur.

Tertia, forma habet certos terminos, quos prætergredi non debet, & ſic communiter reprehenduntur illi qui ſuæ artis terminos vltra debitum extendunt, ſuoſque fines tranſiliunt, vt ſutor qui abditiora naturæ, aut Theologiæ arcana curioſius rimari contenderet.

De forma accidentali non aliæ ſunt maximæ ab illis quas ſuperiùs tradidimus in problemate accidentis.

Quarta maxima adiungitur de forma externa, ſeu exemplari, quò res propriùs accedit ad ſuum exemplar, eò perfectior exiſtimatur: Et ſic Angeli perfectiſſimæ habentur creaturæ, quod ad diuinam eſſentiam rerum omnium exemplar abſolutiſſimum

magis accedant, magiſque eius perfectiones referant: ſuccedunt homines, non ad Dei tantùm imaginem, ſed & ad eius ſimilitudinem efformati, & ſic ordine quo creaturæ propiùs accedunt ad ſuum exemplar, nempe Deum, eò ſine dubio maiori in pretio, & æſtimatione habentur.

MEMBRVM TERTIVM.

De maximis à cauſa efficiente.

PRima maxima, cauſa efficiens eſt illa vnde actio, proficiſcitur.

Secunda, quò propior eſt cauſa efficiens eò, validiùs operatur cęteris paribus: quod addo, quia quãuis ſol ſit remotior à terris, quàm ab aëre, fortiùs tamen in terras agit, quàm in aërem, quia cætera non ſunt paria, cùm terra, vt potè denſior, & magis cõpacta aptior ſit ad recipiendam ſolis actionem, nimirum calefactionem, quàm aër.

Tertia, effectus eò debilior eſt quò eſt remotior à ſua cauſa efficiente, & conſeruante: ſicut è contra fortior, quò eſt vicinior.

quarta, quorum cauſa interimens eſt bona, illa ſunt mala, verbi gratia, iudex bonus iudicatur, quòd eius ſcientia parricida morte condemnetur, parricida, ſine dubio malus exiſtimatur.

quinta, quorum cauſa interimens eſt mala, ipſa ſunt bona, verbi gratia, tyranni Chriſtianos pro religione interimentes eo nomine mali videbantur è contra martyres ipſi, ſeu Chriſti athletæ optimi iudicabantur.

MEMBRVM QVARTVM.

De Maximis à causa finali.

PRima maxima, finis est causa causarum, primi de partibus animalium, capite primo.

Secunda, finis præstat illis, quæ sunt ad finem.

Tertia, non habito fine res frustra laborasse dicitur.

Quarta, inter finẽ & media debet esse proportio.

Quinta, finis primus est in intentione, postremus in executione.

Sexta, illud videtur bonum cuius finis est bonus, exempli gratia, dialecticę finis, scilicet dirigere operationes intellectus bonus est, ideo ipsa dialectica est bona.

Postrema, cuius finis malus est, illud quoque videtur malũ, verbi gratia, quia magiæ maleficæ malus est & abominandus finis, ideò magia malefica mala & abominanda creditur.

ARTICVLVS NONVS.

De locis & Maximis ab effectu, & vsu.

PRima maxima est de effectu, effectus bonus est, qui à causa aliqua bona oritur, malus à mala.

Secunda desumitur ab vsu, cuius vsus bonus est, illud quoque est bonum, exempli gratia, quia vsus doctrinæ moralis, nimirùm bene viuere, est bonus, adeò moralis doctrina censetur esse bona.

Tertia, cuius vsus malus est, illud quoque putatur malũ: propterea mala censetur ars sophistica, quòd eius vsus sit malus, nempe decipere, & in fraudem inducere, intellige de vsu rei, nõ autem de vsu

rem ipsam possidentis, quia homines sæpè rebus optimis pessimè vtuntur, & vice versa

ARTICVLVS DECIMVS.

De Locis ab antecedentibus, & consequentibus.

NOtandum est antecedens, & consequens hoc loco bifariam vsurpari, nam primò antecedēs illud dicitur, quod necessariò ad illud prærequiritur vt fundamentum ad domum, & partes ad totū; illud verò ad quod requiritur dicitur consequēs, vt ædificium, & totum, non quod necessariò consequatur, quia positis fundamentis potest non poni ædificium, & datis partibus non dari totum, sed quod non possit sequi nisi ex illo præsupposito, vt ædificium, sine præsupposito fundamento, & totū sine partibus, quod quidem consequens dicitur *necessariæ præsuppositionis, seu prærequisitionis*. Secundò modo antecedens sumitur pro illo quod non quidem necessariò prærequiritur ad aliud, sed ex quo aliud necessariò sequitur, vt homo respectu animalis, homo enim nō necessario prærequiritur vt animal consequatur, ita tamen se habet, vt si ipse ponatur, animal quoque necessario consequi debeat, ritè enim sequitur, datur homo, ergo animal.

Illud autem quod ex alio sic consequitur, vt potè animal ex homine, consequens appellatur, & quidem *necessariæ consecutionis*.

Ad antecedens & consequens huius generis referūtur vulnus in corde, respectu cordis, ita vt vulnus in corde dicatur antecedere ad mortem: mors autem consequens, quia statim ex illo præsupposito consequitur, quāuis ex alia causa contingere possit.

Hac obseruatione præmissa quantum est de ante-

cedenti, & consequenti secundum priorem considerationem, illa nobis aliquot maximas suppeditāt.

Prima hæc est, posito antecedenti non statim ponitur consequens, verbi gratia, posito fundamento, ædificium,

Secunda, sublato antecedenti necessariò tollitur consequens: verbi gratia sublato fundamento, ædificium.

Tertia, posito consequenti necessariò ponitur antecedens, vt posito ædificio, fundamentum.

Quod verò attinet ad antecedens, & consequens, secundùm posteriorem considerationem, illud his maximis continetur.

Prima, posito antecedenti necessariò ponitur consequens: verbi gratia, posito homine, animal, & posito vulnere in corde, mors.

Secunda, sublato vno antecedenti non tollitur consequens, exempli gratia sublato homine, non tollitur animal, vt dictum est.

Tertia, sublatis omnibus antecedentibus, necessariò tollitur consequens, vt homine, & bruto sublatis tollitur animal.

Postrema, posito consequenti non necessariò ponitur antecedens, verbi gratia, posito animali non necessariò ponitur homo.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

De Locis ab oppositione.

NOtæ sunt oppositionum species, contradictoria, priuatiua, contraria, & relatiua, generatim de oppositis has maximas tradimus.

Prima hæc sit: oppositorum opposita sunt consequentiæ: hinc inferre licet, dolor fugiendus est,

ergo voluptas eſt appetenda.

Secunda, ſic inter ſe pugnant, vt perfecta ſimul eſſe nequeant.

Tertia, contradictoria per diuinam potentiam non poſſunt eſſe vera.

Quarta, à priuatione ad habitum naturaliter non datur regreſſus, huius maximæ expoſitionem habes in Poſtprædicamento.

Quinta, duo contraria in gradibus intenſis nequeunt eſſe in eadem parte ſubiecti: de hac actum eſt citato loco.

Sexta, idem eſt ſubiectum cõtrariorum, intellige niſi vnum eorum inſit à natura, ſic ignis nequit frigus recipere, eò quod habet calorem à natura.

Septima, contrariorum eadem eſt ſcientia, vt Topicorum capite vlt. ſic Phyſica de loco & ſimul vacuo diſſerit, & moralis de bono & malo.

Octaua, contraria ſuâpte naturâ non appetunt contraria, ſed caſu & fortuitò, octaui ethicorum capite decimo.

Nona, ex rebus contrariis numquam poteſt vna & eadem res demonſtrari, quarti Topicorum, capite quarto.

Decima, contraria contrariis magis cognoſcuntur quàm ab aliis, ſectione tertia problematum, quæſtione octaua.

Vndecima contraria contrariis curantur, ſectione prima problematum, quæſtione decimaquinta.

Duodecima, ab eodem per ſe effici non poſſunt, ſectione tertia problematum, quæſtione decima quinta.

Decima tertia, contraria contrariis innoteſcunt, ſectione vigeſima problematum, quæſtione decima quinta.

Decima quarta, de oppositione relatiua: relata nullum habent contrarium.

Decima quinta, non sucipiunt magis, & minus.

Decima sexta, reciprocantur inter se.

Decima septima, simul sunt natura, intellige quatenus relata, aut ratione fundamenti, sicut exposuimus agendo de relatis.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

De Locis à coniugatis.

PRima maxima, cui competit vnum coniugatum, reliqua suo modo conuenire necesse est: verbi gratia conuenit fortitudini, quòd laudanda sit, ergo fortis laudandus est, & ex fortitudine agere laudandum.

Secunda, priori opposita, cui non competit vnum coniugatorum, eidem reliqua conuenire nequeunt exempli gratia, non conuenit timiditati quòd laudanda sit, ergo nec timidus laudandus est, nec ex timiditate agere laudandum.

Tertia, si coniugatum non est proprietas coniugati, nec alterum coniugatum erit proprietas alterius coniugati, hæc maxima in problemate proprij allata est, ibique exemplo illustrata.

ARTICVLVS DECIMVS TERTIVS.

De Locis ex toto, & partibus desumptis,

TOtum triplex, essentiale, vt homo quatenus ex anima & corpore componitur, integrale, vt corpus humanum, quatenus capite, brachiis, & aliis partibus coalescit.

Potentiale denique, seu vniuersale quod multas

partes

partes ſubiectiuas continet, vt homo ſingulos homines in particulari. Hoc poſito de toto eſſentiali, & partibus eſſentialibus, hæc ſit.

Prima maxima, poſito toto eſſentiali neceſſariò ponũtur omnes partes eſſentiales: verbi gratia poſito homine, anima & corpus.

Secunda, ſublato toto eſſentiali neceſſariò diſſoluuntur partes, non tamen neceſſariò corrumpuntur: exempli gratia, ſublato Petro diſſoluuntur anima & corpus, non tamen corrumpuntur, cùm tam materia ſit incorruptibilis, quàm anima.

Tertia, ſublata vna parte eſſentiali tollitur totum eſſentiale, verbi gratia, ſublata anima tollitur homo.

Quarta, quæ eſt prima à toto integrali, & partibus integrantibus: poſito toto integrali perfecto, omnes integrales partes ponuntur.

Quinta, poſitis omnibus partibus integrantibus totum integrale neceſſariò ponitur.

Sexta, ſublata aliqua parte integrali, non tollitur totum integrale abſolutè, verbi gratia, ſublato oculo, vel manu, non ſtatim abſolutè tollitur humanum corpus.

Septima, ſublata potiſſima parte totius integralis ipſum quoque totum tollitur, verbi gratia, ſublato capite, non manet ampliùs humanũ corpus.

Octaua maxima, & prima, à toto vniuerſali, & partibus ſubiectiuis: poſito vniuerſali actualiter, nõ ponuntur neceſſariò omnes eius partes ſubiectiuę: exempli cauſa, poſito homine omnes particulares homines, quia ſpecies in vnico indiuiduo, ſicut & genus in vnica ſpecie conſeruari poteſt, vt diximus agendo de genere.

Nona, poſito actualiter toto vniuerſali, ponitur

necessariò aliqua pars subiectiua eius: exẽpli gratia, posito actualiter homine, *Petrus, Paulus*, vel aliquis alius particularis homo ponitur. Ratio est, quia totum vniuersale non existit extra sua inferiora.

Postrema, sublato actualiter toto vniuersali, tolluntur etiam omnes eius partes subiectiuæ: verbi gratia, si tollatur animal, omnes eius species, & indiuidua tollantur necesse est.

ARTICVLVS DECIMVS.

De locis à circumstantiis.

CIrcumstantiarum loci à Cicerone dicuntur adiuncti, eo quod circumstantiæ rebus ipsis adiungantur. Illas autem in moralibus numerauimus personam, vel potiùs personæ qualitatem, quantitatem rei, locum, tempus, & alias de quibus in particulari licet plurimæ maximæ assignari possint, omnes tamen illæ hac generali continentur. Vnica maxima, quales sunt circumstantiæ, talem verisimile est rem esse: verbi gratia si puer aliquis probè fuerit educatus, verisimile est ipsum probum esse futurum. Consule quæ de circumstantiis actionũ humanarum in Moralibus diximus, & pronunciata ibi tradita collige.

QVÆSTIO SECVNDA.

De locis inartificiosis, seu assumptis.

LOci assumpti, seu inartificiosi illi ex prædictis dicuntur, qui non ex ipsa re, & quæstione, quæ tractatur, desumuntur, vnde assumpti quasi ab alio sumpti dicuntur, nec per artem fiunt, vnde inartifi-

ciosi nuncupantur; sed aliundè petuntur, nimirum à testimonio, & authoritate, siue diuina, siue humana: locus ab authoritate diuina, hac præsertim maxima continetur: quod diuino testimonio tenetur; firmiter, & absque hæsitatione tenendum est.

Si quæras quomodo constet aliquid diuino teneri testimonio. Respondeo illud esse quod ex sacris litteris veteris ac noui Testamenti, Apostolorũ traditionibus, & œcumenicorum conciliorum statutis, communique Ecclesiæ consensu habetur.

Locus verò ab authoritate humana duplici maxima comprehenditur: prima, loquendum vt multi; secunda, sapiendum vt pauci, vel in verborum vsu communis consuetudo seruanda: in proferenda verò sententia sapientum iudicio standum.

Porrò hi loci cum artificiosis ita comparantur, vt artificiosi, vt potè rationibus innixi, rem, vel necessariam, vel probabilem faciant, prout rationes fuerunt necessariæ, vel probabiles, adeóque cogant, vt consentire nolentem stoliditatis cõuincant; hi verò nempe inartificiosi de re fidem faciant, siue diuinâ; si sint à diuino testimonio, siue humanâ, si tantùm ab humana authoritate fuerint, proindeque temeritatis & arrogantiæ repugnantem arguant.

Quæres quo fine Aristoteles acturus de syllogismo probabili in tradendis generalibus maximis totum ferè topicorum opus insinuat, & cur nos hac in re Aristotelem sequimur.

Respondeo institutum Aristotelis nũquam sufficienter posse laudari, cùm enim generalia illa pronuntiata, quæ suo ordine retulimus, profert, materiam suppeditat omnem ferè quæstionem in vtrãque partem agitandi: exempli gratia cùm profert maximas definitionis, (& idem de aliis dicito)

præbet materiam tractandi in vtramque partem quæstionem, quæ de definitione alicuius rei, sitne bona, necne, moueri posset: nam si bonam esse contendas habes vnde possis id ostendere, demonstrando omnes conditiones legitimæ definitionis illi cōpetere: eandem vis tanquam illegitimam impugnare, præsto occurret tibi modus ostendēdo aliquam ex requisitis conditionibus illi deesse. Hinc quia faciliùs videtur demonstrari vnam conditionem definitioni deesse, quàm probare illi adesse omnes, Aristoteles septimo libro Topicorum cōferens problemata inter se, docet problema definitionis faciliùs impugnari, quàm probari.

Cæterùm non est quòd aliquam operam ponamus in iis quę tertio libro continentur, cùm in illis tantùm doceat Aristoteles, quæ communi vsu & exercitatione comperta sunt, nimirum quomodo ad Syllogismi partes respondendum, scilicet concedendo, vel negando, vel distinguendo propositiones, vel dicendo *transeat*, *esto*, si propositio non videatur ad propositum. Addo, quòd vltimum effugium est, & sanè turpe, negando syllogismi formam, licet bona sit, quando nimirùm vrgebit argumentum, vt famæ consulatur.

Item, quo modo amplificanda sit oratio, & illustranda nimirum inductionibus, diuisionibus, similitudinibus & exemplis, non quidem ex triuio ductis sed exquisitis: quæ quidem omnia exercitatis in arte disputandi, nulli ampliùs vsui esse possunt. Hæc de Syllogismo probabili, seu topico.

DISPVTATIO TERTIA. ET POSTREMA.

De Syllogiſmo Sophiſtico.

VT ſupra in ſyllogiſmo topico, ſic hîc in ſophiſtico faciendum. Dicendũ videlicet breuiter quid ſit, priuſquam varias ſophiſtarum fallacias detegamus, quod nobis præcipuum intentum erit in hac tertia diſputatione.

Syllogiſmus igitur ſophiſticus dicitur ratiocinatio conſtans præmiſſis nullius, ſed fucatę tãtùm & apparentis veritatis, ſiue illæ neceſſariæ, ſiue probabiles apparent. Prioris ſyllogiſmi exemplum ſit: *Omnes lineæ ductæ ab eodem puncto ad idem punctum inter ſe ſunt æquales. Atqui linea recta & linea curua ab eodem puncto ad idem ducuntur: ergo ſunt æquales.* Et hic ſyllogiſmus vt expreſsè in Compendio notauimus, vocatur *pſeudographus, ſeu falſigraphus*, eo quòd procedat ex principio geometriæ malè intellecto, *omnes lineæ ductæ, &c.* Quod quidem principium licet neceſſarium appareat, non eſt tamen ſine diſtinctione admittendum; *omnes lineæ ab eodem puncto ad idem ductæ ſunt æquales*, ſi eodem modo, ſcilicet per viam rectam ducantur, non autem ſi vna rectâ ducatur, altera obliquè, vt in illato ſyllogiſmo accipitur.

Poſterioris verò ſyllogiſmi; ſcilicet, qui conſtat tantum propoſitionibus apparenter probabilibus exemplũ eſto: *Quidquid pedes habet mouetur: Atqui montes habent pedes. ergo mõtes mouentur*: maior enim propoſitio non neceſſaria, ſed tãtùm probabilis apparet. Hęc dicta ſint de natura ſyllogiſmi ſophiſtici, relinquitur vt varios Sophiſtarũ fines aperiam*,

eorumque captiones diluamus, tùm demum quæ circa propositiones considerari possunt, & malè intellecta in fraudem facilè trahunt, vt sunt *ampliatio, restrictio, status distractio*, & alia id genus explicentur.

SECTIO PRIMA.

Huius disputationis de vario fine & captionibus Sophistarum.

QVÆSTIO PRIMA.

De fine, & captionibus Sophistarum vniuersim.

CVm totus sit malignâ suâ parte sophista, vt incautos in errorem inducat, ideo multis modis ad id consequendum incidit. Primò mentitur, nam fidem suę integritatis testem implorat, scholam totam testatur, se multum iactat, impetuosè irruit in aduersarium, celeritatem maximam adhibet in suis interrogationibus, aduersarium ad iram prouocat, implicat omnia, & quid sibi velit non satis significat. Hæc quidem omnia facit, primò, vt rumusculos populares consequatur: deinde vt aduersarium inturbet ne verum possit discernere, & illum in inuidiam trahat, Quinque autem solent numerari fines sophistarum.

Primus dicitur reprehensio, quando sophista cogit respondentem fateri quod negauerat, aut è contra negare quod priùs concesserat: exempli gratia admittere hanc propositionem priùs negatam, *Sydus est latrabile*, hac sophistica argumentatione, *omnis canis est latrabilis, aliquod sydus est canis: ergo aliquod sydus est latrabile.* Sophisma dissoluetur, vel negatione maioris, vel illius distinctione, eam concedendo de cane domestico, & terrestri, non autem de aliis qui per homonymiam dicuntur canes.

Secundus finis Sophistarum vocatur falsum, quando Sophista conatur eò respondentem adducere, vt aliquid falsi admittat: exempli gratia hanc propositionem, *pratum virens, & amœnum est homo*, hoc captioso Syllogismo, *quidquid ridet est homo: pratum virens, & amœnum ridet, ergo pratum virens & amœnum est homo.*

Soluetur Sophisma, si negetur maior simpliciter, vel distinguatur: de risu propriè sumpto concedatur, de eodem verò impropriè simul & metaphoricè accepto negetur.

Tertius finis dicitur inopinabile, quando Sophista adeò premit respondentem, vt aliquid fateatur, quod licet absolutè non sit falsum, à communi tamen opinione abhorret, *vt veritatem non parere odium*, hac fallaci ratiocinatione: *Nullum bonum parit malum, veritas est aliquod bonum, odium verò malum, ergo veritas non parit odium.*

Solues Sophisma distinguendo maiorem, bonum non parit malũ per se, concedo, per accidens, nego, & sic, concessa minori cum eadem distinctione respondendo ad consequentiam, veritatem non parere per se odium, sed tamen per accidens.

Quartus finis est inutilis nugatio, quando eadem vox sine necessitate repetitur, vt si quis ita argumẽtaretur. *Omnis habitus est bonus qui habet bonum finem, hic habitus est habitus, qui habet bonum finem, ergo hic habitus est habitus bonus.*

Hoc Sophisma vt fugias, vocabulum bis positum inter resumendum argumentum, semel duntaxat vsurpes.

Postremus finis est *solecismus*, quando malignè Sophista cogit respondentem committere solecismum, vt inde rideatur, vt si quis hanc in modum

ratiocinaretur, *Omnis homo est corporeus, mulier est homo: ergo mulier est corporeus.* Fallaciam aperies, si quod Grammaticis notum est, docueris hominem esse communis generis, & sumi in masculino, & fœminino genere.

Cæterùm, vt hos omnes fines consequantur Sophistæ, certa quædam habent receptacula: ex quibus captiones suas possint depromere: hinc locorum sex à vocibus desumuntur, *homonymia, amphibologia, compositio, diuisio, accentus, & figura dictionis*: Septem ex rebus ipsis repetuntur, & dicuntur extra dictionem: *Fallacia accidentis, fallacia à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter, ignorantia elenchi, seu reprehensionis petitio principij, fallacia consequentis, non causa pro causa, & multiplex interrogatio vt vna.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De Captionibus in particulari.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Captionibus quæ in dictione, & voce reperiuntur.

PRima Captio oritur ex homonymia, sub qua comprehenditur omnis fallax argumentatio quæ fucum facit, ob multiplicem acceptionem alicuius termini. Exempla iam in duobus prioribus sophistarum finibus allata sunt. Tertium adiungo exemplum. *Omne animal est genus, omnis homo est animal: ergo omnis homo est genus.*

Captio oritur ex eo quòd multipliciter vsurpetur animal in maiori secundo intentionaliter pro *genereitate*: In minori verò primo intentionaliter pro natura, & essentia animalis. Itaque vt hoc sophisma declinare possis, adhibe distinctionem

ad minorem, *homo eſt animal*, ſi animal ſumatur primò intentionaliter, verum eſt, ſi ſecundò intentionaliter, falſum.

Secunda captio eſt amphibologia, quando aliqua propoſitio duplicem patitur interpretationem, vt quidquid intellectus intelligit, hoc intelligit, atqui intellectus intelligit lapidem : ergo lapis intelligit.

Oritur captio, ex eo quòd maior propoſitio bifariam accipiatur, vel enim ſenſus eſt, quod intellectus intelligit, hoc ipſum intelligi ab intellectu, & tunc vera eſt, & concedenda propoſitio; vel ſenſus eſt, quod intelligitur ab intellectu illud ipſum intelligere, & eo modo falſa eſt, & neganda, ſicque aperta relinquitur ſolutio ſophiſmatis.

Tertia captio eſt compoſitionis, quod ea quæ non ſunt vera niſi diuiſa, coniunctim accipiuntur, vt *Poſſibile eſt ſedentem ambulare ſed præceptor docens ſedet in cathedra: ergo ſedens in cathedra poteſt ambulare.*

Oritur captio ex maiori, itaque illam diſtingue ſedens poteſt ambulare, in ſenſu diuiſo, hoc eſt, ſupponendo quòd non ſedeat, concedo, in ſenſu compoſito ſeu ſupponendo ſedentem, nego.

Quarta captio ſuperiori oppoſita eſt, diuiſionis, quando ea quæ non ſunt vera niſi coniuncta, diſtributiuè accipiuntur, vt duo & tria ſunt par, & impar: quinarius numerus eſt duo, & tria ergo quinarius numerus eſt par & impar.

Oritur captio eo quòd quinarius numerus, quaſi in ſe diuiſus accipiatur pro binario, & ternario, vt dicatur par, & impar, cum tamen coniunctus accipi debeat pro ſolo numero, qui vocatur quinarius, eſtque tantùm impar.

Quinta captio est accentus, quādo terminus pro diuerso accentu diuersimodè accipitur, vt *quidquid habet leporem, fame perire non potest*, virtus omnis habet leporem: ergo virtus fame perire non potest.

Captio oritur ex diuersa huius termini, *leporem*, significatione, qui vt est breuis in secunda syllaba significat animal quoddam: vt verò in eadem longus, pulchritudinem exhibet. Vis igitur sophisma diluere allati termini, duplicem sensum prudenter distingue.

Postrema captio oritur à figura dictionis, quando propter variam vocis significationem, fit transitus ab vno genere ad aliud, vt, *quod emisti, comedisti, emisti carnes crudas: ergo comedisti carnes crudas.*

Captio oritur ex ambiguitate huius vocis, *quod*, quæ quidem vox in maiori supponit tantùm pro carnibus, vt substantiæ sunt, & non vt sunt affectæ qualitate cruditatis.

Itaque solues sophisma si maiorem concesseris secundùm substantiam, *quod emisti comedisti*, secundùm verò qualitatem cruditatis negaueris, dixerisque, transitum fuisse factum à genere substantiæ ad genus qualitatis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Captionibus quæ in rebus consistunt.

PRima est accidentis cùm redditur causa per accidens pro causa per se, vt, *Quod inter ciues, lites & iurgia excitat è republica exterminandum est: vinum est eiusmodi, ergò vinum è republica exterminandum est.*

Solues Sophisma si concedas maiorem de causa

per ſe, neges vero de cauſa per accidens, ſicque ad minorem dicas, vinum lites & iurgia inter ciues excitare non per ſe, ſed per accidens, vitio ſcilicet bibentsi.

Secunda captio dicitur à dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter, vt *Ariſtoteles eſt magnus philoſophus, ergo ſimpliciter eſt magnus.* Solues ſophiſma negando conſequentiam, quia procedit à dicto ſecundùm quid, nempe à magno philoſopho, ad magnum ſimpliciter & abſolutè.

Tertia captio vocatur ignorantia reprehenſionis, ſeu Elenchi, quando ſophiſta cogit reſpondentem ignarum admittere aliquam propoſitionem, tanquam contradictoriam, quæ tamen reipſa nullam inuoluit contradictionem, vt ſi quis inferat: *Petrus eſt paruus reſpectu montis: magnus verò reſpectu muſcæ, ergo eſt paruus & magnus.*

Solues ſophiſma concedendo totum argumentū, & contendēdo nullam eſſe contradictionem, quod Petrus ſit paruus, & magnus diuerſo reſpectu, montis ſcilicet & muſcæ.

Quarta captio vocatur petitio principij, quando ſophiſta idem ad probationem eiuſdem, mutatis tantum verbis aſſumit, vt ſi probaret animam humanam eſſe immortalem, quia non extinguitur extincto corpore.

Soluitur negatione principij, quod repetitur, & dicendo idem per idem eſſe probatum.

Quinta captio eſt cōſequentiæ, quæ bifariā contingit. Primò, cùm ex poſitione conſequentis inferimus poſitionē antecedentis, vt ex poſitione animalis poſitionē hominis: ſecundò, quando ex negatione antecedentis infertur negatio conſequētis, vt ex negatione hominis, negatio animalis. Sophiſma

vt ſoluas opus eſt ſola reprehenſione argumentationis, vt potè conſequentis vitio laborantis.

Sexta captio dicitur *non cauſa pro cauſa*, quando aliquid pro cauſa aſſignatur, quod tamen cauſa non eſt, vt ſi quis impiè vellet impugnare Sacerdotium, eo quòd nonnulli Sacerdotes malè viuant, is enim pro cauſa inordinatæ vitæ Sacerdotium aſſignaret, quod tamen illius cauſa non eſt.

Solue ſophiſma negando conſequentiam, eo quòd non cauſam pro cauſa afferat.

Poſtrema captio eſt multiplex interrogatio vt vna, vt ſi quærat Sophiſta, *eſt ne fortis, an timidus?* ſi enim affirmatiuè reſpondeas, inſtat Sophiſta: ergo eſt timidus: ſi negatiuè, vrget ſimiliter: ergo non eſt fortis.

Hoc ſophiſma ſicut alia plura quæ ſunt eiuſdem generis, ſolues, ſi ſingulas petitionis partes prudenter diſtinxeris, & proprias reſponſiones aſſignaueris.

SECTIO POSTERIOR.

De ſuppoſitione, ſtatu, diſtractione, ampliatione, reſtrictione, alienatione, & appellatione, terminorum.

PRæbuit occaſionem agendi de iis omnibus terminorum affectionibus Ariſtoteles primi Elenchorum capite primo, cùm ex vario vſu hominum captionem oriri doceat; ſed vt clariùs, & diſtinctiùs procedamus ſingulas illas terminorum affectiones breuiter percurremus ſequentibus quæſtionibus.

QVÆSTIO PRIMA.

De Suppositione Terminorum.

SVppositio termini hîc accipitur pro vsurpatione nominis ad rem aliquã significandã quo sensu nomẽ hominis dicitur supponere pro natura humana, quia ad illam significandam ab imponẽte ordinatum est. Generatim illa suppositio termini duplex, vna moralis quando vox pro seipsa accipitur, vt cũ dico, *equus est nomen*, terminus enim ille *equus* pro seipso, & non pro natura equi accipitur.

Altera formalis, quando terminus pro re, quam significat vsurpatur, vt cum dicis *equus est animal*, sic enim equum accipis pro ipsa equi natura, cui conuenit animalitas, & pro aliqua voce tantùm.

Rursus formalis suppositio, alia propria, alia impropria. Propria, cũ terminus accipitur pro re, quã propriè significat, vt terminus ille *equus* pro natura equi: impropria, quando terminus non vsurpatur pro re, quam propriè significat, sed pro alia, ob aliquam similitudinem, quam habet cùm illa: exempli gratia in hac propositione, *Vicit Leo de tribu Iuda*, terminus ille *Leo*, supponit impropria suppositione formali, quia non accipitur pro natura leonina, quam propriè significat, sed pro Christo Domino ob aliquam similitudinem, quam habet cum Leone, de qua oriuntur termini positiui.

Tertiò diuiditur suppositio in *simplicẽ personalem, & absolutam* Simplex dicitur cum nomen significat illud ad quod immediatè significandum ordinatum est, vt cùm dicis in hac propositione, *homo est species*, nam hic sumitur tantũ *homo* pro homine in cõmuni, non autem pro particularibus hominibus,

cùm species esse nequeant.

Personalis suppositio dicitur cùm vox non accipitur pro immediato suo significato, sed pro mediatis, vel aliquo mediatorum: exempli gratia huius vocis *homo*, immediatum significatũ est natura humana in communi, mediata sunt, *Petrus*, *Paulus*, & alia omnia humanæ naturæ indiuidua: Quando igitur nomen hominis non accipitur pro homine in cõmuni, sed pro eius indiuiduis, vel eorum aliquot, tunc dicitur esse suppositio personalis, qualis cernitur in hac propositione *aliquis homo ludit*, quia tunc homo non supponit, aut accipitur pro homine in communi, sed pro aliquo in particulari.

Absoluta denique suppositio est, cùm nomen accipitur, & pro immediato, & pro mediatis significatis, vt si hoc sumatur pro homine in communi, & singulis hominibus, vt in hac propositione, *homo est animal*, quia sensus non est, hominem tantum in communi esse animal, aut sola eius indiuidua, sed hominem in communi, & omnia eius indiuidua esse animalia.

Porrò vt à posteriori dignoscamus, quandonam suppositio vel simplex, vel personalis, vel absoluta sit, hæc nota assignanda est, si attributum quod cõiungitur cum voce communi non possit descẽdere ad inferiora huius vocis, tũc dicitur suppositio esse simplex, exempli gratia, quia species, quæ tanquam attributum nectitur cum homine, in hac propositione, *homo est species*, nequit descendere ad inferiora hominis, illa enim nõ sunt species, in tali propositione dicitur habere suppositionem simplicem: si autem attributum quod cõiungitur cum voce cõmuni non possit, quatenus communis est, competere, sed tantùm ratione alicuius inferioris sub ea

contenti, tunc dicitur ſuppoſitio perſonalis, qualem poſſumus deprehendere in allata propoſitione, *homo ludit*, quia *ludit*, ſeu *ludere*, homini in communi quatenus communis eſt, nequit congruere, ſed tantùm ratione alicuius particulis hominis, cui immediatè conuenit.

Denique ſi attributum quod copulatur cum voce communi, illi conueniat, quatenus communis eſt, & omnibus eius inferioribus, ſtatim dicendum eſt ſuppoſitionem eſſe abſolutam, vt in tradita propoſitione, *homo eſt animal*, quia animal homini in communi, & ſingulis hominibus optimo iure conuenit.

Hanc poſtremam ſuppoſitionem alij naturalem ſeu eſſentialem appellant, eo quòd attributũ quod cum verè communi connectitur, ſaltem vt plurimùm eſſentiale ſit. Duas verò priores ſuppoſitiones vocant accidentarias, quia attributum quod iungitur cum voce communi, non illi eſſentialiter, ſed accidentariò conuenit, vt homini eſſe ſpeciem, vel ludere: vnde primò diuidunt propriam ſuppoſitionem formalem in naturalem quam nos abſolutam vocauimus, & accidentariam: Deinde accidentariam diuidunt in ſimplicem & perſonalem, quæ poſterior cum particulari videtur coincidere, ſicut aliæ duæ ſimplex & abſoluta ſub nomine communis ſuppoſitionis comprehendi poſſunt.

Quarta ſuppoſitionis diuiſio fit in multa membra, in diſtributiuam, collectiuam, determinatam, & confuſam.

Diſtributiua dicitur cùm terminus communis accipitur pro omnibus mediatis ſignificatis, ſcilicet inferiorib⁹, vt in hac propoſitione, *homo eſt animal*, Suppoſitio eſt diſtributiua huius vocis *hominis*, quia

ſupponit pro ſingulis hominibus ſeorſim ſumptis, ita vt ſit ſenſus, Petrus eſt animal, Paulus eſt animal & ſic de cæteris.

Hæc ſuppoſitio triplex, vna dicitur *pro ſingulis generum*, quando terminus genericus ſupponit pro omnibus ſpeciebus, & ſpecierum indiuiduis, vt *animal* pro omnibus ſuis ſpeciebus, & ſpecierum indiuiduis, in hac propoſitione *animal eſt viuens*.

Secunda dicitur, *pro generibus ſingulorum*, quando terminus vniuerſalis non ſupponit niſi pro ſpeciebus ſuis, non autem pro indiuiduis, ſicut in hac propoſitione, *omne animal fuit in arca Noë*, animal diſtribuitur pro generibus ſingulorum, quia pro ſolis ſuis ſpeciebus accipitur; non autem pro indiuiduis omnibus ipſarum ſpecierum.

Tertia eſt, quando terminus vniuerſalis ſupponit quidem pro multis ſingularibus, ad omnia tamen non extenditur: vt cum dicimus *cœlum omnia tegit*, terminus ille, *omnia*, ſupponit quidem pro multis; his nimirum, quæ ambitu cœli continentur, non tamen pro omnibus, quia ſeipſum tegere non dicitur.

Suppoſitio autem collectiua eſt, quando terminus communis pro multis collectiuè ſumptis accipitur, vt cum dicimus *Apoſtolos eſſe duodecim*, terminus ille *Apoſtolos*, pro omnibus aggregatim vſurpatur.

Suppoſitio determinata eſt, cùm aliquis terminus ſupponitur pro vnico eoque determinato ſingulari, vt in illa propoſitione, *Philoſophus aliquis octo libros de natura conſcripſit*, Philoſophus ſupponit pro certo & determinato homine, ſcilicet Ariſtotele qui hos de natura libros in lucem edidit.

Denique ſuppoſitio confuſa eſt, quando terminus

minus ſupponit pro aliquo quodam ſingulari, ſed pro incerto & indeterminato, vt in iſta propoſitione: *Oculus eſt ad vidēdum neceſſarius*, oculus ſupponit pro aliquo oculorum, quis tamen ſit, an dexter, an ſiniſter, non determinatur.

QVÆSTIO SECVNDA.

De ſtatu Terminorum.

STatus alicuius termini dicitur perfectus, quando accipitur pro omnibus illis quæ exiſtunt in illa temporis differentia, quæ per verbum principale, hoc eſt, copulam verbalem attributum cum ſubiecto connectentem conſignificatur: exempli gratia, cū formatur hæc propoſitio, *homo ridet*, homo dicitur habere ſtatum perfectū, ſi ſupponat pro omni homine qui exiſtit in tēpore præſenti, quod ſignificatur per verbum principale, nempe ridet.

Status termini triplex, pro triplici temporis differentia, quæ per verbum principale ſignificatur.

Primus eſt temporis præſentis, vt, *qui ſedet ſcribit*.

Secundus eſt tēporis præteriti, vt, *qui ſedit ſcripſit*.

Tertius temporis futuri, vt, *qui ſedebit ſcribet*: qui omnes ſtatus eodem modo explicandi ſunt, quo ſtatus temporis præſentis à nobis expoſitus eſt.

QVÆSTIO TERTIA.

De diſtractione Terminorum.

DIſtractio termini eius ſtatui opponitur, quia ſtatus dicitur cùm terminus accipitur pro illo tempore, quod per verbum principale cōſignificatur: diſtractio verò, quando terminus diſtrahitur à tempore, quod per verbum principale ſignificatur, ſeu non ſumitur pro illo tempore, quod per verbū principale conſignificatur, ſed ad aliud traducitur:

exempli loco ponantur istæ propositiones, quæ habentur apud Matthæum, *cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant*, in quibus propositionibus termini illi *cæci surdi, claudi*, accipiuntur in tempore præterito, vt sit sensus, qui cæci erant vident nunc, qui surdi, audiunt, & qui claudi, ambulant: quamquã tamen verba principalia vident, audiunt, & ambulant, consignificent tempus præsens.

QVÆSTIO QVARTA.

De Ampliatione terminorum.

Ampliatio terminorum dicitur cùm terminus ad alias tẽporis differentias extenditur, quàm quæ per verbum principale adsignificentur: exempli causa in ista propositione, *timidus erit audax*, ampliari dicitur illa vox, timidus, quia extenditur ad tempus præteritum & præsens. Sẽsus enim est, qui fuit timidus, & nunc est, futurus est audax, cùm tamen per verbum principale, *erit*, solùm futurum tempus consignificetur.

Ampliationis triplex species: Prima, quando terminus aliquis extenditur ad tempus præteritum, & præsens, vt in exemplo allato, timidus erit audax.

Secunda, quando sese extendit ad præteritum, præsens, & futurum, vt qui studet morietur, id est, qui studuit, studet nunc, & imposterùm studebit, morietur.

Tertia est, quando terminus extenditur ad præteritum, præsens, & futurum, & possibile, vt homo est animal, sensus enim est hominem qui fuit, nunc est, futurus est, & qui esse potest, esse animal.

Ad ampliationem refertur primò eadem propositio, in qua existentia possibilis enuntiatur de subiecto, vt, *homo potest existere*: siquidem cum ibi ver-

bum principale, poteſt, ſeu eſt potens, ſignificet tā-tùm præſens tempus, extenditur tamen hominis ſignificatio ad futurum, & poſſibile; vt ſit ſenſus, homo qui futurus eſt, & qui tantùm poſſibilis eſt, licet de facto futurus non ſit, poteſt exiſtere.

Ad eandem ampliationem ſecundò refertur iſta propoſitio, in qua negatur poſſibilis exiſtentia realis de chimera, vt cùm dicitur, *chimæra nō poteſt realiter exiſtere*: nam cùm verbum principale, poteſt, deſignet tantùm tempus præſens, in hac propoſitione complectitur præſens, præteritum, futurum, & poſſibile: quia ſenſus eſt, chimera non poteſt, nō potuit, nec poterit vnquam realitèr exiſtere.

QVÆSTIO QVINTA.

De reſtrictione terminorum.

Reſtrictio termini dicitur, cùm ratione alicuius particulæ prædictæ à fuſiori ſignificatione ad anguſtiorem reſtringitur, vt videre eſt in hac propoſitione *homo iuſtus eſt Deo gratus*, huius enim particulæ, *iuſtus*, ad hominē additione, *homo* qui poterit ſignificare omnem hominem in tempore præſenti exiſtentem, ita reſtringitur vt non poſſit accipi niſi pro certis quibuſdam hominibus, quos Deus ſuâ gratiâ iuſtificauit.

Cæterùm pro diuerſitate illarum particularum, quæ termino communi aduenientes illum poſſunt ad anguſtiorem ſignificationem reſtringere, multifariam dicitur contingere termini reſtrictio: vnde ad illam ſpectat iſta ſatis ambigua propoſitio, *homo qui nec fuit, nec eſt, nec futurus eſt, poteſt exiſtere*, quia cùm homo poſſet ſupponere pro omnib. hominib. qui fuerunt, nunc ſunt, & futuri ſunt, & ſunt tantū poſſibiles, attamen additione iſtarum particularum

nec fuit,nec est,nec erit,restringitur ad homines illos significandos qui sunt duntaxat possibiles.

QVÆSTIO SEXTA.

De alienatione Terminorum.

ALienari dicitur terminus, cùm additione alicui⁹ particulæ à propria significatione ad impropriam,& æquiuocam transfertur, quo sensu in hac propositione,*homo mortuus iacet*, terminus ille *homo*, dicitur alienari, quia per additionem illius particulæ,mortuus,à significatione hominis viui sibi propria,transfertur ad significandū cadauer inanime,eodem pacto *homo* alienatur in hac propositione,*homo pictus erigitur*,quia illius particulæ additione,*pictus*,transfertur hominis significatio ad hominem pictum,cùm tamen debeat ex vi suæ impositionis viui hominis naturam significare.

QVÆSTIO SEPTIMA. ET POSTREMA.

De Appellatione Terminorum.

APpellatio terminorum dicitur, cùm vnus alteri suam significationem impertit;tribuens eiusmodi significationem,*appellans*, seu *denominans* dicitur:res verò illa,cui tribuitur,seu applicatur significatio *appellata*,seu *denominata* vocitatur:res tota exēplo illustratur:quando formamus hanc propositionem,*Cæsar est magnus Imperator*;vox illa *magnus* tribuit suam significationem alteri,scilicet *Imperatori*,quia significamus magnitudinem Imperatoris Cæsaris in Cæsare; propterea *magnus* dicitur *terminus appellans*, seu *denominans*, *Imperator* vero *appellatus*,seu *denominat⁹*.Et hæc satis de toto syllo-

gismo sophistico.

Appendix generalis ad vniuersam Dialecticam de instrumentis sciendi.

SCientiarum omnium effectrix Dialectica, vt finem suum consequatur, plurimùm intenta est in fabricandis differendi modis, sciendique instrumentis: antequam ergo nostro muneri satis fecisse, & absolutum Dialecticę opus reliquisse videamur, quædam speciatim & generatim de illis sciendi instrumentis breuiter aperienda nobis sunt.

Prior sectio huius Appendicis, de instrumentis sciendi in communi.

QVÆSTIO PRIMA.

De Nomine.

QVemadmodum in arte pingēdi penicillus dicitur instrumentum, quia à pictore assumitur ad depingendam imaginem: ita etiam instrumentū sciendi illud appellatur, quod ab intellectu assumitur ad scientiarū opera ritè, & fœliciter exequenda.

Rursus, cùm scientia bifariàm vsurpetur, latè pro qualibet cognitione, & præcisè seu propriè pro sola cognitione certa, & euidenti, instrumentum sciendi bifariàm sumi potest.

Primò, fusè pro instrumento cognoscendi quocumque modo.

Secundò, pro instrumento sciendi, hoc est, rem certò & euidenter cognoscendi.

Prætereà cum cognitio certa & euidens, quæ aliter scientifica dicitur, dupliciter accipiatur.

Primò, pro illa cognitione certa, & euidenti quæ per causam comparatur.

Secundò, latius pro quacumque cognitione certa & euidenti rei alicuius, siue per propriam causam, siue non: Sic etiam instrumentum sciendi, hoc est certò & euidenter rem cognoscendi, duplici modo sumi potest. Primò strictè pro solo instrumento sciendi per causam: Secundò latiùs, pro quolibet instrumento sciendi, siue per causam, siue non.

QVÆSTIO SECVNDA.

De existentia instrumenti sciendi.

DAri instrumentum sciendi probat communis Philosophorum consensus, euincit eorum necessitas ad omnes scientias comparandas, testatur eorum vsus in omni scientiarum & disciplinarum genere. Quæstio tantùm est de eorum numero, quæ vt dissoluatur.

Distinctione vtendum est: si accipiatur instrumentũ sciendi pro quolibet instrumento cognoscendi, arridet illa sententia quæ quatuor instrumẽta sciendi statuit definitionem, diuisionem, argumentationẽ, & methodum, quia illis omnibus tanquam instrumentis vtitur intellectus ad rerum veritatem commodius percipiẽdam, definitione quidem, vt aperiat propriam rei quidditatem & essentiam: diuisione, vt totius partes explicet: argumentatione, qua rerum affectiones per causas, vel causas per effectus oculis subiiciat: methodo denique qua res cognoscendas conuenienter disponat; vnde & vocatur mater perspicuitatis.

Si verò accipiatur instrumentum sciendi pro instrumento rem certò, & euidenter cognoscendi quacumque ratione, satis placet eorum sententia, qui tria tantum instrumenta sciendi constituunt

definitionem, diuisionem, & argumentationẽ analyticam, seu demonstrationem, methodum verò reiiciunt, quia non est id quo rem certò & euidenter cognoscimus, sed potius apta earum dispositio rerum, quæ à nobis cognoscuntur.

Tertiò, si instrumentum sciendi accipiatur pro instrumento rem certò, & euidenter per causam cognoscendi, eorum approbatur sentẽtia, qui illud vnicum admittunt, nempe demonstrationem, quia eius tantum beneficio, vel essentiam, per effectum, & proprietatem tanquam per *causam cognitionis*, vel effectum, & proprietatem per essentiam tanquã per *causam* rei ostendimus. Per definitionem verò ostendimus nudam rei quidditatem, & per diuisionem totius partes explicamus.

QVÆSTIO TERTIA.

De essentia instrumenti sciendi.

POtest hoc modo instrumentum sciendi definiri *Instrumentum sciendi est actio mentis, quæ à notioribus nos promouet ad obscuriora certò & euidenter cognoscenda.*

Dicitur primè *actio mentis*, quia illa instrumenta quibus intellectus insistit ad veritatis cognitionem percipiendam, reuera sunt actiones mentis, nempe definitio, diuisio, & argumentatio.

Dicitur secundò *nos promouens à notioribus ad obscuriora,* quia beneficio horum sciendi instrumentorum vno cognito progredimur ad cognitionem alterius, verbi gratia, cognito rationali ad cognitionem risibilis, aut è contra.

Denique additur *certò, & euidenter,* ad distinctionem illorum instrumentorum, quibus cognitio aliqua incerta & fallibilis comparatur.

QVÆSTIO QVARTA.
De affectionibus instrumentorum sciendi.

HIc duntaxat operæ pretium est conferre inter se instrumenta sciendi, & debitum honoris gradum cuilibet assignare.

Recentiores aliqui tribuunt primas definitioni: secundùm dignitatis gradum demonstrationi, postremum diuisioni concedunt. Probabilius tamen videntur sentire Philoponus, Ammonius, Simplicius, & alij, demonstrationem definitioni esse præferendam, tum quia maior est eius vsus in omni intellectus negotio, tũ quia & essentiã per effectum, ac proprietatem, & vice versa proprietatem per essentiam aperit, ideoque magis intellectui satisfacit quam definitio, quæ solum nudam rei quidditatem manifestat: Tum denique quia definitio etiam refertur ad demonstrationem, tanquam eius pars, & medium potissimum: proindéque ea inferior esse debet, cum omnis pars sit ignobilior toto.

Nec valet quod asserunt authores contrariæ sententiæ, digniorem esse cognitionem per definitionẽ partium, nempe nudam quidditatum, & essentiarũ notitiam, ipsa cognitione quæ per demonstrationẽ acquiritur: quia inquiunt, demonstratio ostendit tantum qualis res sit, & propter quid sit, non autem quid sit, sicut definitio ostendit. Non inquam hoc valet: Siquidem per demonstrationem non tantùm qualis sit res ostenditur, verum etiam quid sit, seu propria eius essentia aperitur, idque per principium aliquod nobis notius.

Obseruandum verò hic est, inter instrumenta sciendi alium esse statuendũ ordinem necessitatis, alium dignitatis. Hoc enim posteriori modo partes

primas tenet demonstratio; sequitur definitio, postrema est diuisio; è contra verò ordine necessitatis & doctrinæ, prima est diuisio, quam sequitur definitio, vltima est demonstratio.

Probatur, demonstratio saltem potissima supponit definitionem, tanquam medium: ergo definitione posterior est: definitio verò non datur de re in confuso, sed vbi solùm per diuisionem fuerunt explicatæ partes, & omnis obscuritas sublata: proindéque prærequirit diuisionem: ergo necessitatis, & doctrinæ ordine, prima est diuisio, secunda definitio, postrema demonstratio.

ALTERA SECTIO.

De Instrumentis sciendi in particulari.

DE Demonstratione nihil ampliùs dicendum, cùm fusissimè explanata fuerit suprà: de sola igitur definitione & diuisione, quæ sunt propria sciendi instrumenta, & de methodo quæ plurimùm ad scientiæ adeptionem confert, sigillatim, sed breuiter disserendum est.

QVÆSTIO PRIMA.

De diuisione.

SEquimur doctrinæ ordinem, & secundùm illum priùs de diuisione, quàm de definitione disputamus.

Propriè sumpta diuisio, nihil aliud est quàm distributio alicuius totius in suas partes, duplexque constituitur: *vna realis*, qua realiter totum in suas partes distribuitur, vt aceruus lapidum in omnes lapides, quibus conflatur.

Altera mentalis, qua totum solius intellectus be-

neficio in suas partes distribuitur, vt homo in Petrum, Paulum, & alios homines.

Rursus diuisio mentalis duplex, altera *formalis*, altera *obiectiua*.

Formalis est actio mentis totum aliquod in suas partes distribuentis.

Obiectiua vero est ipsum totum quod in suas partes diuiditur: Totum quidem ipsum quod diuiditur *diuisum*, partes verò in quas diuiditur, *diuidentia* seu diuisionis membra nuncupantur.

Tertiò, diuisio obiectiua alia est *nominis*, seu *vocis*, estque vox aliqua in sua significata distributa: Alia *rei*, & est natura aliqua quæ in suas partes secernitur, vt animal in hominem, & brutū. Vnde pro diuersitate totius realis, quòd diuidi potest, multiplex ista ponitur diuisio: Alia dicitur totius vniuersalis in partes subiectiuas, vt animalis in hominem, & brutum; Alia totius essentialis in partes essentiales, vt hominis in animam, & corpus: alia totius integrantis, vt corporis humani in caput, manus, pedes, & cæteras partes. Cęterùm hîc agendum duntaxat de diuisione mentali, quæ sic definiri potest: *Diuisio est actio mentis qua totum aptè & congruenter in suas partes diuiditur.* Dicitur primò, *actio mentis*, quod caret difficultate: An verò sit prima, vel secunda, pugna est: placet nonnullis ex modernis esse primam, sed probabilius est pertinere ad secundam.

Probatur, prima operatio mentis expers est omnis iudicij, omnisque affirmationis aut negationis: quia hæc omnia ad secundā operationem spectant: atqui in diuisione datur iudicium, datur item affirmatio: exempli gratia, quando diuidis animal in hominem & brutum, iudicas animal esse in homi-

ne, affirmasque animal aliud esse hominem, aliud esse brutum : igitur, diuisio ad primam operationem intellectus non potest pertinere, sed ad secundam.

Secundò dicitur, *qua aptè & conuenienter totum diuiditur in partes*, quia cum ordinata sit diuisio ad totius partes explicandas, quantum potest aptissimo modo ad efficiendum insistit. Quis autem sit ille aptus modus diuisionis, adhibitis legitimæ diuisionis legibus aperietur.

Prima est, vt membra diuidentia minus latè pateant seorsim sumpta quàm totum diuisum; aggregatim verò sumpta illud omnino adæquent, sic vt eo nec latiùs pateant, nec magis coarctentur, hinc bona est diuisio animalis in hominem, & brutum quia vel homo separatim sumptus, vel brutum seorsim sumptum, minus latè patet quàm animal, si tamen homo, & brutum aggregatim sumantur, æquè latè, ac ipsum animal patebunt.

Secunda lex est, vt numquam vnum membrum diuisionis contineatur in alio, & sic inepta est diuisio ista corporis humani in caput, frontem, aures & oculos, quia frons, aures, & oculi in capite continentur.

Tertia lex est, vt quantum fieri poterit diuisio fiat in immediata membra: & sic mala esset ista diuisio substantiæ in rationalem, & irrationalem, quia rationale, & irrationale sub substantia immediatè non continentur, sed sub animali.

Quarta lex est, vt in diuisione nihil sit superfluũ: & sic mala esset diuisio animalis in hominem, qui est aptus ad ratiocinandum, & brutum, quod rationis expers est, quia hæc quæ adduntur homini, & bruto inutilia sunt ad diuisionem.

Quinta est, vt assignetur per paucissima verba quantum fieri poterit.

Sexta, vt pariter quantùm fieri poterit membrũ positiuè exprimatur. Dixi quãtùm fieri poterit, interdum enim fit, vt tametsi membrum vnum diuisionis sit positiuum, positiuo tamẽ nomine careat, tantumque per negationem oppositi exprimatur, in quo casu cogimur vti nomine negatiuo in diuisione, vt cùm animal diuiditur in rationale, & irrationale, seu rationis expers.

QVÆSTIO SECVNDA.
De Definitione.

DEfinitio inde dicta est, quòd rem quibusdam quasi cancellis, & limitibus coërceat atque definiat: illa duplex est, vna *rei*, altera *nominis* : per priorem res, per posteriorem nomina definiuntur.

Definitio rei adhuc duplex, vna essentialis, alia accidẽtaria: essentialis dicitur quæ rem explicat per gradus essentiales, idque bifariàm, scilicet, aut assumendo gradum superiorem respondentem generi, & inferiorem vicem differentiæ gerentem, vt in ista substantiæ definitione, quæ communis est completæ & incompletæ *Substantia est ens per se subsistens*: ens enim est gradus superior respondẽs generi, per se subsistens verò inferior differentiæ respondens, aut assumendo ipsummet genus, & ipsammet differentiam, vt in ista definitione hominis, *homo est animal rationale*, genus enim hominis est animal, differentia verò rationale. Accidentaria è contra dicitur, quæ non explicat definitum per attributa essẽtialia: aliaq; dicitur negatiua, quæ traditur per negationem, vt *punctum est cuius pars nulla est*: alia positiua quæ per attributa positiua, licet non essentia-

lia exprimitur. Hæc rursus constituitur in duplici differentia, alia metaphorica dicitur, vt cùm intellectus definitur *animæ oculus*, & Logica, *humanæ mentis cynosura*. Alia propria quæ traditur per accidentia, siue propria, siue communia, non tamen metaphorica.

Ex his diuisionibus patet definitionis existētia, & non immeritò eam hac definitione expresseris.

Definitio est oratio rei naturam exprimens, vbi nomine *orationis* actio intellectus intelligi debet, quia definitio necessariò pertinet ad intellectum: non constat tamen ad quam actionem reuocari debeat: affirmant nonnulli ad primam spectare: alij eam ad secundam referunt, & nos cum illis concludimus, probamusque conclusionem.

Secunda operatio intellectus propriè dicitur, qua vnum de alio propriè affirmamus, vel negamus: atqui per definitionem vnum de altero affirmamus, vt de homine animal rationale, cùm ita definitur, homo est animal rationale: igitur definitio ad secundam mentis operationem spectat.

Obiicies, definitio est instrumentum quo dirigitur prima mentis operatio: ergo ad illam pertinet. Respondeo distinguendo consequentiam: definitio pertinet ad primam mentis operationem, tanquam instrumentum quo dirigitur, concedo: tanquam eius species nego, quo solùm sensu negamus ad primam mentis operationem definitionem pertinere.

Rursus obiicies, non potest assignari definitionis definitio, aliàs res in infinitum abiret: ergo malè definita est definitio.

Respondeo negando antecedens, cùm enim definitio habeat aliquam essentiam, optimè potest per

definitionem explicari, nec sequitur progressus in infinitum, cùm de hac definitione, per quam definitionis in communi essentia expressa est, nulla definitio tradi possit: quippe quæ sit singularis, nullum verò singulare definiri queat.

Leges autem legitimæ definitionis multæ sunt, sed omnes allatæ & explicatæ in Topicis ad Problema de definitione. Vnum superest, vt explicemus ad quænam sese extendat definitio.

Respondeo primò se extendere etiam ad entia rationis, si quidem cùm de illis detur scientia ex superioribus, nihil obstat quominus definiri possint.

Respondeo secundò se non extendere ad entia per accidens, quia hæc dicunt multas essentias, quas nemo potest vnica definitione complecti.

Respondeo tertiò ad æquiuoca, & analoga, vt sic, non extendi: quoniam pariter non dicunt vnicam essentiam, sed multiplicem, vt explicatum est in propriis locis.

Respondeo quartò non extendi ad singularia, quia definitio legitima de qua agimus, est tantùm de rebus necessariis: cuiusmodi non sunt singularia, vt alibi dictum est.

Respondeo sextò definitionem extendi ad entia per se vniuoca, & vniuersalia, quod sequitur ex superioribus.

QVÆSTIO TERTIA. ET POSTREMA.

De Methodo.

Methodus multis modis vsurpatur, primò pro quolibet ordine rei efficiendæ, secundò pro certa structura in rebus & verbis seruanda. Tertiò

pro vnaquaque arte. Quartò pro arte artium Dialectica, cuius est docendi leges methodosque præscribere.

Postremò pro ipsa coordinatione rerum, quæ in aliqua disciplina traduntur, ita vt quæ debent præcedere præcedant, subsequātur verò quæ sunt posteriora: & hæc methodus vocatur dispositionis: supponitque methodum inuentionis, sicut earum dispositio inuentionem necessariò prærequirit.

Rursus methodus dispositionis alia vocatur naturæ, quæ sequitur naturæ ordinē, alia vocatur perfectionis, quæ ordinem dignitatis respicit, alia denique appellatur methodus doctrinæ, quæ ea præmittit, quæ ad subsequentiū intelligentiā per se faciūt, & ea pre cæteris à professorib. religiosissimè est obseruanda. Nos eam perpetuò obseruauimus, secuncūdùm quam primò de nomine, ac varia acceptione rei propositæ, secundò de existentia, tertiò de essentia, postremò de affectionibus verba fecimus.

Nec obstat quòd essentia præcedat existentiam, vt probauimus agendo de vniuersalibus in communi: proindeque sermo priùs de essentia rei instituī debeat, quàm de existentia: siquidem tametsi ordine naturæ essentia prior sit quàm existentia, in scientiis tamen comparandis præsupponitur existentia, quoniam omnis nostra cognitio initium capit à sensibus, qui duntaxat circa singularia & existentia occupantur.

Præterea alia est methodus quæ obseruatur in vniuersa sciētia, hæcque duplex statuitur. Altera resolutionis: altera cōpositionis. Methodus resolutionis tunc dicitur obseruari, quando à toto progredimur ad partes, à fine ad media, & hæc locum habet in morali, ad eamque pertinet illa methodus,

quam Galenus definitiuam vocat, secundùm quam primò totum definitum explicatur, deinde partes essentiales.

Methodus verò compositionis dicitur, cùm à simplicioribus ad magis composita progredimur; à principiis scilicet, causis, & partibus ad totum, vel à mediis ad finem, & hęc obseruatur in Physica; quæ statim initio tractat principia, causas & affectiones corporis naturalis, mox ad species explanãdas se accingit. Ex his patet existentia methodi, & essentia hac definitione quæ ex superioribus colligitur, non obscurè exprimitur.

Methodus *est ordo rerum quæ traduntur, discentium captui accommodatus.*

Affectiones sunt, quòd sit parens perspicuitatis, auxilium memoriæ, & aliæ his similes quæ nullo negotio intelliguntur.

Hæc de methodo quæ vniuersæ Philosophiæ methodo, Dialecticę scilicet, coronidem imponit. Hęc est eadem ferè quam trecentis auditoribus summa animi alacritate & singulari affectu excipientibus quinto professionis nostræ anno cum Deo, in scholis nostris Plessæis, publicè docuimus.

Textus Aristotelici interpretationẽ reliquimus; tum quòd, vt initio insinuauimus, ab aliis fœlicissimè tradita sit, tum quòd opus in maiorẽ excreuisset magnitudinem, quàm vt Philosophiæ studiosis (quorum causa & multorum sanè precibus illud in lucem edidi) prodesse posset. Hoc totum opus qualecumque sit, vt à Deo acceptum, sic ipsi referimus, diuinóque eius numini & nomini consecramus, & sano Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ iudicio humiliter submittimus.

FINIS.

INDEX RERVM ET locorum insignium, quæ in hac Logica continentur.

A

B

C

G

I

FINIS.